EPITOME L. GRANATE

TOMVS PRIMꝰ ET SECV

Sanek

8 Sankow beczka

2 Sanki Czwarcizna

4 Sanki Cwiert albo pulbeczki

6 Sankow Cwierci pulbeczy

Abcdefghs

Verbum caro factū ē Aleluia
Et habitauit in nobis alelua

R. P. LVDOVICI

GRANATENSIS CONCIONVM IN EPITOMEN REDACTARVM,

TOMVS PRIMVS:

POSTILLAS ET HOMILIAS IN totius anni de Tempore Euangelia continens.

Opera F. Petri Merſsei, Cratepolij, Instituti D. Franciſci Fratrum Conuentualium Coloniæ.

Cum Indice rerum copioſiſſimo.



LVGDVNI,
IN OFFICINA Q. HVG. A' PORTA,
APVD FRATRES DE GABIANO.

M. D. XCV.

S. D. N. SIXTO QVINTO, SVMMO PONTIFICI A DEO OPTIMO MAXIMO SALVTEM *& æternam felicitatem.*

CVM anno ſuperiori fama ad nos longè deſideratiſſima percrebruiſſet, Beatitudinem tuam ad Apoſtolici apicis faſtigium ex tot doctiſſimis & maximè piis viris, quos felix alit Italia, promotam; non potuimus non & nobis (de quorum euectus ob ſingulares tuas virtutes es ſocietate Pontifex Maximus) congratulari, & Domino Deo maximas proinde dicere & agere gratias. Quare & nos occaſionem aliquam omnibus modis quæſiuimus, vt animi noſtri promptitudinem, in tuam Beatitudinem declararemus, & aliquid officij, humilis ſanè obſequij, in Patrem noſtrum ſignificaremus. Verùm cùm externam nullam (quid autem internè, tuam Sanctitatem Domino Deo commendando, præſtiterimus, cordium perſcrutator nouit) habere potuimus, papyraceo aliquo xenio congratulandi arripuimus anſam. Circumferebantur celeberrimi illius Eccleſiaſtæ D. R. Patris Ludouici Granatenſis Homiliæ, & ab omnibus ferè cupidè legebantur terebantúrque. Vt autem tenuioris fortunæ ſtudioſis conſuleretur; in-

gens opus in methodum aliquam, vt tamen ipsi sua esset maiestas, nihilque detraheretur, contrahendum non incongruè rati sumus. Autoris autem tanta est dignitas, tanta laus & celebritas, vt hac sedulitate illi nihil detrahi possit, imò magis augeri dum omnibus consultum cupimus. Ipse inter suos, imò omnes Ecclesiasticos neotericos facilè palmam obtinet; in cuius scriptis argumentum cum eloquentia, persuadendi vis cum orationis elegantia, & pietas vbique certat cum eruditione. Conciones has tam Latinè, tam eleganter conscripsit, vt si stylum consideres, Ciceronem; si dogmata, Paulum ipse te legere arbitreris: nisi quod vbique ferè quę ad mores spectant potiùs, quàm quæ fidei sunt, prosequatur. Cùm verò hunc laborem (ipsum autem opus minimè nobis attribuendum arbitramur) congessimus, & cui inscribendus, quo aliquid gratiæ promereri poterimus, despiceremus ac animis volutaremus; id Alexandri potentissimi regis occurrit responsum: qui ferè moriens, cùm ab eo quæreretur, cuinam tantum relinqueret principatum, respondit: Qui optimus esset. Si porrò hîc optimi cuiusque viri debeat haberi ratio; neminem sanè habemus, quem tuæ Sanctitati, Optime ac Maxime Pontifex, præponere possimus: quippe qui vt dignitate ac virtutibus cæteros superas (absit verbo inuidia) ita moribus & doctrina excellis. Et quare non & nos hūc optimum & omni genere disciplinarum, eruditionis, virtutumque præstantissimum censeremus, quem totus ille amplissimus integerrimúsque Cardinalium Chorus hoc honore dignatus est? ad hoc ipsum dignitatis fastigium elegit promouítque? imò ipse Spiritus sanctus præsignauit? A quo

P. Ludouici encomium.

Pontifi

Pontifice omnes Catholici omnia ſibi bona pollice-ri non dubitant. Nam, etſi viri doctiſſimi ſacrarum te literarum ac diuinæ ſcientiæ peritiſſimum pro-nunciant ac iudicant, non tamen negant probatio-res quique & ſapientes, ea etiam te eſſe manſuetu-dine & in omnes clementia, ac tanta in Deum pie-tate, vt non minorem ex his, quàm ex ſumma do-ctrina laudem aſſequaris. Nec dubitant planè id af-firmare, iure te optimo ad id faſtigij, tuis virtutibus & Deo bene iuuante fuiſſe euectum, non ambitio-ne vlla aut arte; quippe qui & oblatos honores non magnifeceris, & ita ſemper ab ineunte ætate (quam poſt Deum Saluatorem, diui Franciſci religioni de-uouiſti) te geſſeris, vt quouis amplitudinis gradu di-gnus ſis habitus: non vt faciunt nonnulli, vt de ſe malè, ita de Deo peſſimè meriti, qui ambiendo & pollicitando, per dolos & fraudes tum auidiùs lon-gè, imò incircumſpectiùs ad dignitates nituntur, exiſtimantes fortaſſe nihil Deo nos eſſe curæ, & id-circo prauis cupiditatibus vt faciant ſatis, omni ſtu-dio nituntur, nec ſentiunt hi, capti haud dubiè exe-cranda cæcitate, & præſentium bonorum blanditiis præcipites acti, ſine Deo nihil quidpiam fieri poſſe, qui & Aaron vltrò ad ſummum ſacerdotium euo-cauit, non ſupplicantem nec ambientem admiſit: ſic nec Dauid (taceo rebellem & reprobatum Saulem) niſi mero ſuo nutu & liberalitate ad regni guberna-cula coaptauit. Ambitio námque pleroſque homi-num ad vitia quæque compellit: quippe qui vt pri-mùm adepti ſunt quod maximè cupiunt, confeſtim ſe in facinora effundunt, & explendis incumbunt voluptatibus: cùm ſibi licere omnia credunt, & pec-care impunè queant: vel ſi qui fortè à ſcelere abſti-

nent, superuacaneis rebus, id est, non ad sua pertinentibus munia, student, vt paulò pòst morituri, paucorum dierum fabulam vulgi & auram popularem venentur ac assequantur. O quid inanius, quid stultius? Nihil infelicius felicitate peccantium. Currunt ad Cathedram multi, ac ipsam rem, id est, curam, detrectant. Similes hi Sichimitis, qui propter Dinam circumcidi passi sunt, vt carnis voluptatem explerent. Nónne rectè dixeris stultas hominum mentes, & pectora planè cæca? Sciscitabatur Agrippina, Neronis mater, super prolis fato Mathematicos; qui ipsum aliquando imperaturum respondérũt; verùm cum maximo matris incõmodo. Subiunxit Agrippina: Bene, modò imperet. O stultam mulierem, Oreste insaniorem, quæ mori non abhorruit, modò filius dominaretur! Timeo sanè nec hodie certè huiusmodi deesse parentes, qui vt filios suos citiùs in Ecclesiastica functione ac pingui aliqua affectos præbenda cernant, vel superbia vel auaritia ducti, quo iure, quaque iniuria beneficiis numerata pecunia, pensionibus, etiam sine Apostolicæ Sedis indulto, redemptis, prouident, defectus subticent, in qua re tum ordinandi, tum Examinatores, cautiùs prospicere tenentur. Nam si Bethsamites, eò quòd vidissent arcam Domini Dei Israël, licèt holocausta offerentes & immolantes victimas, percussi tamen fuerant plaga magna in septuaginta viris, & quinquaginta millibus plebis; quæ arca tantummodò figuram ferebat veritatis: & si propter eandem arcam Oza percussus interiit, quòd eam nutantem ad ruinam præsumpsisset eleuato brachio sustentare: quis non cum ingenti pauore accedat ad ipsius veritatis altare sacratissimum; vbi manibus mortalium tra-ctatur

Genes. 34.

1. Reg. 6.

ctatur & traditur (sub speciebus licet panis & vini) verum corpus veri & immortalis Dei Domini nostri Iesu Christi? Ordinandus igitur in Sacerdotem alta mentis contemplatione humiliter & deuotè debet meditari, se inter ordinandum quasi vnum adesse ex duodecim circunsedentibus, Christum in cœna illa gloriosa, quos duodecim Apostolos tunc Christus ipse dignatus est in Sacerdotes adoptare, cùm dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Huius ergo ordinis dignitas longè superat veteris olim legis vetustum Aaronis Sacerdotium: huius ordinis sublimitas celsior est Angelis, facultas præstantior cælorum virtutibus. Etenim ordo iste is est, quem Deus, Dei vnigenitus in terris per seipsum in ara crucis administrauit, & iam in cęlo regnans apud Patrem exercere pro nobis non desinit. Ipse est Aduocatus noster apud Patrem. Et quem exercendum in terris, ipsis Apostolis & eorum successoribus Sacerdotibus in finem seculi dereliquit, vt mundam offerant hostiam nomini eius. Ab istorum albo longè absunt, qui aliunde ascendunt, & non per legitimum ostium intrant in ouile. Quantò meliùs tu beatissime Pater, cui Deus omnipotens Christianæ Reipublicæ gubernaculum contulit, has mundi aspernatus illecebras, & honores hosce non magnifaciens, qui procul dubio non immerenti tibi & habentur & deferuntur, his solùm rebus animum intendisti, quæ & ad commune bonum commodúmque faciunt, & ad vnius Dei conferunt cultum? siquidem pleraque iam ipse peregeris, quæ & summo viro dignissima sunt, & in tui exstabunt memoriam sempiternam. Virtus obliterari nequit. Hæc per se clara æternáque habetur. Quæ sanè cùm taciti ipsi repe-

Matt. 26.

1. Ioan. 2.

Ioan. 10.

timus, tanta animi afficimur iocunditate, vt beatum nostrum hoc seculum dicamus, præsertim apud Catholicos; & Italos ipsos (ex quorum patria originem trahis) beatiores; & religionem diui Francisci (in cuius tua beatitudo olim castris ab ineunte ætate militauit) florentem, qui te Pontificem Maximum sumus sortiti: cuius ductu & prouidentia: prospera cuncta successura pollicemur: & ita vt non immeritò illud asseuerauerim, quod est à Platone dictum, quod admodùm est probabile, Felicem fore Rempublicam, si aut Sapientes imperent, aut Reges sapere cœpissent. Felix Resp. quę Principes ex sapientiæ & virtutum æstimatione monarchas eligit, aut cuius Reges proles suas statim ab incunabulis liberalibus artibus imbuunt, & bonis præceptis ad virtutem & ad iustitiam inducunt. Potestas sine sapientia mole sua ruit. Salomon in templo à Sacerdote & Propheta educatus, admirationi fuit Regibus omnibus. Ozias vsus Zacharia Propheta, multa bona fecit. Iosias Helchia Sacerdote consiliario, optimus euasit. Sedechias à puero armis martialibus assuetus iuxta atque Ioachim & Ioakin. Qui aliis præficiendi sunt, necesse est vt ab ipsis teneris annis legant sacram scripturam, vt ex ea Christiana pietate possent imbui. Illi enim si impij improbique fuerint, non sibi solùm nocituri, sed alios etiam pessundaturi sunt: partim quòd multum mali in exemplo illorum sit. Talis enim ciuitas esse solet (inquit Plato) quales sunt principũ mores. Studiosè námque plerique præsertim in hanc partem facta principum imitantur, éaque suis vitiis prætexunt, persuasum habentes, illa aut non indecora esse; aut licèt parum recta sint, exemplo Principum, quorum auctoritate maximè

Potestas vera quæ sit.

2. Par. 26.

4. Reg. 22.

4. Reg. 25.

Plato

Eccl 10.

maximè nituntur, defendi poſſe. Partim quòd quicquid Principes delirent, plebs plerumque plecti ſoleat, & pro illorum malefactis, Deo irato pœnas luat. Quamuis autem ea res minimè dubia ſit, atque ob id teſtibus non egeat, exempla tamen ad hanc pertinentia, proferam. Eſt enim per exempla iter docendi efficax. An non faſtu & impietate Nabuchodonoſoris regis factum, vt in furore mactus, nullo diſcrimine à beſtia differens, fœnum vt bos comederet? Saul rex cur obſecro à Deo deſertus & proiectus, ne Rex eſſet? Non ob aliam cauſam ſanè, quàm ob diuini verbi contemptum. Nónne mollities & effeminati mores Sardanapali cauſam belli contra ſe ſuſcipiendi ſuis præbuêre? An non auaritia & ſæuitia Sergium Galbam Romanis inuiſum ac exoſum ſic reddidit, vt iugularetur? Quid aliud quæſo quàm fœdum ingenium & luxuria, qua turpiter diffluebat, Vitellio Cæſari exitio fuit, adeò vt manibus poſt tergum reuinctis, & laqueo collo iniecto, furcáque ſub mentum poſita, diu per vrbem tractus, quibuſdam fimo & cœno inceſſentibus, deinde innumeris ictibus confoſſus interierit, poſtremóque vnco in Tyberim tractus ſit? Taceo Demetrium, quem Macedones reliquerunt, vniuerſique ad Pyrrhum confugerunt. Et Phalarim tyrannum, cuius præter cæteros nobilitata eſt crudelitas, in quem vniuerſa multitudo Agrigentinorum impetum fecit. Iulium item Cæſarem viginti tribus vulneribus confoſſum, quòd iura diuina & humana peruerterat. Prætermitto Petrum Hungariæ regem bis propter tyrannidem regno excluſum; Abam quoque in eodem regno ob parem culpam peremptum. Nolo referre Herodem, Pompilium parricidam, Poloniæ

Dan 4.

Tyranni crudeles qui fuerint.

Herodes.

monarchá, à muribus (mirabile dictu) exesum, nullo illorum reprimere valente impetum. Taceo hîc quid contigerit Hattoni Archiepiscopo Moguntino, qui multos mendicos in horreo conclusos concremari fecit, qui ipse diuina vltione à muribus exesus & consumptus est. Boloslaum quoque Regẽ Bohemiæ Audacem, propter nefanda scelera corona priuatũ, & regno pulsum, ad extremumque amentem, à canibus discerptum silentio prætereo; vt verum illud sit: *Ad generum Cereris sine cæde & vulnere pauci Discedunt Reges, & sicca morte tyranni.* Prætereo Christiernum regem Daniæ, quem ob nimiam crudelitatem tota Regio execrata est, & tanquam feram beluam custodiæ mancipauit. Quid dicam de Comite de Marca Guilhelmo nomine, qui in inferiori Belgio Principis Auraici vices tenuit, qui fuit sæuissimus tyrannus, præsertim in Religiosos ac Sacerdotes Catholicos, quos miserrimè tractauit homo insanus ac furibundus, qui posteà canis morsu periit, indignus qui hominis manibus occumberet? Quàm verò ad mala patranda Principes suo exemplo pellicere soleant subditos, auctoritatéve adducere, etsi exempla sæpissime suppeditantur plurima, aliqua tamen proferam. Ieroboam (vt sacra tractans, exempla proferam) vitulos conflatiles colens, cùm ad adorandos illos, qui eius imperio suberant, omnes perducere, suique similes esse voluit. De Achab item idololatra, sic exemplum cœpêre sui, vt Elias Propheta se solùm ab idololatria alienum relictum esse conquereretur: neque id inultum tulerunt. Ieroboam enim idolis thus adolenti, manus, quam in Prophetam corripientem se extenderat, mandans apprehendendum, subitò aruit, vt illam inflectere minimè

Comes de Lumay, iniquus in Religiosos.

Interiit an. 1578.

3. Reg. 12.

Elias.

3. Reg. 13.

minimè quiret. Huc accessit quod quinquaginta millia hominum ex Israël bello vno periêre, Ieroboámque à Domino percussus, mortem oppetiit: Achab verò regnante, cùm tribus annis & sex mensibus non pluisset, fame plurimi enecti miserabiliter sunt. Porrò Achab in prælio vulnere accepto extinctus est, & linxerunt canes sanguinem eius, iuxta verbum Domini. Ita quidem Principes, & homines ad malum exemplum Principum sese componentes, grauissimas pœnas dare solent. Neq; solum id in errore Principum pendentibus accidere solet, verùm etiam solo Principe delinquente. Cuius rei exemplum in Dauide videre est: qui cùm instinctu Satanæ in animum induxisset, vt populum numeraret, ex animi quidem tumore eius numerum scire cupiens, septuaginta millia virorum peste ceciderunt. Quam luem miseratus Dauid, cernens Angelum populum cædentem, in hanc prorupit vocem: *Ego sum qui peccaui, & ego iniquè egi; isti qui oues sunt quid fecerunt?* Blasphemæ item voces in Deum Balthasaris regis, interitum regni totius attulerunt: id quod futurum ostenderat manus in pariete visa, scribens, Balthasarem cum toto regno periturum esse. Nec sanè defuit euentus, Persæ enim & Medi subita irruptione facta, Babylonios obruerunt, regnóque potiti, Balthasarem occiderunt. Duritia Pharaonis & cor pœnitere nescium, quantis calamitatibus, quantis ærumnis, quantis cædibus Ægyptum afflixit? Postremò & ipsum Pharaonem cum toto exercitu aquis rubri maris obrui fecit. Quin & Sedechias Ieremiæ Prophetiam contemnens, à Nabuchodonosore rege captus, in conspectu suos filios trucidari vidit, ipsi autem eruti sunt oculi. Ierosolyma

2. Par. 13.

3. Reg. 17. 18.

1. Par. 21.

2. Regum vltimo.

Dan. 4.

Exod. 8. 9. 10. 1.

funditus euersa, templum Dei iussu erectum, destructum est: selectissima pars populi vna cum rege in seruitutem Babylonicam abducta est, quam septuaginta annis pertulit. Tempus me deficeret, si exemplis docere vellem impietate principum fieri, vt bellis seditionibus omnia ferueant, alia aliò ferantur, omnia misceantur & mutentur. Ad cuius rei acerbitatem & tristitiam declarandam, nonnulli Principum, faces orbis & humani generis appellati sunt. Quales fuêre Cæsares, Nero, Commodus, Caligula, Domitianus, & his similes tyranni. Tales Principes Homerus δημοβόρους appellat, quasi dicas Voratores populi, quòd res populi ceu barathra quædam absumant & abliguriant. Quin & ipsos populos trucidant & digladiando inter se perdunt. Quis non videt ceu in speculo, quantum impij & improbi Principes & sibi & aliis officiant? Quamuis autem ex eis colligere liceat quantopere pietas Principum ipsis & rebus publicis conferat; contrariorum siquidem eadem est disciplina, tamen, vt cœpi, exempla proferam, vt ob oculos ponam & quasi digito commonstrem ita fieri. Quid Iudæis contra Amalechitas pugnantibus victoriam attulit, illísq; aliquando Deum placatum reddidit. Nónne ipsa Moysis pietas? Quid effecit ne Samuel eiusdem gentis Princeps bouem aut asinũ (vt refert ipse) alicui eriperet? néve quempiam calumniaretur, opprimeret, vel munere à quopiam dato gauderet. Nónne pietas? Quid Dauidem Regem impulit, ne illum ante arcam Domini saltare fidibus canere puderet? Nónne pietas? Sic ex mera pietate iniuriam à Semei illatam, ne vlcisceretur pertulit. Sic Sauli sæuissimo hosti, oblata etiam occasione nocendi, ex pietate pepercit, cùm eum occidere

Ierem. 38. 39.

Principes faces mũdi.

Pietas principum quantum conferat.

Exod. 17.

1. Reg. 12.

2. Reg. 6.

2. Reg. 16.

dere potuisset. Hæc manum mittere in Christum Domini non permisit, verùm de eo vindictam sumendi Deo tradidit. Eadem pietate factũ, vt nulla interposita mora, interficeret omnes peccatores terræ, vt disperderet de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem, faceretque iudicium & iustitiam omni populo. Sic ob Dauidis pietatem Dominus promisit se parsurum Hierusalem, quod sanè præstitit. Nam quòd centum octoginta millia Assyriorum, qui eam obsidione cinxerant, ab Angelo percussa sunt, non aliunde sanè, quàm à pietate profectum existimem: quòd Iosaphat Rex in ciuitates Iuda Prędicatores misisset, qui verbum Dei sincerè docerent, quamobrem pauor Domini super omnia regna nationum finitimarum irruerat, ne bellum contra Iosaphat ab illis moueretur. Pietate motus Ezechias serpentem æneum à Moyse factum, cui Iudæi sacrificabant, cõtriuit: indignissimum ratus Dei viui gloriam dare sculptilibus. Huius regis precibus quàm benignas aures Dominus accommodauerit, indicat strages centum octoginta quinque millium hostium ab Angelo occisorũ. Verùm omissis istis, tum & fortissimis ac planè religiosis illis ducibus Machabæis, qui pro sanctis ac populo Dei suum sanguinem fuderunt, transeamus ad tempora tranquilliora. Constantinus Magnus, vir absque dubio iuxta cor Domini, toto pectore amplexus est Catholicam religionẽ; & quid nisi pietatẽ in causa fuisse putabimus? Hic Imperator diuinitùs ordinatus, non solùm Ecclesiæ trãquillitatem quæsiuit, sed Episcoporum, cùm non satis conuenirent, dissidia composuit: noluit eorum esse Iudex, quos sciebat locum Dei in terra tenere. Hic sanè optimè nouit, quæ Regum, quæ

1. Reg. 24. 26.

Psal. 100.

4. Reg. 19.

Iosaphat. 2. Par. 36.

Ezechias. 4. Reg. 18.

4. Reg. 19.

Constantinus Magnus.

lib. 2. Eccl. hist.

quæ Sacerdotum propria; noluit illa miſcere neque conturbare. O mentem pietatis plenam & monarcha orbis dignam! Quid de optimo illo Theodoſio dicam? quem vt Ambroſio Epiſcopo pareret, pietas cohortata eſt. Hæc, vt Carolus Magnus Chriſtianiſs. Princeps diceretur, filius Ludouicus, Pius, effecit. Stephanus Rex Vngariæ, qui fuit anno Domini 994. qui habuit Giſelam Henrici optimi Imperatoris ſororem in coniugem, inſigni motus pietate totam Hungariam, depulſa veteris vitæ caligine, ad Chriſtianam conuertit religionem; qui eam optimis confirmauit legibus. Andreas eiuſdem regni Rex cùm in aliis tum in hoc ſe pietatis ſtudioſum exhibuit, quòd intellecta vxoris culpa, in exemplum ſeruandæ pudicitiæ, eam iure cæſam à Bancbano iudicauit, & eum à ſententia abſoluit. Vxorem enim Bancbani illa fratri ſuo violandam tradiderat. Adeò reipſa is Rex comprobauit, quod aliquando Traianus Cæſar ſibi fieri à Præfecto mandauerat, ſi minus iuſtè ageret. Cùm enim ille Præfectum prætorio deſignaſſet, gladio in manus eius porrecto hæc verba ſubiecit: *Vtere hoc aduerſus hoſtes meos in iuſtis cauſis: ſin minùs iuſtè egero, in me ipſum gladium ſtringito.* O factum principe dignum, eo qui Reipublicæ vtilitati magis ſtudet, quàm ſuæ! Nouerat hic ſanè, ſicut & optimè nouit pius & religioſus ille Ioſaphat rex apud Iudæos, non hominis exerceri, ſed Dei iudicium. Germani Imperatores non inferiores his fuêre. Fridericus Barbaroſſa Imperator (vt hunc ex plurimis probatiſſimis afferam) cuius vitam Otto Friſingenſis Epiſcopus deſcribit, religionem Chriſti ſummo ſtudio proſecutus eſt, & miniſtros Eccleſiæ, non minori affecit. Quid de Carolo IIII. qui

Theod. lib. 9. cap. 30. hiſt. Eccl.

Adulterij pœna.

Iuſtitiæ vis maxima.

qui Orthodoxæ religionis erat studiosissimus, referam? Quid item de Carolo V. optimo Cæsare dicam? Quòd si hîc de zelo Catholicæ fidei veterum Principum Germanorum, quem ad dilatandam fidem Catholicam habuerunt, referre velim, mihi certè integer conscribendus esset liber. Quòd tot regna ad Christi fidem accesserint, Germani procurarunt. Vtinam & modò maiorum insisterent vestigiis! Verùm quòd minus hoc fit, communi deputamus calamitati, & ægro decoquimus pectore. Concedat Deus tempora commodiora. Habent Hispani suas laudes, eásque summo studio promouent & tuentur; non in re militari modò, in qua omnes modò superant nationes ac palmam pręripiunt, verùm etiam in Catholica promulganda religione, atque in sacris elucidandis literis; quam certè excolunt ac clarissimè exòrnant, vt totius Christiani orbis reformatores à Deo dati esse videantur. Habet hic Reuerendus Pater suas laudes: & quòd nos dignissimi viri lucubrationes, quas ille ad veram Dei gloriam & totius Ecclesiæ incremētum & vtilitatem conferendas esse existimauit, omnibus vulgatiores esse voluimus, nihil illius derogamus honori, verùm magis promouemus. Iudicent candidi homines, quid nostra sedulitate promeriti simus. Cui igitur, beatissime Pater, labores istos vel rectiùs ipsi dicauerimus, vel digniùs inscripserimus, quàm tuæ Sanctitati, qui & Princeps sis & Philosophus, & cæteris quidem eo præstantior, quò & Christi vicem nunc geris, & ad Philosophiam accedat rerum diuinarum summa cognitio, & optimarum artium peritia non mediocris? Offerimus Homilias T. S. nostri commendationem & Apostolicam benedictionem à Sanctitate tua humiliter

Pietas eī. tinet ? rin cipes in officio.

militer expectantes. Quam quidem Sanctitatem omnipotens Deus ad Ecclesiæ suæ Catholicæ renouationem confortet, atque diutissimè incolumem conseruare dignetur. Coloniæ Agrippinæ, Anno Domini 1586.

F. Petrus Mersseus, cognomento Cratepolius, Sacræ Theologiæ Bach. Minorita Coloniensis.

DOMI

DOMINICA PRIMA ADVENTVS DOMINI, CONCIO, QVÆ ET EVANGELICAM EXPLAnat lectionem, & sacri temporis explicat rationem.

THEMA. *Inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea, soluite & adducite mihi, &c.* Matth. 21.

QVONIAM hodie Domini Aduentus mysterium Ecclesia incipit celebrare: quo & sermo noster à temporis ratione non dissideat, duo in eo tractanda constitui. Primùm enim priorem lectionis Euangelicæ partem explicabo, deinde verò de huius sancti temporis ratione (quod nunc incipit) pauca disseram. Vt autem vtrumque, & quæ interim ad rem pertinentia inciderint, tractare pro dignitate valeam, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

PATER NOSTER. AVE MARIA.

In lectione sancti Euangelij, Auditores, ingressus Domini in Hierusalem cum triumphali pompa, & magna ciuium cõgratulatione, describitur. Ingrediente enim illo vrbem, post celeberrimum illud signum, quo quatriduanum Lazarum à mortuis excitauerat, plurima turba illi obuiam veniens, diuino magis quàm humano spiritu acta, strauerunt vestimenta sua in via; alij autem cædebant ramos de arboribus, & eos sternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant & quæ sequebãtur, clamabant dicentes: *Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini.* Cùm autem Dominus ab huiusmodi populari gloria (quamdiu inter homines homo versatus est) semper abhorruerit; hîc tamen non sine euidentibus rationibus, præter solitum morem, admisit. Quæstionis modum Apost. soluit: *Qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta.* Alio quoque loco hanc rem indicat: *Sicut enim per vnius hominis inobedientiam peccatores multi constituti sunt: ita &*

Ioan. 11.

Christus gloriam mundi est aspernatus semper.

Heb. 12.

Rom. 5.

per vnius obedientiam iusti constituentur multi. Christus in sua morte, quam sponte suscepit, omnium electorū gloriā, quā ipse erat illis sua morte in cruce comparaturus, vidit, & inde gauisus est: ita quoque omniū reproborū sortem intuitus est, & vicem illorum indoluit. Christus quoque hoc triūpho suo, qui populi animum excitauerat, declarare voluit, se mortē vicinam, eámque turpissimam, quam clarè cognoscebat, non abhorrere: sua quoque morte illud crimen nobis inexpiabile, & offensam lesæ maiestatis diuinæ abolendam, ac genus humanum Deo patri cælesti reconciliandum. Nostrū igitur erit diuinis præceptis ex sincero animo & alacri obtēperare. Christi Saluatoris gaudiū & pectoris sui charitatē, historia hæc repræsentat. Ait S. Euāgelista: *Cùm appropinquaret Iesus Hierosolymis*, &c. Historiā hanc omnes Euāgelistæ describunt, neque id abs re: mira enim & inconsueta illic egit Christus; pluries quidem fuerat Hierosolymis, nunquam tamen eo modo intrasse legitur, quo nunc. Talis autem & tam omnibus conspicuus ingressus, palàm ostendit futurum regnum Christi, quod cùm à Iudæis, tum à Gentibus, inuitis Pharisæis, erat accipiendū. Latuerat quidē Christus ob insidias Iudæorum, non formidine mortis, sed quia nondum venerat hora eius. Aderat iam iam tempus: ergo non latitat, sed vltrò sese offert, omnium oculos totius vrbis in se cōcitat. Appropinquat ciuitati, mittit ex discipulis duos qui iumenta adducant, ostendit, vbi inuenienda, locum, prædicit neminem prohibiturum. Hæc certissimè omnia euenêre. Disce Christo nihil esse incognitum, nihil impossibile. Non vnum, quod sufficiens esse potuit, iumētum, sed vtrumque adducitur: innuunt hæc singula mysterium. Asina erat domita, oneribus ferendis assueta: ita & Iudæi domiti, legis oneribus vtcunque assueti. Pullus autem iuuencus, cui nondum vllus insederat, Gentilem populum, qui nullius imperio subditus, nullis adstrictus legibus, vagus incedebat via cordis sui. Hoc enim impiorum proprium est. *Vanus* (inquit Iob de talibus) *erigitur in superbiam, & quasi filius onagri se liberum natum putat.* Talis planè erat Pharao, qui Moysi diuina mandata perferenti respondit: *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius? Nescio Dominum.* Tales & illi qui in Psalmo dicunt: *Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Erant*, inquit Apostolus, *Gentiles sine Deo, sine metu, neque aliqua religione cōtinebantur.* Tales modò (proh dolor!) apud nos multi, qui titulo tenus Christiani, qui confitentur se nosse Deum, at factis negant interim, qui suas indomitas sequuntur voluntates. Talis malus

Christi gaudiū quale.

Christus mortis chirographum abstulit.

Matt. 21. Marc. 11. Lucæ 19. Ioan. 12.

Iob 11.

Exod. 5.

Psal. 11.

Ephes. 2.

Tit. 1.

malus & corruptus Christianus, infideli est deterior. Ista duo iumenta: hi duo populi, qui iumentorum instar viuunt, sunt ligata, miseram sanè seruiunt seruitutem, sunt captiui: at Christi Saluatoris aduentu, eius beneficio soluuntur ac liberantur. Peccatum lethale nos vehementer ligat & captiuos detinet, & miseram seruire cogit seruitutem. Peccatũ Dei oculos à nobis auertit, eiusq; claudit aures, ne audiat, diuidit inter Deũ & nos. Iam vbi illa cõsuetudo peccandi accedit, triplex iam cõficitur funiculus, qui difficilè rũpitur. Quo quidẽ funiculo se D. Aug. quondam vinctum fuisse testatur his verbis: *Vinctus eram non ferro, sed mea ferrea voluntate: velle meum tenebat inimicus, & de me mihi catenam fecerat atque cõstrinxerat. Ex voluntate quippe peruersa facta est libido: & dum libidini nõ resistitur, secuta est consuetudo, qua ceu catena quadam vinctus in peccato tenebar.* Hac igitur catena siue triplici funiculo perditi homines constricti, variis cupiditatibus miserabiliter seruiunt. Vide quomodo seruiat vitiis auarus, quomodo ambitiosus, quomodo impudicus amator, quomodo lusor ac gulosus. *Qui*, inquit Apost. *volũt diuites fieri, incidũt in tentationẽ & in laqueũ diaboli*, &c. Qui enim augendi lucri gratia mẽtitur, fraudat, feneratur, rapit; nónne is turpissimorũ dominorũ seruus est? De impudico audi Cic. *An ille*, inquit, *liber est, cui mulier imperat, cui leges imponit, præscribit, iubet, vetat quod videtur? qui nihil imperãti negare potest, nihil negare audet? Nemo*, inquit Seneca, *liber est, qui ventri seruit.* Veritas mẽtiri nõ potest: *Amen amen dicõ vobis, quia quicunque facit peccatũ, seruus est peccati.* Captiuus aliquis sub aliquo tyranno, nõ est sui iuris: ita qui vitiis impellitur, licèt bona probet, maximè seruit. At Christus prædicauit captiuis indulgentiam, & ab hac seruitute nos suo maximo beneficio liberauit, ne illa seruitus esset æterna. Soluũt discipuli iumenta, soluunt homines peccatorum vinculis ligatos, eosque volentes & obtemperãtes, asserunt in fidelium Dei libertatem. Iam quorum hoc sit officium, vide, num Laicorum an Sacerdotum. Ipsa clauium potestas, quæ captiuos atque ligatos soluit, quæ diuini Spiritus virtus est; semper fuit penes Ecclesiasticos. *Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet.* Ostendit se Deum manifestè, qui rerum omnium & potestatem haberet & præscientiam, dum mittens non incertus ait: *Inuenietis asinam alligatam & pullum.* Certè, quod verisimile est, non erant æquè omnes contenti, quòd iumẽta soluerẽtur: audito tamẽ Domini nomine ac eius authoritate, consentiunt. Dominus ille, qui nullius erat indigens, cui

Peccati malũ quale. *Esa. 59.*

Peccandi cõsuetudo.

1. Tim. 6.

Cicero in Paradoxis. *Seneca.*

Ioan. 8.

Sacerdotũ officiũ est soluere.

Angeli seruiunt, ille his vilibus indiget iumentis. Eget quidem nō pro se, sed pro me. Ob huius Domini celsitudinē primus generis nostri parēs abscondit se: & quia Dominus his iumentis in sua carne vsus est in terris, intonare cœpit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Inde & hoc addit ex sua gratia: *Dicite filiæ Sion: ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Est hic Rex planè mãsuetus, non ad eius vocem terrearis. Hic non est respector personarum, abiectissimo etiam ad eum patet accessus. Principes terræ prout res postulat vestiuntur, alio vestitu vtuntur in bello, alio in venatu, alio in nuptiis, alio in funeribus: ita & hic noster Rex, alio schemate redimendis, alio iudicandis hominibus vtitur. Cùm in mõte Sinai Deus ipsemet Iudæis loqueretur, tã terribiliter intonuit, vt metu illi perculsi, fugerint, terrorem eius ac maiestatē ferre non valētes. Iam alio iumento, alio vestitu apparet. Nostram assumpsit naturæ indigentiam, in peccatis auferendis alio indiguit iumēto. Vide quid hircus ille qui mittitur in solitudinē, denotet. Medicus excellens, qui suum velit celebrare nomē, nunquã plus illustratur, quàm vt se cõferat ad xenodochium aliquod, vbi multi sunt infirmi, qui diuersis laborant morbis: hic si artis suæ in curandis ægris peritiã declarauerit, acquirit authoritatē: ita summus noster Medicus, morbis nostris curandis, bonitatis ac sapiētiæ suæ thesaurũ aperiēdo manifestauit. An ne in Lazaro resuscitãdo plurimũ suã declarauit gloriã. Meritò Ecclesia Catholica de illo Medico ait: *O certè necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est.* Huius mali, id est, peccati, tanta erat pestis ac pernicies, vt nullo alio modo, nisi hoc vnico ac mirabili remedio curari potuerit. Vide igitur, infelix peccator, an ne tibi maxima offeratur materia detestandi peccatum, & non inferior de hoc Medico gaudēdi occasio præbeatur. *Euntes autē discipuli, fecerunt sicut præceperat illis Iesus.* Vide discipulorum promptũ obsequiũ; nihil morãtur, non reclamãt, ipsi soluũt, suũ fideliter agunt officium ac ministeriũ: penes Christũ tamē est virtus & authoritas. Obedientiæ non paruum est meritum. Hæc pacem & tranquillitatē ad proximos ingerit, ac totam congregationem in pace conseruat. *Obedite* (monet Apost.) *præpositis vestris, & subiacete eis,* &c. *Super cathedram Moysis sederũt Scribæ & Pharisæi.* D. Augustinus dicit obedientiã esse quasi matrē & custodē aliarum virtutum. *Melior est obediētia quàm victima. Et imposuerunt super ea vestimenta sua.* Apostoli imponunt vestimēta. Videmus illorũ in Dominũ & Magistrũ beneuolentiã. Quid autem vestimenta innuãt, videamus. Iumēta erant nuda; hæc

Matth. 11.
Mores Regis nostri.
Exod. 19.
Simile.
Ioan. 11.
Medicus vt manifestetur.
Peccati malitia.
Obediētiæ meritum.
Hebr. 13.
1. Reg. 15.

hæc Apostoli ornant vestimentis: ita ornata Dominum desuper sedere fecerunt. Sumus nos asinæ, sumus pulli: nisi fidem quam suscepimus, ornauerimus, ac eius susceperimus operationem, abhorrebit te Dominus. Hæc quidẽ discipuli tum temporis non satis assequebantur: at posteà, quando illis aperuit sensum exactè omnia capiebant. Adducuntur itaque vtraque animalia, per quæ nobis duo populi, Iudæi scilicet & Gentiles, designantur. Hi sub vno Pastore ad vnũ ouile adducẽdi erũt. Videmus itaque hîc vaticiniũ Prophetæ de hoc legitimo Messia, licèt Iudæi aliud delirent, adimpleti. *Dicite*, clamat Propheta, *filia Sion, Plurima turba strauerunt vestimẽta sua in via.* Turba planè obsequiosa, omni humanitate Dominum, vt par erat, excipit. Laudandum quòd bene incipiũt, sed non perseuerant: breui in die parasceues aliud sonant, aliud clamant. Hæc sanè non sunt otiosè conscripta. Post victoriam solet sequi triumphus: at Christo hunc triumphum in suo corpore cõtra immanes hostes impendebat promereri. Intrauerat quidem Christus antè crebrò Hierosolymam; at nunquã cum tanta solennitate. Tali honore debet suscipi ab Ecclesia Catholica: tali laude, ob victoriam cõtra hostes suos partam, à cælesti Hierusalem. Hîc omnes canunt Angeli: *Dignus est agnus qui occisus est, &c.* Sic ipsemet Christus, cuius sententia plurimum in fide confirmamur, ait: *Nónne oportuit pati Christũ; & sic in gloriam suam intrare?* Hic cùm palmis, quę victorię signa sunt, suscipi à populo voluit. Est autem palmæ natura, quod quò magis deiiciatur, eò magis erigatur: ita sanè est Christus humiliatus, vt extrema sustineret supplicia, & tamẽ nõ est suppressus. Pater exaltauit illũ ob humiliationem. Ipsius autem gloria in morte ac in passione, postremò in resurrectione incœpit. Datũ est illi nomen gloriosum, per quod omnes saluari possumus, quod quidem omnes impij abhorrent, *Nunc*, inquit Christus, *à morte glorificatus est filius Dei, nunc instar serpentis exaltatus est filius hominis.* Sic omnes Sancti, vita piè transacta, coronari meruerunt. Natalitia enim eorum non à vita ista, sed à fine celebrantur; inde incipit gloria. Hîc iam nobis esset expendendũ, num mors corporalis timeri debeat. *Beati autẽ illi mortui, qui in Domino moriuntur.* Sequitur: *Turba autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur.* Præcedunt & sequuntur. Iudaicus populus præcessit, Gentilis secutus est. Mediator vtriusq; Saluator Christus. Hunc mediatorem credant, in hunc sperẽt, huic obediãt, quicumque saluari velint. Ipse est propitiatio per sanguinem suum, quo nos à peccatis lauit. Hic est mediator Dei & hominum. Vna fides tam

Apostoli rudes.
Zach. 9.
Triũphus post victoriam.
Apoc. 5.
Luca 24.
Act. 4.
Ioan. 3.
Gloria vera quæ.
Apoc. 14.
Mediator Christus.

eorum qui fuerunt ante Dominicam incarnationē,& qui præcesserũt,quàm eorum qui eam subsecuti sunt. Per hanc omnes probati sunt,licèt Sacramenta pro temporũ ratione habuerint disparia. Fides illorum minimè fefellit,sic neque nos vnquam falsura est. *Benedictus* ille igitur semperque laudatus,qui vtrũque complectitur,& saluat populum suum. *Domini solius est salus, & super populum suum benedictio tua Domine.* Venit hic Saluator,nomine ac nutu Domini missus:veniet Antichristus,ac eius discipuli hæretici,minimè in nomine Domini. Venit non exacturus tributum,non gessurus bella,sed venit Rex Israël,quærere & saluum facere quod perierat. Videmus quo honore Christus excipi velit, tum ab Apostolis,tum à populo. Si tu es Apostolus, si docendi munere in Ecclesia fungeris,fideliter doce,adduc ad Christum multos; hunc ille à te exigit honorem,hoc officium. *Argue, obsecra, increpa in omni patientia.* Docendi munere destitueris? Sunt tibi vestimenta,sunt diuitiæ; impende pauperibus,& quicquid illis largitus fueris, Christus sibi impensum arbitratur. *Quicquid vni ex minimis feceritis,mihi fecistis.* Desunt autem vestimenta? ne videaris habere excusationem,sterne ramos in via: habeas viuos fidei ramos, ostende proximis pietatis exempla. *Luceat lux vestra coram hominibus.* D. Petrus ex bonis operibus vult nos considerari. Si bene vixeris,cedet ad Dei honorem & ad tuam salutem; sin malè,ad dedecus tuum. Christus,teste Dauide,bonorum nostrorum non eget,attamen illi acclamandum cum turba: *Osanna filio Dauid.* Christus à nobis vult agnosci, vult inuocari. Laborandum vt regnum Christi sit nobis salubre, vt regnum Satanæ penitus eradicetur. Quicquid Christo precamur,nobis precamur.

Psal. 3. — *Pastorum officium.* — *2. Tim. 4.* — *Matt. 25.* — *Matth. 5.* — *2. Pet. 2.* — *Opera bona impendenda.*

Hactenus de Euangelica explicatione egimus; nunc de huius temporis sacri ratione, quod Ecclesia incipit,disseramus. Verba Hierem. sunt nobis expendenda: *Miluus*,inquit,*in cœlo cognouit tempus suum; turtur, hirundo & ciconia cognouerunt tempus aduentus sui; populus autem meus non cognouit iudicium Domini.* Discamus ab istis auibus temporis habere rationem,discamus,inquam,prudentiam habere. Vide temporis distinctionem:aliud est tempus pœnitentiæ,aliud mœroris,aliud spiritualis lætitiæ,aliud instructionis. Isthoc Aduẽtus Domini tempus est,exigit erga Dominũ Saluatorem grati animi affectum,deuotæ mentis obsequium: *Salus hominis omnis & tota à Deo est.* Miser homo ad Deũ ire renuit,nec potuit: Optimus igitur ille ac misericors Deus,ad illũ venire dignatus est. Venit vt

Hier. 8. — *Aduentus Domini adstruitur.* — *Sapientia vnde discenda.*

vt captiuos assereret in libertatem, vt mortales sui regni instituerct participes ac hæredes. Esaias Proph. aduentus sui non tacuit fructum: *Spiritus*, inquit, *Domini super me, eò quòd vnxerit me*, &c. Venit benedictus in salutem nostram. Beati sanè illi, qui hunc in carne videre meruerunt. *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis*, &c. Veteres illi sperabant, habebantque promissionem, nos autem credentes, possessionem ipsam habemus, ac certi sumus. Illi à longè salutarunt: in tenebris lucem quandam, quasi sidus fulgidum aspiciebant. Clamabãt cum Propheta: *Citò anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.* Quod nos tenemus. *Quod fuit ab initio, ait ille; quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris*, &c. Videndum itaque nobis, quo studio, qua alacritate debeamus hoc tantum diuinæ pietatis beneficium recolere. Christus à Iudæis expectatus, à nobis exceptus & summo desiderio excipi debet. Hic est verus alter ille Ioseph, qui à Pharaone ob suam prudentiam Saluator mundi dictus. Christo, qui & Sol iustitiæ, orto, omnia vitiorum monstra fugerũt. Quæ autem illa sint vitia quæ luci aduersantur, Apostolus in hodierna epistolæ lectione grauiter adducit. Illum consulas, ac pareas. Vt autẽ huius sacri temporis rem & negotium commodiùs intelligamus, scire cõuenit, Aduentum Domini quinque membris complecti. Primum, summam hominis perfectionem in cognitione, amore & imitatione diuini numinis esse sitam. Secũdum, hominẽ in eo statu integræ naturæ, iis opibus & gratia instructũ à conditore Deo fuisse, vt omnia pietatis officia commodissimè præstare posset. Tertiũ, hominem per peccatum à Deo recedentem, in eam mentis cæcitatem & infirmitatẽ cecidisse, vt hæc ipsa præstare per se nullo modo posset. Quartum, ad hominis reparationem necesse fuisse, vt homo iterũ Deo copularetur, quo illũ cognosceret, diligeret, & quatenus liceret, imitaretur. Quintũ (ad quod quæ diximus omnia referuntur) conueniens fuisse, vt Dei filius carnem nostrã assumeret, quò homini iam propior atque similior factus, seipsum illi & cognoscibilem & notum, amabilem & imitabilem præberet. Ea enim opera in assumpta humanitate gessit, per quæ facilè homo diuinam bonitatem, misericordiam, & charitatem agnosceret, agnitámque diligere, atque ita demùm eximia virtutum eius exempla, quæ in carne gessit, imitari posset, quibus tandem in pristinum statum & dignitatem restitueretur. Ad hanc rem latiùs explicandam bene accommodari possunt verba Apostoli: *Magnũ est pietatis Sacramẽtũ, quod manifestatum est in carne.* Quod vt aliqua saltem ex parte intelligatis,

Esaia 61. *Luca 10.* *Hebr. 11.* *Psal. 78.* *Ioan. 1.* *Gen. 41.* *Rom. 13.* *Aduentus Domini quid requirat.* *Homo quatenus imitari possit.* *1. Tim. 3.*

Angelus Tobiæ adest, quid innuat. Auditores, Raphaëlis Angeli beneficiũ, quod in Tobiam cõtulit, vobis ante oculos proponite & expendite; vt vtriusque beneficij collatione facta, posterioris huius magnitudo magis conspicua fiat. Is humana forma specie tenus, atque figura, nõ veritate suscepta, comitem se in via Tobiæ iuniori præbuit, & multis mirisque illũ in itinere beneficiis afficiens, incolumem tandem atque nouis opibus nouoque matrimonio auctum ad patrem reduxit: insuper oculis orbato patri visum restituit. *Simile.* Apis est animalculum, quod mel præbet placidis, hostibus autẽ aculeum infigit: ita sanè Christus est Rex mansuetus, est & lapis offensionis & petra scandali. In præsenti Aduentu præbet mel bonis, in futuro verò pungentem (si oblatam respuas gratiam) exeret aculeum. Modò est agnus, qui tollit peccata mũdi, posteà erit leo. Christus nobiscũ non aliter agit atque cum *Simile.* paruulo filio pater. Hic apprehensa manu filiũ sustentat, & per planiora sine offensione itinera deducit. *Diaboli calliditas qua.* Diaboli insignis calliditas olim mundum innocentem seduxit. Homo enim simplex erat, & eius non intelligens dolos, facilè decipi potuit. D. Hieron. in 17. cap. Hieremiæ aptissimam adducit similitudinẽ, ex qua clarissimè cognoscere possumus quàm prudenter sedu- *Similitudo.* ctum hominem Deus reuocauerit. Cùm, ait Hieronymus, *derelictis ouis perdicum, aliena parens incubat, fœtúsque educit, vbi posteà vera parentis vocem pulli acceperũt, mirabili quodam naturæ instinctu eam agnoscentes, alienam deserunt, veramq; sequuntur.* *Homo vt suũ agnouit parentem.* Quod sanè innocentibus hominibus contigit, qui à Deo conditi, & eius imagine insigniti, non tamẽ verum authorem & parentem suum, sed pro illo Dæmonem, prioribus illis seculis coluerunt. Qui posteà, Deo cooperante, & Euangelij voce insonante, veri Parẽtis & Principis sui vocem agnoscentes, à diaboli principatu ad illum se transtulerunt: atque ita dæmon, qui tyrãnica potestate alienas opes occupauerat, Christi *Diabolus spoliatus.* virtute in medio dierum spoliatus est. Ecclesia vtrumque hoc tempore & ruinam mũdi, & salutem atque victoriam Christi, nobis spectandã proponit. Sic videmus lætis tristia permisceri, vt vtrumque ad memoriam reuocemus. Christus per incarnationem visibilis est factus, qui alioquin est inuisibilis. *Simile.* Sol nube tegitur, vt nõ videatur; qui alioquin propter excellentem claritatis suæ splendorem, infirmis oculis cerni non potest. Hoc ipsum lucidissimus Sol iustitiæ fecit, qui se in carnis nostræ nube contexit, vt à caliginosis humanæ mentis oculis cerni posset. Visus noster est imbecillus: propter ruditatẽ nostram, *Simile.* non suo, sed nostro more nobiscum agere solet. Sic enim piæ matres

matres agere solent,quæ cum paruulis non suo, sed illorum more balbutientes loquuntur. Æterna Sapiētia (quæ plusquam materna viscera erga nos gestat) non dissimili more nobiscum agit,quò faciliùs à nobis apprehendi possit. Ipsi igitur Christo illuminatori & liberatori nostro sic studeamus gratias agere, & debitum impendere obsequium, vt demùm per ipsum subuehamur ad æternæ beatitudinis consortium. Amen.

DOMINICA II. ADVENTVS DOMINI, CONCIO.

THEMA. *Tunc videbunt filium hominis venientem cum potestate magna & maiestate.* Lucæ 21.

DIGNITAS mysteriorum fidei nostræ ingens est, imò adeò excellens, vt humana voce & oratione nequeat explicari: ipsi Angeli vix sufficiunt eius maiestatem enarrare. Hæc de omnibus religionis nostræ mysteriis meritò dici possunt,tum potissimùm de hoc quod nobis hodierna sancti Euangelij lectio proponit.Huius magnitudinem aut Angelus aliquis, aut mortuus, qui suo sit doctus periculo,explanare forsitan poterit. Exēpli loco sit diues epulo,qui inter tormentorum flammas constitutus, petebat vt Abraham Lazarum ab inferis ad suos mitteret; vt exposita tormentorum suorum acerbitate,eos perterrere faceret,ac admoneret, vt ita vitam instituerent, ne in similem incidere cogerentur pœnam.Cui cùm Abraham dixisset: *Habent Mosen & Prophetas,audiant illos:* ille contrà: *Non,*inquit,*Pater Abraham, sed si quis ex mortuis ad eos ierit, pœnitentiam agent.* Si itaque vnus ex eis ad nos remearet,qui seueritatem diuinæ iustitiæ,& vim illorum cruciatuum ante oculos proponeret, forsan multorum obdurata corda tam horrendo nuncio & metu concuteret, vt ad saniorem redirent mentem. Huius veritatis ignorantia, omnium nostrorum malorum est causa. Huic incommodo Ecclesia consulere volēs,per suos ministros vtrumque efficere conatur,quod non hominum (si rei difficultatem consideres)sed Angelorum ministerio esset efficiendum.Sufficere tamen debet hæc quæ nos vobis annunciamus, non Angelorum,sed Dei voce pronunciata esse. Attendatis igitur non ad meam tanquam hominis vocem, verùm ad ipsum Deum per nos admonentem,& extremi iudicij seueritatem ac repro-

Luc. 16.

Mortui quid sentiant.

Credere quibus debeamus.

borum dira supplicia prænunciantem. Adestote animo præsenti, vestra agitur res. An quis de eius stabili varietate dubitare audebit? Nónne hic seriò comminatur: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt?* Vt hæc tanta mysteria in animos vestros insinuare possimus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

Luca 21.

PATER NOSTER. AVE MARIA.

Sermo præsens tres potissimùm complectitur partes. Prima explicabit hodiernum Euangelium paucis; secunda describet extremi iudicij seueritatẽ; tertia eiusdẽ iudicij magnitudinem declarabit. Primò fidei nostræ articulus, qui ad sacram Domini Saluatoris humanitatem pertinet, declarabitur. Credimus quòd ille qui natus est de Virgine; qui passus, mortuus, sepultus; qui & resurrexit, ascendit ad cælum; quòd ille idẽ sit venturus, vt iudicet viuos & mortuos. Angeli ipsi Christo ascendẽte hoc ipsum testati sunt Act.1. *Ad huius tribunal omnes manifestari oportet.* 1. ad Cor.5. Ad hoc omniũ mortaliũ corpora, quamuis in puluerẽ sint redacta, diuina virtute ad vitã reuocabũtur, vt in alio Fidei articulo testamur, cùm carnis resurrectionem confitemur. Dicitur carnis resurrectio, non hominis, ne quis hoc verbo animam comprehendi putet, quæ non resurgit, cùm non moriatur. Caro ergo quæ sola moritur, sola resurget. De Dei omnipotentia nemo debet dubitare. Nostra plurimum interest iudicij huius cõditionem ante oculos habere. Huc enim tendunt tot parabolæ à Christo propositæ: vt de sagena, quæ in mare mittitur, vbi boni pisces conduntur in vasa, mali verò foras mittũtur. Parabola de Virginibus idẽ declarat. Idem etiam zizaniorum & boni seminis parabola ostendit. Hanc doctrinam tum Christus docuit, tum, vt Apostoli docerẽt, voluit. Petrus Apost. testatur: *Ipse præcepit nobis testificari, quia ipse est qui constitutus est à Deo, iudex viuorum & mortuorum.* Nec solùm in tempore gratiæ, sed in lege etiam, atque adeò in ipso nascẽtis mundi exordio, ante latam legem, idem voluit humano generi declarari; vt hoc veluti fræno à peccatis homines coërcerẽtur, vt scirẽt se iudicem habere, cui de toto vitæ cursu rationẽ essent reddituri. Vide epistolam Iudæ. Huius iudicis tanta est benignitas, ac si pater esset, qui ne simus rei, toties supplicium denunciat. *Nolo*, inquit, *mortem rei, sed magis, vt conuertatur & viuat.* Visus fuerat parabolis, hîc iam in hoc Euangelio non parabolis, sed aperta narratione agit, his verbis: *Erunt signa in Sole & Luna, & stellis, & in terris pressura gentium,* &c. Ostendit Saluator

Articulus fidei de resurrectione tractatur.

Anima immortalis.

Matt. 13.

Matth.25.

Act.12.

Iudæ Apost.

Ezech.18.

Signa in extremo iudicio qualia.

Saluator in rebus omnibus superis & inferis, cælestibus ac terrestribus, signa futura admiranda & horrifica portenta. Immutatis enim cælorum virtutibus, consequẽs est, vt omnia deinceps quæ sub cælo sunt, & à cælesti virtute pendent, immutentur. Solet enim diuina prouidẽtia insignes strages aut signis aut Prophetarum vocibus prænunciare. Sic antequam Antiochus Rex Iudæis illam insignẽ cladem intulisset, portentis declarauit. Vide apud Iosephum quid bellum Iudaicũ præcesserit. Sic tempore Gregorij in Italia contigisse, idem commemorat Pontifex. Si igitur hoc diuinæ prouidentiæ familiare est, consequens profectò erat, vt ante totius orbis excidium horrenda signa præcederẽt, quæ cæteris omnibus tantò essent formidabiliora, quãtò grauiora mala portenderẽt. Dominus creaturam armabit in vltionem inimicorum, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra incusatos. Vide nostrũ planè præposterum studium, qui de rebus nihili, id est, temporalibus, tãto studio digladiamur, at de salute animæ vix per somnium cogitamus. Nónne thesaurisamus nobis iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei? Vulnera corporis statim curamus, at animæ, quæ lethalia sunt, parum curamus. Quomodo sensum habere dicuntur, qui hac mente, imò demẽtia præditi sunt? Quid consequatur ex his signis, Saluator exponit. *Arescentibus hominibus præ timore & expectatione.* Omnes nostras curas & cogitationes à terrenis rebus abducere deberemus, vt docent sacræ literæ; at nos serpentũ more, toto animo terræ adhæremus, vt cælestia cõtemnere videamur. Videmur dicere: *Quæ supra nos, nihil ad nos.* Hinc sanè metus, tremor & corporis macilentia. *His fieri incipientibus, respicite.* His signis clarẽtibus, iusti capita sua leuare, id est, exultare iubentur, quòd dies ille, in quo ab omnibus malis redimendi sint, sit prope. Quæ improbis sunt horrori, eadem erũt electis solatio. Quid hac sorte fælicius? Sequitur, *Tunc videbunt filium hominis venientem in nube.* Iudex improbis timore perculsis, mundo flammis absũmpto, mortuis ad vitã reuocatis, è cælo descẽdet omnibus conspicuus. Precor, Auditores, adestote præsentes, videbimus iudicij pelagus. Multa hîc sese offerunt. Offert se iudicis seueritas & maiestas. Primus aduẽtus fuit in summa paupertate, posterior in maiestate. *Veniet comitatus in nubibus lucidis*, id est, Sanctorum Angelorum millibus. *Ecce veniet, & quis poterit cogitare diem aduẽtus eius?* Iudæi in monte Sinai non poterant ferre eius maiestatem: in horto furore pleni, proni ceciderunt; quis tunc poterit? *Inebriabo sagittas meas sãguine, & gladius meus deuorabit carnes.*

2. Mach. 5. *Ioseph. li. 6. & 7.* *Sap. 5.* *Studium nostrũ præposterum taxatur.* *Iusti exultare iubentur.* *Iud. Apost.* *Malac. 3.* *Deut. 32.*

In

In primo Aduentu misericordia supra modum apparuit, similem vtique expectare debemus iudicij districtioné. Antiochus maximam Iudæis intulit cladem. Scriptura tamen ait, Deum tunc temporis modicum fuisse iratum populo suo. Quid quęso faciet, cùm non modicum, sed sine modo iratus totum iræ suæ impetũ illo die in sceleratos effundet? Hæc vobis cũ Propheta expendenda relinquo. Ait ille: *Ignis accẽsus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima.* Quid autẽ impij animo sint reuoluturi, exemplo diui Pauli cognoscere licebit. Hic enim in illa subita ruina tremens ac stupens ait ad Dominum: *Domine, quid me vis facere?* Si tanto tremore concussus Apost. fuit, cùm vindicem Deum agnouit, quem anteà despexerat, quo quæso stupore impij concutientur, cùm Christum in tanta maiestate venientem cernent, cuius omnia mandata spreuerunt? Hîc non agetur blanditiis, sed minis, sed districto gladio. Tantus erit stupor, vt D. Chrysost. longè acerbius esse dicat, vultum iudicis iratũ cernere, quàm mille perpeti gehẽnas. Hîc causæ omniũ examinabuntur, & libri exigẽdæ rationis proferentur. Hîc nomina tum bonorum tum malorum adscripta sunt. Omnia sunt nuda & aperta diuinis oculis. *Posuisti iniquitates nostras in conspectũ tuo; seculum nostrum,* id est, totius vitæ nostræ cursum, *in illuminatione vultus tui.* Videmus nos cuncta agere in oculis cunctà cernentis. Magna nobis indicta est probitatis necessitas. Hæc Sapiens cap. 1. pertractat. Vide eius iudicis exactã sciẽtiam. Trecenti & eo ampliùs anni transacti erant, cùm Deus Sauli Regi per Samuelem denunciauit: *Recensui quæ fecit Amalech Israëli. Nunc ergo vade & percute Amalech.* Ecce quã promptus fuerit in memoria. Hîc omnes tam electi quã impij, sua propria, tum aliorum omniũ hominũ velut depicta cernent peccata, imò tanquam in speculo formam actionum videbunt. Sententia iudicis infallibilis sequetur. Hæc sanè huic operi extremam imponet manũ: ibi pij ibunt in vitã æternam, improbi ad supplicium sempiternum. Pij seruantur, quod gratia Dei est: impij damnantur, quod culpa ipsorum est. Deus mortem non fecit. Sentẽtia illa erit irreuocabilis. Samuel olim lugebat Saulem, at frustra. O infelices illi! Felices Apostoli, qui in tormẽtis gaudebant. Felix Lazarus vlceribus plenus. Felix ille Latro cõfitens Christum. *Domine,* inquit Diuus Augustinus, *hîc vre, hîc seca vt in æternum parcas.* Si autem certus esse vis de salute, consule Diuum Apost. Petrum: *Satagite per bona opera vocationem vestram certam facere. Hoc fac,* inquit Saluator, *& viues.* Hanc eandem veritatem omnis Sanctorum vita confirmat.

Dominus

Deut. 32.
Act. 9.
Apoc. 20.
Deus omnia videt.
Psal. 89.
Liber vitæ qualis.
1. *Reg.* 15.
Peccata nostra videbimus.
Matth. 25.
Sap. 1.
1. *Reg.* 15.
August.
2. *Pet.* 1.
Luc. 10.

Dominus hanc ſuam ſententiam ſolito confirmat iuramento. *Amen*, inquit, *dico vobis, non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.* Veritas ſanè ipſa non poteſt mentiri. *Generatio hæc*, id eſt, hominum genus: vt illud; *non deficiat fides tua*. Videmus in præteritis temporibus omnia contigiſſe iuxta vaticinia Prophetarum; ita certum erit etiam in futuris euentura omnia. Collaudat Joſue populum, quòd paruerit Domino Deo: ſi autem non perſeuerauerit in eodem ſtatu, mala ei non deerunt. Nos ergo, Auditores, qui promiſſam Dei miſericordiã iam ſuſcepimus, certiſſimè ſciamus iuſtitiæ ſeueritatẽ extremo tempori reſeruatam, ſi ab illius legibus & obedientia deſciſcamus. Iam ad alteram ſermonis noſtri partem, quæ ſit illius extremi iudicij ſeueritas, tranſeamus. *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube.* Agimus de duobus Aduentibus Domini: alter eſt ſummæ miſericordiæ, alter ſummæ iuſtitiæ: vbi non in aſello, ſed in nubibus cæli, choris Angelorum & Sanctorum millibus ſtipatus, vehetur. Hunc aduentum horrenda ſigna præcedent, quæ eum prænuncient. Huius ſanè inculcatio nos meritò ad vitæ melioris ſtudiũ prouocare deberet: at neſcio quo ſtudio nos ducamur, vt quò plus nobis de eo inculcetur, eò minùs à vanitate abſtineamus. Myſteria fidei noſtræ igni cõparantur. Ignis comburit: at ſi illum leuiter contingas, non adurit: ita ſi leuiter myſteria fidei contrectes, non ſenties eorum vim. Oportet illis immorari, & tunc pectora noſtra algentia incendent. Vt autem noſtræ conſulatur ſocordiæ, extremi iudicij imaginem, quæ nos à vanitate abſterrere deberet, nobis proponamus. Tria hîc, quæ extremi iudicij grauitatem exprimunt, paucis attingam. Primùm quidem incorrupti iudicis integritatem. Secundùm, reproborũ inexcuſabilem prauitatem. Poſtremò grauitatem ſententiæ, quæ contra eos feretur. Iudex ille incorruptiſſimus eſt. *Mundi* (inquit de illo Propheta) *ſunt oculi tui.* Reus eſt homo peccator, qui bibit quaſi aquam iniquitatem. Vide quę nocentis iniquitas, quæ iudicantis æquitas, quale illud erit iudicium. *Qui iudicat, Dominus eſt*, imò ſumma æquitas, ſumma ſanctitas. Non hîc erit iudiciũ humanum, vbi fraudibus plerumque agitur; ſed diuinum, vbi nihil erit fucatum, nihil abſconditum. Non erit hîc aliquis perſonarum reſpectus, opes & potentia prorſus inania erunt. Ne timueris cùm diues factus fuerit homo. Felicitas huius mundi adeò eſt breuis & momentanea, vt aranearum telis, quibus nihil fragilius, comparetur. O vanas hominũ curas! ô ſumptuoſè excitatas domos! Vide apud Prophetam de vanitate hac deteſtabili:

Ioan. 14.

Luc. 22.

Ioſ. 23.

Iudicij extremi ſeueritas.

Simile de igni.

Abac. 1.

1. ad Cor. 4

Iudicium extremum quale erit.

Pſal. 48.

Esaia 2. *Oculi sublimes hominis*,&c. Vidimus iudicis veritatẽ,iam iudicandorũ expẽdamus excusationes. Omnes comparebunt tum fideles tũ infideles in illo extremo iudicio. De infidelibus iudex pronũciauit: *Qui*,inquit,*non credit, iam iudicatus est.* *Qui*,ait Apost.*sine lege peccauerũt, sine lege iudicabuntur*. Horũ qui per legem peccauerũt, multiplices erunt excusationes,quas Dominus in Euãgelio partim enarrat. Apud Matth. omnes operarios iniquitatis iubet discedere. Apud Lucam cõfidentiarios se nescire dicit. Sunt multi solo nomine Christiani,confidentes in externis cæremoniis,qui foliis sine fructu persimiles sunt. Hos omnes tanquam virtutibus vacuos, ignorat ille iudex. *Populus hic me labiis honorat, cor autem eorum longè à me est.* Horum exercitia abominauit Dñs. Ne offeratis vltra sacrificia frustra. Opera sine charitate & iustitia,apud Deum inutilia sunt. Vide quid de illis fiet,qui flagitiis omnibus cooperti sunt, qui alios ad peccandũ prouocant. Nolo hîc hæreticorum confidentiam, imò temeritatem confutare,qui sola sua nuda fide,Deo etiam repugnãte,saluari volũt. Hic iustus & incorruptus iudex operũ maximè habebit respectum: iuxta opera vnicuique reddet. Ne animum despondeamus,habemus refugium ad Christum,qui est propitiatio ꝓ peccatis nostris,qui est apud Deũ aduocatus noster: ipsius mysteriũ crucis,nostrũ est asylum vnicũ. Latroni patuit paradisus per Christi passionis virtutẽ. Omnes pij fœliciter per eius mysteriũ de diabolo triũpharũt. Hic Christi sanguis efficaciùs clamabit,quàm Abel. Illo die omnis salutis spes contra improbos est interclusa. Postremò iudex,cõtra iniquos, qui nihil habẽt quo se excusare possint,sententiã,quæ in æternum durabit,pronunciabit. Hîc mali illi petrarum scissuras,& rupiũ latebras desiderabũt,in quibus possint delitescere,& mõtibus dicẽt:*Cadite super nos*; & collibus,*operite nos*,nec vllum erit perfugium. Hîc piorum,qui apud cogitationes diuitum vt lampas cõtempta fuerunt,maxima erit & summa fœlicitas. Ad improbos dicet: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Quid miserrimi tunc sentiẽt,cùm illa fœlicissima benedictione, quæ eis & sanguine Christi empta, ac in baptismate promissa fuerat,perpetuò se abdicari videant? Reuocemus in mentem quid Esau acciderit, cùm patris benedictionẽ amisit. Hoc sanè in loco apertè nostræ cæcitatis & stultitiæ imago descripta est. Videte quomodo leuissimum edulium rei preciosissimæ prætulerit: posteà leuitatem suam maximo eiulatu ac lacrymis deplorauit,at frustra & serò. Tales sumus hodie plerique, Auditores, qui tam facilè tot lethalia crimina committimus, quibus

Marginal notes: *Ioan. 3.* *Rom. 2.* *Cap. 7.* *Cap. 13.* *Matt. 21.* *Marci 11.* *Esa. 29.* *Hæreticorum mores quales.* *Crux Christi saluat.* *Iconoclastæ videant.* *Iob 12.* *Matt. 25.* *Gen. 27.*

quibus nos æterna benedictione priuamus. Quis stupor erit impiorum, cùm meminerint se propter tam vile ferculum voluptatis, tantæ gloriæ iacturam fecisse: *Discedite à me*, inquit. Quò? *in ignem æternum*, in tetrum carcerem, in flammas, quæ diabolo & angelis eius paratæ sunt. O quàm amarus tunc erit fletus & fructus momentaneæ voluptatis, qui tam suauis olim videbatur. *Fauus distillans labia meretricis, nouißima autem illius amara nimis.* Hæc certè tam vera sunt, vt nihil possit verius excogitari: tã nostra, vt nihil magis ad nos pertinere possit. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum: inquiramus sedulò, quid facere nos oporteat, quo saluemur. Discutiamus anteactam vitam solicitè, eamque per pœnitentiæ lamenta purgemus, & sacram Eucharistiam frequentemus. Firmum non peccandi propositum animo cõcipiamus, ac precibus atque misericordię operibus sedulò insistamus. Iam porrò sermonis nostri tertiam partem, quæ extremi iudicij magnitudinẽ explicabit, aggrediamur. Deus admodùm districtè iudicat & seuerè punit: & quia hac ignoratione, quæ omniũ malorum causa est, licentia manauit; verba Ioëlis membri huius præbent initium: *Magnus*, inquit, *dies Domini, & quis poterit sustinere?* Dies inquit Domini: magnum sanè aliquid voluit designare. Magnus sanè ille dies futurus est, qui in se omnia complectitur tempora, & omnes omnium seculorum dies. In illo die omniũ dierum ratio est reddenda; & quales in eo fuerimus inuẽti, tales deinceps in omni æternitate permãsuri sumus: quia in illo die homo inueniet quod in æternum mutare non poterit, ait D. Gregorius. Sunt autem multa in sacris literis de hoc die memorię prodita, per quæ formidabilem eius magnitudinem cõiicere licebit, vt est signorum magnitudo. Hoc tempore apparebit ille homo peccati & filius perditionis. Huius tyrannidem describit Ioan. in Apocal. vbi verè Antichristus intelligitur per bestiam. Huius mores hæretici nostræ ætatis æmulantur. Ad illum diẽ Domini omnes homines, qui ab initio mundi fuerunt, vsque ad finẽ aduocabuntur, ipsi etiam infantes. Neque animæ solũ, sed corpora etiam animabus reddita. Hic non erit locus procuratorũ, sed omnes per se adstabũt virtute tubæ. Deo nihil est impossibile. Sicut reproborũ corpora quæ peccauerunt, luent supplicia; ita & Sanctorum, quæ bona fecerunt, habebunt gaudium. Magnitudinem diei huius, Dei patientia in peccatores, cùm hunc tot, illum tot annos peccantem, sustinuerit, exaggerabit. Vide qua ratione tibi vita concessa; non vt ventri, sed Deo inseruires. Patientia sæpiùs læsa, fit furor. Videant hîc qui præsunt ne aibi

Prou. 5.

Salus nostra sedulò quærenda.

Ioel. 2.

Luc. 21.
2. Thes. 2.
Apoc. 13.

Apoc. 20.

1. Thes. 4.

Præsides vigilare debent. arbitrentur se planè liberos, ne suis blandiantur vitiis, ne quoque ad subditorum conniueant vitia, ne aliorum peccatis se obnoxios reddant. Ne putes Deum oblitum tuorum peccatorum, cùm tu oblitus sis. Hîc etiam otiosorum verborum meminit. Audi Iob: *Signasti*, inquit, *quasi in sacculo delicta mea.* Job 14. Soph. 1. *Scrutabor*, inquit ille, *Hierusalem in lucernis*. Ioannes de libro Apoc. 20. vitæ facit mentionem; in eo omnia nostra tum opera tum verba diligenter sunt inscripta. Licèt nos ludamus & rideamus, causa nostra coram iudice tractatur: quod modò dulce videtur, dies Domini amarescere faciet. Ibi erit ille accusator fratrum, & ita constringet, vt ad obiecta nihil queas respondere. Dæmon accusator. Matt. 25. *Ite*, dicet Iudex, *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Ibi blasphemabunt viuentem in secula, ibi parentes filios, & filij parentes, & natalem diem execrabuntur. Quæ cùm ita sint, diligenter cogitandum est, quid faciendum nobis vt saluemur. Abac. 2. Audiamus Prophetam: *Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem, & considerabo quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me.* Custodiamus mores & sensus nostros. Vitia nostra opportunè depellamus, ne arguamur. Vitemus minora ne incidamus in maiora. Alienum apud nos non maneat, ne ob auaritiæ siue rapacitatis crimen damnemur. Vita nostra corrigēda. Si ita vitam nostram instituerimus, non dubium quin clementem experiamur Iudicem: quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu sancto, per omnia secula viuit. Amen.

DOMINICA TERTIA ADVENTVS DOMINI, CONCIO: IN QVA EVANgelica lectio potissimùm explanatur.

THEMA, *Cùm audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos ex discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Matth. 11.

HÆc prima lectionis Euangelicæ verba magnam nobis, Auditores charissimi, admirationis causam afferũt. Ioannes Baptista ab vtero matris suæ Spiritu sancto plenus, in vincula tanquam sicarius & parricida & seditiosus coniicitur ac vincîtur. Mirabile sanè non est, neque nouum, si mundi mores & ingenium spectare velis. Ioannes optimus vincîtur, Herodes impuris-

floret, & hæc æquus Iudex tolerat. Vtrorumque autem finis, qui rem semper æqua pōderat lance, intuendus. Scimus animæ nostræ hostes tres potissimùm, quos euitare debemus, esse: hîc mundus potissimùm numeratur. Vide autem, mundus, non Dei pulchrum opus, sed homines qui Dei Spiritu & gratia destituti, suæ obsequūtur libidini. Arbor ex fructibus cognoscitur, ita sanè & mundus. Mundo dediti homines hîc regnant, hîc florent: qui autem minùs quæ mundi sunt, curant; iacent, contemnuntur. Et hæc quæstio apud multos admodùm est difficilis. Vnde ait ille: *Quare non respicis super iniquè agentes, & taces impio deuorante iustiorem se?* Admiratur & Propheta Hieremias: *Quare via impiorum prosperatur?* Item regius Propheta: *Zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.* Responsio in promptu est. Lex cultoribus suis tanquam obedientibus promisit felicitatem, prçuaricatoribus pestem: ex rerum igitur euentu omnia metiebantur. At vbi noua lex & gratia (quæ nō carnalia sed spiritualia pollicetur) in mundū venit, & sui legislatoris mores saperet, is corporis & vitę incommoda nobilitauit. Hic semper paupertatem opulentis prætulit, & pauperes beatos pronūciauit. Iudæi appetebant terrena, nos cælestia desiderare debemus. Qui hæc terrena abiecerūt cælestium amore, semper beati habiti sunt. Vide martyrum constantiam, qui non duntaxat bona, verùm ipsam vitam vilipenderunt. Sic Ioānes hic abiectus tanquàm peripsema, Herodes Rex florens. Perpende de falcone & gallina. Ioannes Herodem lucrari ad salutem nitebatur; at hic insani instar, refugiebat. Referebat planè mundi ingenium, id est, malè habētis & frenetici; at ille medici optimi. Quòd si talem constat esse mundū, qualē hæc eius opera declarāt, cur illi tantopere fidimus? cur eius laude aut vituperatione commouemur? Si famulo tuo in furto aliquo aut mēdacio deprehēso nihil fidere, nihil vel iuranti etiā credere soles: & si quid è domo tua furto sublatum est, illum surripuisse iudicas, quē semel furē agnouisti: quid mundi iudiciū & sententiā magni facis, quem scis tot furta & flagitia cōmisisse, totque mendacia protulisse, tot iniquas sententias cōtra tot Christi Martyres, tot sanctissimos Prophetas, contra Confessores, contra ipsum Prophetarum Dominum protulisse? Heu! nimium huius beluæ iudicium facimus, imò eius decreta Dei legibus præferimus. Hac iam omissa parte, ad Ioānem redeamus in carcere positum. Vir sanctus finē vitæ sibi imminere cernens, in carcere constitutus, ex discipulis suis mittit duos ad Dominū dicens: *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Mandat Ioānes: Túne es ille quem

Mundus qualis in pios sit.

Abac. 1.
Hier. 12.
Psal. 72.

Carnalia qui appetant.

Beati dicendi qui.

Simile.

Prophetæ venturũ prædixerunt?quem Sibyllę cecinerunt? quẽ Patriarchæ figuris adumbrarunt?quem omnia secula desiderarunt?& à quo vno Sanctorum omnium spes & vota pendebãt, qui venturus es ad Deum placandum,ad homines redimẽdos? ad Dæmonum potentiam comprimendam? qui caput antiqui serpẽtis contereś?qui fores cæli reserabis?Ioannes hic Baptista nullo modo est dubius,qui tot & viderat,& cõfessus fuerat diuinitatis argumenta,Simeone Christo congratulante præstantior. At Ioannes non sibi,sed discipulis in fide nutantibus consulere voluit. Erat morti iam proximus,quo tẽpore solent morituri,quæ charissima habent,fidissimis tuenda cõmittere amicis. Discipulos habuit charissimos, quos Christo lucrifecerat, quos & in ea religione conseruare studuit. Non potuit habere tutorem meliorem Christo. Mittit illos qui adhuc erant rudes, ad Medicum vitæ. Vide charitatis verę ingenium,quæ alienam miseriam suam ducit. Hæc flet cum flentibus,gaudet cum gaudentibus. Hoc perfectæ charitatis officium cumulatissimè ipse Christus præstitit. Videmus in plurimis Sanctis,qualis sit perfectæ charitatis natura. Verũ mores nostri,quales,quàm longè ab istis! Charitas planè auolauit, dominatur cupiditas,sunt tẽpora periculosa. Dominus legationis huius intelligens consilium,non verbis,sed rebus tale de se perhibet testimoniũ,quod Ioannem valde expetere sciebat,idque ante discipulorum oculos editis multis miraculis. Olim multi petierunt à Christo signa,Herodes,Pharisæi:Ioãnes hic ex nimia charitate signa nõ expetens,obtinuit. Quia verò priores malè petebãt,ideò repulsam passi sunt. Saluator interrogatus an mũdi redemptor esset, non verbis,verùm rebus respõdit:ita & tu qui Christi es cultor, & esse vis sedulus;non verbis,sed rebus ipsis hoc testari debes. Sunt enim qui *confitentur se nosse Deum,factis autem negant. Dilexerunt eum in ore suo*,&c. Ille est Dominus noster in veritate;ita & nos illius serui esse debemus fideles. Ad propositã Ioãnis nomine quęstionem ita Dominus respondit: *Euntes renunciate Ioanni quæ audistis & vidistis*,&c. Signa profert veri Messiæ,quæ olim Esaias futura prædixerat. Quo in loco aduertẽdũ est,omnia quę à Christo Dño hîc referũtur,nõ signa modò,sed etiam beneficia hominibus exhibita esse:vt per signa quidem verum Messiam,per beneficia verò Deum agnosceremus,cuius pręcipuum munus est semper de hominibus bene mereri. Hoc autem potissimùm argumento apud Hierem. Dominus veram diuinitatis gloriã,& falsorum deorum inanitatẽ apertè probat. Is iuuandis hominibus intentus semper: ab illis nihil horum

Christus spes omniũ sanctorũ.

Tutor optimus quis.

Charitatis ingenium.

Religio nostra declaranda.

Tit. 1.

Esa. 35.

Dei propriũ quid sit.

vel peti vel sperari possit. Vide alia apud Baruch ex Hieremiæ ore. Alia illa quæ de Domino nostro prædicãtur, quòd ipse cæcos illuminat, elisos erigit, & mortuos ad vitam reuocare potest. *Deus iustus & saluans non est præter me.* Hac ratione, his signis & benignitatis officiis vult à nobis Dñs agnosci; hæc agnitio amorem in illum auget, fidem roborat, spem nutrit. Sic in principio Moysi non ait: *Sum Dominus cælorũ & Angelorum:* sed, *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob.* Hos electos mihi tuendos suscepi. Hoc nomine ab hominibus agnosci, diligi volo. Perinde ac si Rex aliquis non suam potentiam, sed liberalitatem prædicari apud omnes vellet. In hunc Deum, Auditores, nostros coniiciamus oculos, hũc toto affectu colamus. Hoc ergo Dominus Ioanni renunciari, & in illo nobis omnibus, mandauit: vt sciamus illum esse, qui cæcos illuminat, claudos sanat, leprosos mundat, mortuos in vitam reuocat, & pauperes spiritu bonis omnibus ditat, perpetuóque in iuuandis hominibus intentus est. De his signis vbique in Euangeliis videre est. Sed cũ hæc omnia veri Messiæ signa miranda sint; non minùs mirabile est, quòd pauperes potissimùm Euangelizari, hoc est, beatificari perhibentur. Hîc nõ erit humanum iudicium, quod temerarium est, expendendum. Hîc diuites & potentes beati prædicantur; at in Christi Republica singularis quidam pauperibus honor tribuitur. Parcet pauperi & inopi, & animas pauperum saluas faciet. Horum potissimùm causa Christus venit, vt participes faceret, & fierent gratiæ Euangelicæ. Hæc gratia per lætum Euangelij nuntium, non superbis, non elatis, sed pauperibus spiritu, hoc est, humilibus, exhibetur. Neque id mirum videri debet. Superbi enim homines, & seculo seruientes, hanc Christi gratiam parui pendunt: vtpote qui cupiditatibus suis obsequi, quàm ab eis liberari malunt. Vide qui suis vlceribus viuunt suauiter, qui malunt laborare scabie, quàm sanari. Hos omnes improbi imitantur: qui terrenis opibus & voluptatibus incubantes, medicum salutis, qui eos à pestiferis animi morbis sanare cupit, reiiciunt. Qui quidem duplici nomine deplorandi sunt; & quòd miseri sunt, & quòd esse volunt. Hos sanè miseros, cæcos, rectè noctuis, & pueris qui papiliones venantur, id est, stercus, comparaueris. Sic etiam pisces, cùm se escam inuadere arbitrãtur, in hamum vermiculis circumuestitum, incurrunt, qui quidem pro sperata voluptate amaritudinẽ & mortem infert. Hoc modo sperata & diu quæsita felicitas mundi, miseros amatores eludit. Addit Dñs: *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* Inuidiam discipulorũ Ioãnis, quo Christi gloriæ

Baruch ex ore Hier. *Psal. 145.* *Esa. 45.* *Psal. 67.* *Deus vt agnosci à nobis velit.* *Pauperes vt euãgelizentur.* *Psal. 71.* *Esa. 61.* *Euangeliũ quibus potissimùm prædicatur.* *Pueris qui simil. sint.*

subinuidebant, taxat. Scandalizabantur in Christo Pharisæi; *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* & scandalizabantur in illo. Vide hîc modestiæ Christi in discipulos Ioannis signũ euidens. Simili exemplo ad modestię virtutẽ nos incitemur, ad quod nos Christi exẽplum prouocat. Habemus & hîc fraternæ correctionis documentum. Taxantur autem multorum mores austeri, qui, quæ carnis sunt, sapiunt. *Beatus*, inquit Christus, *qui non fuerit scandalizatus in me.* Si quid in Christo Saluatore nostro est infirmitatis, non propter ipsum, verùm ob nostram salutem & commodum illud assumpsit. Hæc sanè deformitas (quã & Esaias in eo vidit & prædixit) nobis eum amabiliorem reddere debet. Sanctus Pontifex de eo scribit: *Stultum hominibus visum est, vt pro hominibus auctor vitæ moreretur: atque inde contra eum homo scandalum sumpsit, vnde amplius ei debitor fieri debuit.* O magnam cæcitatem! *Illis autem abeuntibus cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioãne, Quid existis?* Laus est à laudato cõmẽdari. Ioannes nõ est arũdo mobilis, cuius tanta firmitas & constantia extitit, vt ne mortis quidẽ metu potuerit ab officio & iustitiæ veritate deterreri. Ioannes de Christi aduentu non fuit dubius, nõ fuit arundo instabilis. Nos autẽ valde sumus instabiles ac incurij, dum tam citò de nostro officio deflectimus: quod Apost. valde improbat: *Doctrinis variis nolite abduci:* monet ne quolibet vento circumferamur. *Esto*, inquit Sapiens *firmus in via Domini, & in veritate sensus tui.* Propheta regius omnes improbos pulueri similes esse ait, quem proiicit ventus à facie terræ. Hic prauæ mentis leuitas & ebrietas taxatur. Homo ebrius persimilis est arreptitio, imò insano miserabilior: quoniam qui à Dæmone impellitur, non est accusandus, quum id suo vitio non patiatur: ille iure damnatur, qui cũ ratione valeat, pecudũ tamẽ more, cupiditatibus & libidinibus suis se regendum permisit. Iam de diuitibus & potẽtibus huius seculi, qui palearum instar, virtutibus vacui; nónne rectissimè arundinibus assimilantur? Atqui vtinam nostrum vaticinium, quum illis minimè inuideamus salutem, fallerent. Non incongruè illos sepulchris dealbatis comparaueris. Hypocritæ foris mentiuntur sanctitatem, qua tamen intus carent; at nostri diuites & potentes nihil curant, fastu felicitatem præ se ferunt, & tamen variis curis conflictantur. Quid enim infelicius quàm furori & libidini parere, & variis cupiditatum pestibus agitari? Exemplo nobis sit Achab Rex Israël, qui vineã Naboth, quam iure obtinere non potuit, violentia & improbitate occupauit. Vide & Saulem Regem impotẽtẽ, qui adeò innocentis Dauidis sangui

Ioan. 2.

Christi infirmitas nobis profuit.

Esa. 53.

Hebr. 12.

Eccl. 5.

Psal. 1.

Insani qui dicendi.

Ebrius est insanus.

Diuites ac potẽtes taxantur

Matth. 23.

3. Reg. 21.

3. Reg. 22.

sanguinem sitiuit, quantas ei struxit insidias; & minimè ei Deo ita volẽte, nocere potuit. Vides in eo, eique persimilibus, miserum animum arundine inconstantiorem. In huiusmodi arundinibus Dæmon requiescit & latitat. Ioãnes longè abfuit, qui intus gratiis redundabat, foris vilis apparuit. Hinc etiam præcipuum quoddam inter bonos malósque discrimen colligere licet. Malorum gloria ac nitor est externus: eorum verò intima fraudibus, angoribus, variisque cupiditatibus scatent. Contrà verò bonorum decus & gloria, ab oculis hominum abscondita diuinis maximè luminibus conspicua est. Latent hominum oculos, at viuunt Deo. *Mortui*, inquit Apost. *estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* O beata & secura conditio eorum qui pietatem colunt! Sequitur deinde: *Sed quid existis videre hominem mollibus vestitum?* Ioannes à suæ sanctæ vitæ (præsertim quæ ad corporis vsum pertinent) austeritate commendatur. Ioãnes referebat vt in Spiritu, ita & vestitu Eliam. Ioannes, & omnes sancti eodẽ Spiritu ducti, ferè omnes paupertatẽ & vitę asperitatẽ sectati sunt. Sic omnes antiqui Patres, Antonius, Paulus, Hilarion, & alij, in eremo in mira viuebant abstinentia: imò etiam illi qui in mediis hominũ turbis degebant, vitæ necessariis carebant, vt D. Gregor. Bernardus, Basilius: sic enim de eo legimus: *Erat enim Basilius in victu cultúque parcissimus: vna tantùm tunica se amiciebat, humi cubabat, totis ferè noctibus vigilabat.* Quid de sancto Seuerino Archiepiscopo Coloniensi dicam? qui inter delicias frugalissimus erat? Nónne hic Ioannes, quo nemo inter natos mulierum surrexit maior, asperrimam duxit vitam? Austeritatis vitæ nullum extat præceptum, at obseruationis præceptorum Dei; & tamẽ vitæ austeritatem omnes sancti amplexi sunt. Causas, quare hanc virtutem sancti sint amplexi, assignemus. Prima, quòd carnis petulantiam, quæ deliciis fouetur, abstinentia debilitatur, domare volebant. Secunda, vt cupiditatem, quæ carnis indulgentia existit & superbia, amputarent. Tertia, vt carnẽ macerãtes, Deo pro admissis in vita criminibus satisfacerent. Quarta, vt Christum Dominum, cuius tota vita inops, aspera fuit, imitarentur. Quinta, vt amorem sui, qui fons est omnium malorũ, contrariis actionibus expugnarent. Vt enim hic amor indulgẽtia carnis, & molli corporis victu atque cultu nutritur: ita contrà asperitate atque inedia opprimitur & expugnatur. Quo enim propiùs accedis ad ignẽ, eò magis adureris. His igitur de causis viri sancti virtutis huius studiosissimi sectatores exstiterunt. Vide nostram insaniam, qui omnia vitæ studia eò

Mali nitent foris, intus boni.

Colos. 3.

Vita sanctorũ frugalissima.

S. Seuerinus Arch. Colon. abstinentissimus.

Sancti cur tam austerè vixerũt.

Ioannis & diuitis cōtraria studia. referimus, vt carnem blanditiis præsentium voluptatum deliniamus. Nónne sanè domesticum hostem nutrimus? Hanc virtutem, id est, inediam, licèt asperam, quæ nos in officio retinet, imitari contendamus. Impossibile est de deliciis ad delicias transire. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* *Gala. 5.* Carnis desideriis reluctari, est opus veræ charitatis. Quò enim quis magis diligit Deum, eò magis odit peccatum. *Qui*, inquit Propheta, *diligitis Dominum, odite malum.* *Psal. 96.* *Charitatis veræ signū quale.* Sicut enim pari affectu homo & vitam diligit, & mortem odit; ita simili ratione vir iustus & Deū diligit, & peccatum detestatur: quandoquidem ista duo non minùs quàm vita & mors inter se dissentiunt. Quisquis enim peccatum valde odit, is etiam carnem suam, vt seminarium delictorum, odit. Qui verò eam tali odio insectatur, is vtique abstinentia, nuditate, eam omni ratione attenuare, & spiritui subiicere conabitur. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* *Ioan. 12. Luc. 9.* Tale sacrificium scilicet mortificatio carnalium affectuum, nō minùs placet Deo, quàm immolatio Abrahæ. *Genes. 22.* At vnusquisque nostrûm suum habet Isaac, nempe corpus suum: hoc simili pietate ac deuotione, rationabili obsequio Dn̄o offerre debet. *Corpus nostrum domandum.* Hoc est autē genus illud sacrificij, quod in præcipuis solennitatibus olim Dn̄s à filiis Israël exigebat, cùm iis diebus animas suas affligere, hoc est, abstinentia & inedia corpora sua macerare præcipiebat. Cæterùm si hoc sacrificium solennibus potissimùm festis exhibetur, instat nunc anniuersaria natiuitatis Dominicæ festiuitas: ad hanc non solùm piis precibus & meditationibus, sed etiam ieiuniis, vigiliis, & afflictione corporis pręparari debemus, vt dignum tantæ maiestati paremus hospitiū. *Christi natiuitas suscipienda deuotè.* Si enim populus Israëliticus in deserto tanto se studio præparauit, vt Deum in montem Sinai ad leges illi ferendas veniētem exciperet; *Exod. 20.* quantò nos diligentiùs atque deuotiùs hoc tempore parare oportet, vt eundem ipsum Dominum excipiamus, qui nunc egreditur in salutem populi sui, in salutem cum Christo suo? Quantò enim aduentus iste dignior atque salutarior exstitit? Illic enim Deus venit ad ferendam legem; hîc ad conferendam gratiam: illic ad promittenda cultoribus suis terrena bona; hîc ad conferenda cælestia, vt beneficiis prouocaret. Illic Iudæi terrebātur; hîc omnes ad se clemēter inuitans, & voces illas pietatis & lenitatis plenissimas fundens, ait: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* *Natiuitas Domini summa deuotione suscipienda. Matth. 11.* Si ergo tanta illi cùm se præpararūt, vt Dominum formidabili ad se specie venientem exciperent; quanta nos

nos præparari debemus, vt vnigenitum Patris Filium tam placido ad nos vultu venientem, summisq́ue diuinæ gratiæ opibus circumfluẽtem, alacri & deuota mente recipiamus? Hoc autem à nobis, Auditores, huius temporis conditio expetit, hoc sincera pietas requirit, hoc Ecclesia magnis quotidie vocibus efflagitat, hoc etiam salutis nostræ ratio deposcit: quo videlicet reuerenter & piè Dñm recipientes in via, ab eodem, cùm ex hac luce migrauerimus, misericorditer recipi mereamur in patria cęlesti. Faxit Christus Iesus, Saluator noster, per mysterium suæ sanctissimæ incarnationis & natiuitatem ineffabilem. Amen.

DOMINICA IIII. ADVENTVS DOMINI, CONCIO: IN QVA LECTIO Euangelica explanatur, vbi etiam de Spirituali aduentu Dei in animam agitur.

CVM Ecclesia hoc sacratissimum tempus in hoc potissimùm destinauerit, vt nos ad excipiendum intra mentes nostras nascentem Dominum Saluatorem, & Natalem eius deuotissimè celebrandum præpararet: dignum profectò est vt Concionatores, qui Ecclesiæ ministri, Deiq́ue (vt Apostolus ait) adiutores sumus, Ecclesiæ studium opera nostra iuuemus: vósque ipsos ad hoc pietatis officium sermonibus nostris cohortemur. Ad quod nos Præcursoris Domini verba, quæ in his Euangelicis lectionibus referuntur, maximè inuitant. Cuius præcursoris officium fuit, præire ante Dominum, & parare illi plebem perfectam: ad quod illa Esaiæ verba omnium auribus inculcabat: *Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Quæ quidem sententia frequenter à nobis hoc sacro tempore & tractanda & repetenda est: quandoquidem quidquid Ecclesia à nobis his diebus exigit, breuissimè comprehendit. Quod vt digniùs præstare possimus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, solita oratione imploremus.

1. Cor. 4.

Ioãnis Baptistæ officium

Esaia 40.

Domini via parãda quomodo.

PATER NOSTER. AVE MARIA.

Ioannẽ Baptistã Angelũ illũ fuisse, de quo Dñs per Prophetã dixit: *Ecce ego mitto Angelum meum & præparabit viam ante faciem meam,* superiùs audistis. Via autẽ qua Christus in hominũ

Mal. 3. Matth. 11.

animam venit,eſt fides : hac ſternitur & paratur : quamuis non ſola adeſſe, ſed charitate etiam, pœnitentia, cæteriſque virtutibus exornari debeat. Fidei multum tribuitur: hæc eſt enim prima radix & ſalutis initium, qua mentis noſtræ domicilium venienti Chriſto adornamus. Quia verò inter omnia, quæ hominibus credenda proponuntur, maximè arduum & difficile erat, vt homines hominem inter mortales verſantem, & humanæ vitæ pœnis atque doloribus obnoxium, verum & omnipotentem Deum eſſe crederent: ideò locupletiſſimum Dominus huius rei teſtem Ioannẽ Baptiſtam ante illum præmiſit, qui huius tam arduæ veritatis fidele teſtimoniũ perhiberet. Et quoniam Dei opera perfecta ſunt (vtpote *qui omnia in numero & pondere atque menſura diſponit*) ideò tantam vitæ ſanctitatem, tantámque ſanctitatis opinionẽ huic teſti & Angelo ſuo contulit, vt quidem non ſolùm illi teſtimonium de Chriſto perhibenti crederent, ſed Chriſtum eum eſſe multi exiſtimarent. Hac igitur de cauſa Iudæi, qui Hieroſolymis habitabant, ſtimulãtibus Phariſæis (qui religionis & ſcientiæ nomine inſignes in populo habebantur) mittunt ad Ioannem Sacerdotes & Leuitas, qui de eo quærerent: *Tu quis es?* Interrogationem hanc non diſcendæ veritatis ſtudio, qui erant legati ex Phariſæis (cùm ambitioni & auaritiæ ſtudio addicti eſſent) propoſuerũt: ſed partim vt ipſe Ioannes vulgi opinionem à ſe amoueret; partim vt & ipſi honorem conſequerentur. Ipſi enim mirè auram popularem ſitiebant. De Ioãne Saluator ait: Ille erat lucerna ardens & lucens, & vos voluiſtis ad horam exultare in luce eius. Ille vt facula igne charitatis ardebat: vos illi adhęſiſtis, audiſtis doctrinã, baptizati eſtis ab eo: verùm vbi ille cõiectus eſt in vincula & Regibus inuiſus eſſe cœpit, ab illo deſciuiſtis. Hodie hoc ingenii multi ſunt, qui virtutem & iuſtitiam tantiſper colunt, dum illis vtilis eſt: ſi verò eis damnum aliquod aut detrimentum afferat, protinus eam deſerunt. Contra hos in Eccleſiaſtico ſcriptũ eſt: *Væ duplici corde & labiis ſceleſtis, & peccatori terram ingredienti duabus viis.* Illi hoc modo ingrediuntur, dum externa rerũ ſpecie Deum quærere videntur, interna tamen intentione ſua quærunt commoda. Sic fecêre Phariſæi, qui ad horã in luce eius exultare volebant, hoc eſt, participes eſſe honoris, at non laborum. Cùm Prophera intelligeret quo animo quærerent: *Confeſſus eſt, & non negauit, & confeſſus eſt, quia nõ ſum ego Chriſtus:* quem videlicet vulgus communi errore deceptum, arbitratur. Sancti omnes nihil ita fugerunt ac deprecati ſunt, quàm diuinum honorem. Sic Paulus & Barnabas reſtituerunt: *Viri,* aiunt, qui

Ioannis encomium.

Ioan. 3.

Euangeliũ non omnes æquo animo audiũt.

Eccl. 2.

Phariſæorũ ingeniũ.

Sanctorum mos qualis

quid facitis? & nos mortales sumus. Ita & Ioannes diuinos honores depulit. Primus parens noster hac parte, & Angelus peccarunt maximè. Qui seipsum, suas commoditates, tanquam vltimum finem aspicit, ille diuinum assumit sibi honorem. Iam qui inani gloriæ student, qui de acceptis à Deo beneficiis imprudenter gloriantur, quæ soli Deo debentur; magno laborant vitio, grauiter peccant. Qui quoque immemores sunt beneficiorum Dei, ingratitudinis crimine laborant; hi in pecudum numerum censendi sunt. Omnis autem creatura instrumentum quoddã est Dei; at ipse creator in sua actione principalis est salutis nostræ causa. Sicut enim in quolibet opificio artifex ipse magis, quàm artificis opus, causa operis esse dicitur: ita cuiuscunque naturalis actionis nostrę, Deus magis quam nos ipsi causa est. Deus est qui flatum nostrum in sua habet manu, sine eius voluntate ne spirare quidem possumus. Iniqui igitur sunt, qui tã raro de illo cogitant. Siue dormias, siue vigiles, ipse Deus est præsens, ipse naturæ auctor ac rector est. Cùm Ioannes procul à se omnem dignitatis Christi suspicionẽ humili & aperta confessione depulisset, quærũt rursus ab eo Legati: *Quid igitur? Elias es tu?* Sciebant ex vaticinio Malachiæ, Eliam in mundum esse venturum. Vide quantæ sit Ioannes dignitatis apud populum. Quæri solet in hoc loco quomodo Ioannes Eliam se esse negauit, cùm Dominus interrogantibus discipulis de eo dixerit: *Si vultis scire, ipse est Elias.* Sed facilis est responsio: Ioannem in persona quidem non fuisse, in spiritu tamen & virtute fuisse Eliam. Sic enim Angelus Zachariæ patri prædixit. *Ipse præcedet ante illum in Spiritu & virtute Eliæ.* Vide spiritum Eliæ, tum & rationem viuendi. Magis enim id quisque esse dicitur, quod Spiritu Dei est, quàm quod proprio Spiritu existit: cùm longè nobilius sit illud quod à Spiritu diuino, quàm quod ab humano proficiscitur. Ex his primò sequitur talem vnumquemque esse, qualem habeat Spiritum, & qualem sequatur vitam. Nam qui Dæmonis sectatur malitiam, Dæmon dicitur; qui canis siue lupi, canis & lupus vocatur. Christus ait: *Nónne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est?* Talis ille Iudas, qui spiritum diaboli in se habuit agentem. Iam qui teterrima moliuntur opera, nónne talis capitis membra sunt? Hic enim operatur in filiis diffidentiæ: *Vbi enim Spiritus Dei non est, ibi nequitiæ spirituum habitare necesse est.* Iam perpende qualem Elias habuit spiritum, qualem & Ioannes. Elias erat admodùm seuerus & terribilis etiam Regibus; qui persecutores suos bis igne cœlesti absumi fecit; qui Prophetas Baal

Act. 14.
Gen. 3.
Esa. 14.
Simile.
Ioannis Baptistæ humilitas.
Luca 11.
Luc. 1.
3 Reg. 18.
Spiritus quales nos faciat.
Ioan. 6.
Ephes. 2.
4. Reg. 1.
3 Reg. 18.
2. Reg. 17.

quadringentos ſuper vno lapide iugulauit, qui tribus annis &
ſex menſibus oratione ſua imbres & pluuiam ſuſpendit: Ioan-
nes autem magis referebat ſpiritum Moyſis, qui adeò man-
ſuetus erat, vt omnium manſuetiſſimus iudicaretur ſuper om-
nes qui morabantur in terra. Sciendum in Ioanne deſignari
Euangelium, per Eliam Legem. Aſperitas Legis in Ioanne ſi-
nem capiebat, commodum igitur erat, vt in ipſo potiſſimũ hæ
virtus, id eſt, lenitas emineret. Lex ſeueritate, Euangeliũ leni
tate; lex timore, Euangelium amore; lex plagis & minis, Euan-
gelium donis & beneficiis aduerſus hoſtes decertat. Vicit au
Euangelium, quia nimirum generoſus eſt animus hominis, &
magis ducitur quàm trahitur. Quia ergo Dominus legis &
Euangelij differentiam omnibus conſpicuam eſſe voluit, ide
vno eodémque tempore, Ioannem & Chriſtũ in mundo ſim
eſſe voluit, vt diuerſa iuxta ſe poſita ſeſe mutuò illuſtrarent:
Ioannes legis aſperitatem, Chriſtus verò Euangelij lenitate
in perſonis quiſque ſuis exprimerent. Cùm ergo Ioannes
Eliam eſſe negaret, inſtãt illi rurſum: *Quid ergo? Propheta es t*
Negat ille ſe eſſe Prophetam, videlicet illum quem ſingulare
inter Prophetas omnes Moyſes venturum promiſerat, nem
Chriſtum. Erat Ioannes Propheta, ſed nõ ille qui ſingulari p
uilegio inter Prophetas tãquam Prophetarum Dominus em
nebat. Itaque cùm Ioannes ſe nec Eliam nec Prophetam e
dixiſſet, quærunt illi rurſum: *Quid ergo es? vt reſponſum demu*
qui miſerũt nos? quid dicis de teipſo? Ego (inquit) *vox clamanti*
deſerto. Dirigite, &c. Quod perinde eſt ac ſi diceret: Ego ſu
præco & miniſter illius vocis, quam Eſaias Propheta in ſpiri
audiuit: quæ quidẽ vox hoc præcipuè prædicat: *Dirigite viã D*
mini. Quia enim promiſſus olim Dñs, tã diu expectatus atq; d
ſideratus ad vos venire dignatus eſt, nõ quidẽ vacuus, ſed cæ
ſtibus diuitiis plenus: ideò ſternite illi viam, per quã ad vos
niat: ad quod vos prophetica voce inuito: *Parate viam Domi*
rectas facite ſemitas Dei noſtri. Quæ verba ſæpius Eccleſia h
tempore eo conſilio repetit, vt ſicut Ioannes hac oratione æ
tis ſuæ homines ad excipiendum Chriſtum in carne veniẽt
præparabat, ita nos eadem ad ſpiritualem eius aduentum h
tempore præparet. De hoc igitur ſpirituali aduentu, quando
aliis duabus in ſuperioribus Concionibus dictum eſt, dicere
cipiamus, vt promiſimus. Tria de hac re potiſſimùm mihi
cenda eſſe videntur. Primùm quo ſtudio & ardore Domin
in animas noſtras venire & in eis requieſcere dignetur: dei
quid in eis potiſſimùm operetur: Poſtremò quid nobis fa

op

Moyſes mã ſuetiſſimus.

Leu. 12.

Deut. 18.

Eſa. 40.

Luciferaduentũ Solis prænũciat, ita Ioãnes.

Via Domini parãda.

opus sit, quò tali aduētu, talique hospite digni habeamur. Principiò verò nullo oratio explicare, nulla mens pro meritis concipere potest, quantum superna illa & infinita bonitas, in fidelē animam venire, & stabilem in ea sedem figere desideret. Neque id quidem mirum alicui videri debet, cùm anima iusti sit naturalis locus, & velut centrum, in quo diuina mens requiescit. Natura hoc nos docet. Est autē duplex cētrum, in quo diuina requiescit mens: vnum in seipso, alterum in anima iusti, quæ sedes est sapientiæ: in qua etiam mirificè delectatur. Habet duas domos, vnam superiùs, alteram inferiùs, id est, in anima iusti. *Non vocaberis* (inquit Propheta de inferiori, hoc est, anima iusti) *vltrà derelicta, & ciuitas tua non vocabitur ampliùs desolata, sed vocaberis voluntas mea in ea*: hoc est, ciuitas voluntati meæ grauissima & iucundissima, in qua ad votum meum libentissimè cōmorabor. In Apoc. ait: *Ecce sto ad ostium & pulso*, &c. Et, *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Hæc, Auditores, à me dicta sunt, vt sciatis putas & castas mentes virtutum gemmis ornatas esse debere, in qua diuina mens conquiescere possit. Vide igitur quo affectu summus ille puritatis & innocentiæ amator ad illos venire, & in illis habitare desideret. Hanc animam ipse sibi condidit; propter hanc omnia condidit; propter hanc homo fieri, & in crucem tolli, & sanguinem fundere non erubuit; quo illius pulchritudinem roseo sanguinis sui cruore illustrarent, sibique hac ratione gloriosam sponsam, omni macula & ruga vacantem exhiberet. Apud Salomonem ait: *Fili, præbe mihi cor tuum.* Ad quid obsecro cor nostrum, Domine, postulas? Nimirum, vt in te sedem meam constituam, in te habitem. Ego cor tuum feci, ego iterum reficere volo. Tu destruxisti, ego reformabo. In Canticis fidelem animam hortatur: *Surge, propera amica mea, & veni.* Iubemur venire ad fontem aquæ viuæ, vt reficiamur & saturemur. Videmus ineffabilē Dei nostri dignationem & benignitatem: nam non indiget nostro commercio, nihil illi potest accidere, ille tamen dignatur ad nos vltrò venire, in nobis habitare, nos vilissimos vermiculos tot blāditiis fouere. O nostra socordia, si venire recusemus! Iam videndum, quid in ea mente, quam Deus inhabitat, operetur, quibus deliciis eam pascat, qua perfundat luce, qua virtute muniat. De his rebus Dauid nonnihil insinuasse videtur, cùm ait: *Beatus populus qui scit iubilationem. Domine in lumine vultus tui exultabunt tota die*, &c. Est sensus: Beatus populus qui intelligit Deum apud se versari, qui tam potens, iustus ac misericors & verax est. Domine in lumine vultus tui ambulabunt:

Deus natura est amicus noster.

Esaia 57.

Apoc. 3.

Dilectio Dei in animā qualis.

Ephes. 5.

Prou. 23.

Psal. 88.

hoc

hoc est,felices & verè fortunati,qui te Domine intra se præsen-
tem habent: semper cum illis per has tenebras & vias vitæ dif-
Gratia Dei quid operetur in homine.
ficiles ingredientibus,splendor tui Spiritus clarissimum lumen
ostendit, excitat in animis eorum ardentes amores virtutum,
vt nihil iis iucundius,nihil amabilius videatur,quàm piè,iustè
atque temperanter viuere. Omnia autem sua opera referunt
diuinæ misericordiæ accepta,quæ piorum animos ita corrobo-
rat, vt nec hominum nec diaboli improbitate labefactentur.
Quantum autem indigeamus præsenti Dei ope,constituti in
hoc mortali corpore,procliuitas nostræ carnis ad malum,sat
declarat. Ostendemus autē proposito exemplo,tum corrupt
nostræ naturæ magnitudinem,tum diuinæ virtutis necessitat
Simile.
Virgo aliqua excellentis pulchritudinis,quę vitam ageret inte
adolescentes,cui etiam frater dilectus adhęreret,qui malo ess
ingenio,& virginē sororem ad malum promissis incitaret; a
non hęc in maximo versabitur periculo?In simili periculo ve
satur anima nostra: hæc tum ab externis tum ab in ernis m
tibus semper ad malū solicitatur. Adest corpus tāquam frat
dilectus, graditur cum germana anima,& assiduè importu
cupiditatibus ad malum miseram vrget. Vtitur sensibus vt e
terna bona repræsentet,vtitur affectibus quibus ad ea,quę se
sibus obiecta sunt, persequenda vehementer impellit. Qu
huic incommodo remedij adhibendum? Certè aliud comm
dius excogitari non potest, quàm vt pro illo fratre, pestifer
incentore,alius intra pectus nostrum auctor,qui ad bonū pr
uocet,de cælo sufficiatur:qui nos semper à carnalibus & ter
nis ad spiritualia & cælestia,ab impuris voluptatibus ad pie
Spiritus sanctus optimus hospes.
tis cultum reuocet. Hic erit ille Spiritus sanctus qui intell
ctum illuminat, voluntatem accendit : hoc hospite nullus
gnior,nullus sāctior,nullus potētior esse potest.Huic tutò o
nem nostram salutem committere possumus. Simili quod
exemplo res hæc nobis ob oculos proponitur. In animantib
cor est feruentissimum, vt cæteris membris vitalē impartia
calorem:ne autem nimio calore absumeretur,mira prouide
pulmonem,tanquam flabellum,vt calor ille temperaretur,c
iunxit. Ita idem hic in piorum animas cælestem hūc Spiriti
effundit : quo noxius concupiscentiæ calor ita temperetur,
non modò nobis nō noceat,sed etiā mercedis nobis materi
tribuat, & ipsis affectibus nostris rationis imperio modera
Spiritus sanctus in nube adūbratus.
ad virtutum officia incitet, & acuat. Huius enim rei gratia
imagine nubis, filios Israël in deserto præeuntis, Spiritus
ctus olim adūbratus est: qui sicut nubes Soli obiecta,æstū
&a

& ardorem temperauit:ita is in mentibus fidelium habitãs, fomitis & carnis nostræ incẽdia refrigerantis gratię suæ ope moderatur & temperat: vt non iam ignis concupiscẽtiæ, sed diuini amoris (vnde omnis iustitia & sanctitas manat) in anima dominetur. Hic est igitur præcipuus Dei in anima commorãtis fructus, omnibus huius mundi regnis & sedibus meritò preferendus. Cùm igitur his tantis bonis potiãtur ij, quorũ Deus mẽtes inhabitat; quid superest, Auditores, nisi vt omnis nostra operatio, omne studium, in hoc præcipuè incumbat, vt dignum Deo templum efficiamur, ipsique in mentibus nostris facilem aditum habeamus? Quod cùm omni tempore faciendum sit, hoc tamen, quo Dominicæ natiuitatis Sacramentum celebratur, maximè conãdum est: vt is videlicet inuisibiliter in anima nostra oriatur, qui visibiliter in mundum nasci dignatus est. Id autem erit si animam nostram illi præparemus, si pœnitentia purgemus, & bonis eam operibus exornemus. *Dirigite viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri*, clamat præcursor Domini. O quoties à virtutis tramite deuiamus, quoties semitas nostras distortas facimus? Has per seriam pœnitentiam rectas facere & ad Deum conuerti iubemur. Præcursor vt iter ad Deum esset securum, à virtute pœnitentiæ sumpsit exordium. Hoc nimirum baptismate suo virtutem pœnitẽtiæ declarabat: quæ ita animas à peccatis, sicut aqua corpus à sordibus mundat. Ad hanc vos, Auditores, virtutẽ inuitamus, vt cõfessionis lauacro animas vestras abluentes, purissimum intra vos nasciturо Christo palatiũ exhibeatis: quo omnium diuitiarũ, quas secũ veniẽs in mũdum affert, participes effici mereamini. Rex terræ vbi peregrè profectus in regnum suum reuertitur; qua omniũ lætitia, quo populi applausu & frequentia, quo apparatu à cunctis excipitur? Ecce omnis gloriæ Rex venit in mundũ, nõ perituris & terrenis, sed sempiternis & spiritualibus redundans bonis (afferens animarum salutem) quæ omnibus liberalissimè impartitur, qui illum intra se deuoto, fideli & puro corde recipiunt. Quis ergo hunc Regem talia tantaque secum munera ferentem non obuium vlnis amplectatur? Quis hanc salutis suæ occasionem vacuam effluere patiatur? Sanè opportunitas semper maximum momẽtum ad res gerendas afferre solet. Sic milites cùm opportunitas admonet, incautum hostem ferire; sic agricolæ cùm tempus hortatur, messes colligere: sic nautæ cùm secunda spirare aura cœperit, permittere vela ventis solent: quæ verò maior opportunitas ad diuinam gratiam impetrandam, quàm dies natalis Domini, in quo non solùm Deo gloria, sed etiã pax hominibus

Natiuitas Christi cuius nos admoneat.

Christo palatiũ parandum.

Opportunitas obseruanda.

Angelicis

Angelicis vocibus nunciatur?Reges terreni in natalitiis suis solent conuiuia instruere, & dona largiri, sicut ille infelix Herodes. Ne ergo nos hanc negligamus occasionem, exeamus obuiam Saluatori nostro; celebremus natalem, quo renati sumus, sumamus sacram eucharistiam, in pauperes simus misericordes, esurientes alamus, hoc est, opera misericordiæ exhibeamus. Quo igitur propiùs ad lucem accedimus, eò magis, quod impurũ est, agnoscamus & detergamus. Cogitemus, speculum puluere obsitum ac respersum, reddere imaginem intuẽtis non posse: ita sanè anima nostra (quæ imago Dei est) vitiorum puluere fœdata, puram conditoris sui imaginem minimè reddere potest. Abstergamus ergo omnia vitia, & gratia diuina digni esse poterimus. Quod ipse præstare dignetur, qui nostra causa fieri dignatus est homo.

Matt. 14.

Anima nostra imago Dei.

AD LECTOREM
ADMONITIO.

VOLVI *hîc Lectorem candidum admonitum, Auctorem nostrum in suis Concionibus Romanæ æquè ac Parisiensis Ecclesiæ habuisse rationem, quum vtrarumque Ecclesiarum in ista Euangeliorum dispositionis ordo non conueniat. Parisiensis Ecclesia (cuius in Germania sequimur consuetudinem) Romanæ vsum ignorat. Ne quis igitur iure conqueri possit, vtriusque Euangelii expositionem dedimus: Romanæ Ecclesiæ consuetudinem in istis partibus non sequimur, licèt Religiosi in suis Breuiariis, vt Franciscani, Antoniani, Augustiniani, imitentur & amplectantur. Coactus sum igitur, ne quis quidquam calumniari queat, hîc duas Conciones ex longioribus coniungere. Opto Lectorem bene valere.*

AN

ANNO *quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris,&c.*

In ista Concione lectio Euangelica, quæ Lucæ 3. ponitur, & qua Romani in hac Dominica vtuntur, potissimùm explanatur.

VIDETIS, Auditores, nos iam velut in foribus esse Natalis Domini:id autem Ecclesia potissimùm hoc sacratissimo agit & curat tempore,vt quo die Christus Dominus mundo natus esse celebratur;eodem etiam spiritualiter in cordibus nostris noui muneris beneficio nascatur:vt hunc diem verè nobis natalem aut certè salutarem appellare liceat. Frustra enim propter nos in mundum natus esse videbitur,nisi in nostris etiam mentibus velut quidam lucifer oriatur: cùm prior illa secundùm carnẽ natiuitas ad spiritualem hanc ordinata sit.Necesse tamen priùs est,vt dignum huic tãto hospiti paremus hospitium,vt in eo puritatis auctor & nasci, & requiescere, & operari dignetur. Non enim is otia agit,dum in nobis commoratur;sed intus manens,salutem nostram operatur eò perfectiùs,quò nos promptiores ad eius percipienda beneficia inuenerit.Deus enim fons gratiæ indeficiẽs est:vnde fit,vt quo maius ad illum vas fidei attuleris,hoc ab eo fonte vberiùs haurias.Sol iustitiæ ignis consumens est.Ad hũc igitur cælestem ignem,ad hunc solem,ad hunc gratiarum omnium fontem, quanta possumus celeritate contendamus. Hoc dies hæc, hoc quotidianæ Ecclesiæ preces ac voces, hoc præcursor Domini Ioannes requirit;vt impedimenta peccatorum è medio tollamus,vt mũdi redemptor ad nos veniat.Vt autem Euangelium fideliter proponamus,cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu,imploremus.

Christus vt nobis nascatur.

Simile.

Ecclesia nos vocat.

PATER NOSTER. AVE MARIA.

Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris, procurante, &c. Lucas Euãgelista quatuor in ista historia diligẽter describit, tempe locum,tempus,personam præcursoris Ioannis, & prædicationis argumentum. In exordio Euangelij Lucas diligẽter describit tempus quo præcursor Dñi Ioannes aduentum eius mundo cœpit annunciare.Cæterùm exacta huius rei cognitio, ex diuisione Iudaici regni,quam Iosephus antiq. lib.17. describit,petenda est. Ait enim,Herodem cognomento Antipatrem Hebræorum Regem (qui regni amittendi metu Innocentes pueros

Ioseph.

pueros interemit) testaméto suo Iudęorum regnum in quatuo
partes hæredibus reliquisse: quarum Iudæam (præcipua reg
portio erat) Archelao filio legauit, impetrato à Tiberio Cesa
regni nominis titulo & honore. Hic est autem Archelaus il
cuius metu sanctus Ioseph ab Ægypto rediés, Iudæam dese
re, & Galilæam repetere compulsus est: ne videlicet filius, pat
næ impietatis hæres, simili ambitionis furore percitus, in pue
desæuiret. Alteram verò regni partem, nempe, Galilæam, al
Herodi cognomento Antipatri reliquit, qui in historiis nu
Herodes, nūc Antipas nominatur. Tertiam verò regni parte
quæ dicitur Trachonitis, in qua est Bethania, Philippo itid
filio. Quartam verò (in qua Azotus) sorori suæ Salomæ, te
mento legauit. Quæ quidem Salome, testamento suo Tib
matrem, hoc est, Cæsaris Augusti vxorem (quam Iosephus
liam, Cornelius Tacitus, cæterique historiarū scriptores
nomine Liuiam appellant) hæredem instituit. Quis fuerit
tem Lisanias iste, de quo Euangelista meminit, non satis
veteres scriptores constat. Cæterùm Archelaus ille, cui Iud
prouinciā obtigisse diximus, Regis auctoritate & officio
sus, tot rapinis, & innocentium cædibus ciues suos oppres
quamuis pecuniis & muneribus, quibus plurimorum Rom
rum fidem & integritatem corruperat, aliquandiu perstiter
principatu, tyrannide tamen eius indies crescente, ipsum T
rius Cæsar Lugdunum (quæ Galliarum est ciuitas) public
eius bonis, relegarit, & pro eo gentilem Pilatum substi
Cùm ergo tanta esset diuini operis excellentia; dignum p
ctò erat, vt sacer Historiographus temporis rationem, quo
tanta res in mundo gesta est, diligentissimè explicaret,
quis eo tempore mundi imperium teneret, qui eius imper
nus volueretur, qui Principes Iudæorum Rempub. in qua
stus natus est administrarent, & qui Pontifices summo
dotio fungerentur, initio statim sacræ huius lectionis ex
his verbis:

Anno quīntodecimo Imperij Tiberij Cæsaris. Annon igit
detis, hac tam longa Imperatorum, Regum atque Pōtificu
tie proposita, maximum aliquid ac mirabile Euangelist
gnificare voluisse? Maximum sanè. Quid igitur illud est?
pe factum esse verbum Domini super Ioannem Zachar
lium in deserto commorantem; vt is ad homines prodir
nunciarétque impletum esse iam veterum vaticiniorum
pus, appropinquasse regnum cœlorum, mundi Saluator
spem omnium seculorum esse iam in foribus: quare pœnit

Matth. 2.

Iudææ diuisio.

Archelaus iniquus.

Ioannes ex desert. prodit ad homines.

agerent, qua venienti Saluatori viam sternerent atque pararēt. Huic legationis officio dignus habitus est Ioannes, inter natos mulierum Propheta maximus. In huius natiuitate non immeritò ob tot diuina signa multi & mirati & gauisi sunt. Ioannes nullum edidit miraculum: at in eius vita tria maximè mirifica fulserunt. Primum est vitæ in victu & cultu asperitas. Rectè ait D. Hieron. *Delicatus magister est, qui pleno ventre disputat de ieiuniis; accusare auaritiam & latro potest. Sacerdotis lingua, mens, manúsque concordent.* Alterum est mortificatio carnis mirabilis, quæ magnam solet afferre apud homines authoritatem. Cuius rei typus est ille ingens piscis apud Tobiam, qui intra fluminis alueum positus, aperto ore Tobiam deuorare nitebatur: Angeli verò iussu ab aquis in aridam terram extractus, exstincto penè robore palpitare cœpit. Accommodatur ad carnis nostræ petulantiam, quæ debet ieiuniis & inedia domari. Erat autem Ioannes à Deo electus sanctus; at hanc fœlicitatem negligere noluit: quò sanctior fuit, eò maiorem adhibuit domandi carnem curam. At nostra socordia planè est execrabilis, qui carnem lasciuientem tot deliciis enutrimus. Nos sanè oleum flammæ iniicimus, dum vitia vitiis cumulamus. Tertium est mirabile in sanctiss. Ioanne, nempe solitudo: hæc maximè conducit ad innocentiam tuendam. Bonorum hominum consuetudo est quidem expetenda, at mundi malitia modò tanta est, vt simplex quisque facilè decipiatur, nisi diligenter sibi prospiciat. Ferro nihil est durius; at si diu iaceat in terra conteritur: ita qui semper inter mundanos homines versatur & carnales, diuturnitate facilè seducitur. Vita solitaria, quam tot olim monachi complexi sunt, vacua est à curis. Mūdus autem totus in maligno est positus: quid ergo nisi malitiam ex eius consuetudine discere poterimus? Nónne eum toties non adiutorem, sed persecutorem & fallacem experti sumus? Dominus filios Israël, quos ab Ægyptiaca seruitute liberare, & in Chananæorum terram perducere decreuerat, durissimo seruitutis iugo in Ægypto premi passus est, quo non inuiti terram illam desererent, & ad promissam proficisci libēter vellent. Simile quiddam nutrices facere videmus, quæ cùm ablactare infantes cupiunt, vt à lacte depulsos, solidiori cibo nutriant, absynthio vbera inungunt, quo eius amaritudine offensi, vbera relinquant, & cibis fortioribus alantur. Meliùs sanè nobiscum agitur, cùm nos mundus verberat, quàm cùm lactat. Ad hunc modum Deus Iudæorum res deiectas planè passus est, vt cùm eorum Respublica variè esset dissipata, & in Gentilium

Hieron. ad Nepotian.

Tob. 6.

Socordia nostra taxatur.

Solitudo expetēda.

Solitariæ vita encomium.

1. Ioan. 1.

Simile.

Mundus fugiendus.

redacta potestatem,tum hūc præcursorem suum ad prædican-
dam hominibus pœnitentiam destinauerit.Hoc medicamento
homines maximè indigent, qui Dei præsidio neglecto inania
mundi præsidia consectantur. Non fidendum in aliorum auxi-
lio,non in templo externo, non in diuitiis, non in generis no-
bilitate. Initium veræ pœnitentiæ fuga seculi & humanarū re-
rum contēptio est. *Hoc ergo tēpore factum est*(ait Euāg.*verbum*
Domini ad Ioannem filium,&c. Ioannes innocens ad prædicādā
pœnitentiam mittitur:quod officium forsitan peccator aliquis,
qui se ab sceleribus emundasset,meliùs perfecisset. Dauid post
multa peccata ait: *Docebo iniquos vias tuas.* Ille maximè ido-
neus iudicatur ad docendam pœnitentiam, qui quàm facilis &
lenis Deus sit ad ignoscendū,expertus est. Dominus in Eccle-
sia duos insignes ministros clarere maximè voluit;alterum qui
ad pœnitentiam mortalium animos incitaret;alterum qui pœ-
nitentibus veniam daret:illum innocentissimum,nempe Ioan-
nem;hunc verò inter eos qui in schola eius versabantur, maxi-
mè infirmum,nempe Apostolum Petrum,qui Dominum paulò
antè negauerat.Hæc sanè magno Dei consilio facta sunt.Vnus
innocens, alter infirmus. Hac ratione Dominus commodè ad
pœnitentiam viam strauit; dum & eius necessitatem ostendit,
& non esse difficilem pœnitentibus veniam, ex dissimili mini-
strorum conditione monstrauit. Nos nunquam periculosiùs
ægrotamus, quàm cùm nos ægrotare nescimus. Expendamus
Ecclesiæ statum,& vt bonus possit esse hic status,quilibet advi-
gilet pro viribus Status autem tres sunt. Primus status sui
persecutio(teste Bernardo) fuit tyrannorum: Secunda persecu-
tio hæreticorum: Tertia verò voluptatum atque deliciarum.
Primus status fuit admodùm grauis; secundus multò grauior
tertius grauissimus, qui latiùs grassatur, & penè totum corpus
Ecclesiæ occupat:deliciis enim omnis generis vitia nutriuntur.
Pauci autem sunt qui hanc persecutionem sentiunt, cùm non
pungat animum,sed oblectet. *In deserto.* Ioannes agit in deser-
to;Christus speculum sanctitatis in frequentia hominum. Cau-
sa est: ille debet fugere in solitudinem,cui hominum frequen-
tia nocet.Christus hoc perfugio non indigebat,ille vbique erat
innocens, qui non opus habebat à locis sanctitatem recipere
sed ipse omnia loca sanctificabat.Nemo hominum tam est cō-
firmatus in gratia, qui prorsus à peccatis sit immunis. Debe-
mus non tantùm fugere peccata,verùm etiam occasiones,quas
sanè nō minori cura vitare debemus,quàm ipsa peccata. Quod
qui non faciunt, ipsi maximo periculo suo discent, in quam
vita

Salutis initium.

Psal.50.

Prædicatores qui aptiores.

Ioannes & Petrus pœnitentiæ typi.

Pœnitentiæ præcones duo.

Vitia deliciis nutriuntur.

Hominum frequentiā quis fugere debeat.

vitæ malo verſentur. Solitudo omnes peccandi occaſiones amputat. Qui igitur innocentiam tueri velit, à ſecularium rerum ac hominum frequentia ſeſe, quantum cuiuſque ſtatus & ordo permiſerit, abducat. Amor diuinus non poteſt ferre competitorem. Iam ſequitur prædicatio. *Venit in omnem regionem Iordanis, baptizans & prædicans*, &c. Prædicatio Ioannis pœnitentia erat. Pœnitentia autem eſt, præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere. Pœnitentia duas partes complectitur; alteram quæ præteritum, alteram quæ futurum tempus reſpicit. Eſt enim ea inter cæteras virtutes, quod inter anni menſes Ianus, quem bicipitem Veteres pingebant: qui inter initium ſequentis, & finem antecedentis anni poſitus, eodem vultu tempus vtrumque reſpiciebat. Sic igitur vera pœnitentia & præterita delicta reſpicit & futura. Præterita enim mala acri dolore purgat, futura verò diligentiſſimè vitare proponit. Cuius enim pectus acerbiſſimus commiſſorum dolor ſauciat, is vtique diligentiſſimè curabit, ne iterum committat, quod ſimili eum dolore pungat. Fundamentum pœnitentiæ eſt vehemens peccati dolor atque deteſtatio. Sicut enim animantis vitam ſenſus indicio potiſsimùm iudicamus (ſi videlicet inflictum vulnus aut vellicationem ſentiat) ita anima noſtra viuat Deo nec ne ſpiritualis vulneris, hoc eſt, admiſsi criminis ſenſus maximè declarat. Hinc præcipua inter huius ſeculi & Dei filios differentia eſſe videtur; quòd illi quidem mortui ſunt Deo, viuunt mundo: iſti contrà, mundo mortui ſunt, viuunt Deo. Vide quomodo mouentur ob leuem iacturam, qui mundo adeò dediti ſunt, quomodo tumultuentur: at contrà pij, qui Deum intra ſe habent, graues etiam rerum ſuarum iacturas patienter ferunt & moderatè. Vide ipſum Iob quo patientior nemo fuit. Iactura animæ piis hominibus nihil moleſtius. Hac iactura, Auditores, cuius filij ſitis, coniicere poteſtis. Hoc maximum diuinæ adoptionis & ſpiritualis vitæ indicium eſt. Ioannes debuit parare viam Domino: oportuit igitur à pœnitentia incipere, vt Diaboli domicilium in Dei templum verteretur. Hanc fuiſſe prædicationis huius ac doctrinæ cauſam, ſanctus Euangeliſta protinus exponit, cùm ait: *Parate viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri.* Pœnitentiam ab hominibus exigebat, quia viam Domino præparabat. Hæc autem via paratur, cùm offendicula ex ea tolluntur: nulla autem ſunt offendicula, niſi peccata, quæ Dei ad nos aduentum impediunt, & aditum eius in mentes noſtras ferreis vectibus obſtruunt. Peccata enim diuidunt inter nos & Deum.

Solitudo bona.

Prædicatio Ioannis.

Pœnitētiæ definitio & diuiſio.

Peccati dolor verus qualis.

Simile.

Differentia filiorū Dei & diaboli.

Peccata vectes ferrei. Peccata illum ex amantissimo patre, acerrimum hostem & inimicum efficiunt. Hæc erant impedimenta quæ Ioannes per pœnitentiæ studium tollere, atque ita Domino viam parare volebat: quod sequentia quoque verba declarant. Quia enim *Esa. 59.* reuelanda erat gloria Domini, & omnis caro salutare Dei, hoc est, Deum ipsum in carne venientem visura esset; dignum profectò erat, vt ad hoc tantæ pietatis spectaculum, talémque hospitem intra sinum cordis excipiēdum, viam per pœnitentiam pararet. *Quæramus ergo Dominum Deum dum inueniri potest; inuocemus eum dum propè est.* *Esa. 55.* Hæc, Auditores, quæ illi tunc populo à Ioanne dicta sunt, nobis quoque nunc dicta esse putemus. Quod Ioannes illo tempore ab omnibus petebat, hoc à nobis hodie Ecclesia exigit; vt quoniam idem Dominus in proximo natalis sui die ad nos venturus describitur, mentes illi nostras, in quibus ipse molliter acquiescat, eadem pœnitentiæ virtute parare studeamus. *Confeßio peccatorũ quid efficiat.* Hoc autem præstat humilis peccatorum confessio, quæ omnia huius vitæ impedimenta, hoc est, omnia peccata pellit: quibus è medio sublatis, Deus in centrum suum, hoc est, in animam nostram (quam ipse sibi sedem constituit) protinus illabitur. Meminerimus totam vitam nostram tempus esse pœnitentiæ: vt non solùm inuisibiliter, sed etiam visibiliter Dominus nostris mentibus possit illabi. Proximum est, vt post confessionis Sacramentum, Eucharistia consequatur: quo idem ipse mundi conditor, qui olim in mundum cœlestium bonorum opulentia plenus venit ad nos, etiam simili modo venire, & in nobis requiescere dignetur. Hæc consideratio ad hoc religionis officium nos excitare debet. Consideremus quàm amanter nos inuitet: *Venite ad me omnes qui laborat is & onerati estis, & ego reficiam vos.* *Matth. 11.* *Accipite*, inquit idem Saluator, *& manducate; hoc est enim corpus meum, quod pro vobis tradetur.* *Matt. 26.* Perinde est ac si diceret: *Et sanguinis ac mortis, dolorum ac laborum omnium, quos in hoc corpore vestri causa perferam, participes efficio, dum vobis illud trado, & ad illius esum clementer inuito.* *Euchari-stia dignè sumenda.*

IN NATALI DOMINI, CONCIO,

IN QVA LECTIO EVANGELICA potissimum explicatur: & quid Natiuitas Domini humanæ naturæ attulerit.

THEMA. *Euangelizo vobis gaudiũ magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator, &c.* Lucæ 2.

QVAM ingens hodie mundo salus nascentis Christi beneficio fuerit allata, non obscurè cælestis nuncius mirantibus ac trepidantibus pastoribus declarat, cùm ait: *Annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Magnum enim gaudium de Saluatore nato, magnã vtique salutem, singularẽ gratiã, summum beneficiũ & copiosissimam indicat redemptionem. Vnde meritò sacris hisce diebus Ecclesia frequenter illum Dauidis versiculum repetit: *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum est redemptio.* Gaudium magnum, non vnius populi, aut multorum hominum, sed omni populo, id est, vniuerso hominum generi. Patres veteres olim sola huius diuini muneris spe tantopere gaudebant, vt Abraham exultarit, vt videret diem Christi: at nos, quod illi sperabant, iam tenemus, & cum Propheta dicere possumus; *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Grati sunt nobis in arboribus & iucundi flores; at tempus fructuum gratius. Ecce quantò nos Patribus illis feliciores, tãtò magis in Domino gaudere debemus. Beatissimę autem virginis & matris Mariæ gaudium multis partibus eminet: vtpote quæ suo felici puerperio tantam mundo gaudendi materiam contulit. Sara sterilis nonagenaria, vbi desperatam prolem in senectute concepit, tanto gaudio completa est, vt edito in lucem filio, diceret: *Risum mihi fecit Dominus*: hoc est, magnam mihi Dominus lætandi materiam præstitit: quicũque audierit, conridebit mihi. Hoc exemplo licebit virginis puerperæ gaudium æstimare. Hæc & virgo concepit, & sine dolore peperit, & Deum ac mundi Saluatorem generauit. Nos huius ope indigemus; eius interuentum suppliciter imploremus, dicentes:

Natiuitas Christi gaudio plena.

Psal. 129.

Gaudendi occasio nobis.

Psal. 47.

Gen. 21.

PATER NOSTER. AVE MARIA.

Exiit edictũ à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis.

Inter mirabilia quæ natiuitatis Dominicæ tempore cõtigerũt.

non postremum locum obtinet maxima illa pax, quæ eo tempore sub August. Rom. Imperatore floruit: qualis fortasse nec antè extitit, nec pòst futura est. Hæc enim est illa pax, quam multis antè seculis Prophetæ sub aduentu Messiæ futuram prædixerant. Meritò námque eo tempore, quo vera pax de cælo descendit (quæ humana diuinis, & ima summis æterno amoris vinculo sociauit) tot anteà tumultibus exagitatus mũdus, in summa pace & trãquillitate agere debuit. Quo quidẽ argumento insinuare Saluator voluit, quantum esset veræ pacis & charitatis amator. Hanc nobis hodie pacem Angeli precantur, hanc Saluator, quamdiu nobiscum egit, magnopere commendauit, & hanc moriens, discipulis suis velut testamento legauit. Valeãt diffidia, valeãt praua odia: nemo obicem Angelicæ paci ponat: dum nascitur pax vera de cælo, procul à terra lites & discordia facessant. Romani iam pacati non tam sibi quàm Euangelio Christi, nescij vt illud sine impedimento per totum orbem volitaret, operam dabant. Sic nouit Dominus Deus Regum etiam impiorum ingenia attemperare, vt etiam nolentes, res Ecclesiæ promouere cogãtur. Non igitur mirum est, si Romani, dum orbem vniuersum in suam ditionẽ subiugare nitebantur, diuinæ quoque prouidentiæ & consilio seruirent. Ad hunc ergo modum, cùm in hodierna sancti Euangelij lectione Cæsar Augustus vniuersum orbem describi iubet, eidem quoque diuinæ militabat prouidentiæ. Hac enim occasione beatiss. Virgo Bethlehem profecta est, vt in domo panis, panem Angelorum & hominum pareret, vt Propheticis prædictum fuerat vocibus. Tempore natiuitatis Dominicæ magnę dignitatis accessio hominibus facta est, cùm ipse Deus homo fieri, & inter homines versari dignatus est. Cùm enim is descendit ad ima, maximè quæ nostra erant, euexit ad summa. Homo ante incarnationis Christi Sacramentum vilis habebatur; vbi autem Deus homo factus est, dignus vtique habitus est, qui non solùm in terra, sed in cælo quoque describeretur. Quæ cùm ita sint, iustũ profectò est, vt homo quoque ipse sic à Deo ornatus, dignitatis suæ rationem habeat: nec se iam ad viles sordidásque carnis curas & cupiditates abiiciat. Vt enim maiori gloria & honore coronatus est, ita maiori supplicio dignus erit, si sponte sua ab hac dignitate degenerauerit. *Paruulus quidem natus est nobis, & filius datus est nobis.* Deus altissimus paruulus inter homines, homo factus est: at ille homo acerbiùs tanto erit puniendus, si perceptam à Deo nobilitatem degeneri vita conspurcauerit. Venit itaque huius descriptionis occa

Christus pacis veræ amator.

Pax vera sub Christo.

Deo seruire cogũtur omnia.

Dignitas humana quæ.

Esa. 9.

occasione Virgo sacra à Nazareth Bethlehem, vt ipsa quoque cælorum Regina censum cum cæteris mortalibus terreno regi penderet. Hic planè ei barbarica inhumanitas exhibita est: nullus eam hospitio dignatus est. Vide ne similem illi inhumanitatem exhibeas. Quando sacram hostiam, in qua idem corpus & idem Dominus est, indignè sumis, pari ingratitudine eum excipis. Vidēdum ne & nobis dicatur: *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Iam ad partum Virginis veniamus.

Vestis innocentiæ seruanda.

Christũ qui audiant.

Ioan. 1.

Cùm igitur in communi diuersorio, imò in stabulo, cælorum Regina cōsedisset: *Impleti sunt dies vt pareret.* Appropinquauit felicissima illa hora, ab æterno prȩordinata, tot antè seculis expectata, tot Prophetarũ vocibus celebrata, in qua nouus Adam in hanc nostram lucem, imò in hanc obscuram noctem, in hoc omnium ærumnarum exilium proditurus erat. Nascitur Deus. O summam Dei nostri humilitatem! O mirandam paupertatem! Quid sublimius Deo? quid vilius præsepio? Quis ergo hæc duo adeò inter se distantia in vnum copulauit? *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes eius.* Quis quæso te Domine Iesu ita deiecit, quis in tantas compulit ærumnas? Videmus ipsum quodammodo ipsis hominibus inferiorem. Hæc est illa immensa pietas, & ardentissimus Ecclesiæ suæ amor, quam hac tanta humilitate roborauit. Quis enim fortissimum Samsonem totundit, ligauit, viribus spoliauit, & omnibus inimicorum telis & iniuriis exposuit; nisi impatiens Dalilæ suæ, id est, Ecclesiæ suæ sponsæ amor? Annon apertè Apostolus insinuauit, cùm ait: *Viri, diligite vxores vestras, sicut Christus Ecclesiam & tradidit semetipsum pro ea, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam?* Tanto spiritualis huius pulchritudinis captus fuit amore, vt non dubitauerit pro ea non modò in præsepio collocari, sed etiam in patibulo suspendi. Clamat ipse Dominus: *Sic Deus dilexit mundum: vt filium suum vnigenitum daret.* Paulus item: *Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos Deus, misit filium suum,* &c. Si ergo tanto nostri amore flagrauit illa maiestas; cur non ita flagrauit nostra erga illum charitas? Habuit ante illam amoris ostensionem, multos nominis sui cultores, vt Patriarchas, Prophetas, qui etiam vitam & sanguinem pro eo ponere non dubitabant: quid post tantam in Aduentu exhibitam charitatem nos facere par est? Si tantopere æstate media Sol terram calefacit, in cælo residens; quomodo eam calefaceret, si vicinior nobis factus, ad terras vsque descenderet? Si igitur verus Sol iustitiæ Christus, priusquam ad nos veniret,

Stabulum sanctificatur.

Psal. 10.

Samson ligatus quis.

Ephes. 5.

Ioan. 3.

Christus nos ardenter amauit.

Simile.

plurimorum Sanctorum mentes adeò potenter incendit, quantum quæso mentes nostras accendere deberet, postea quam ad nos vsque assumpta carne venire, & vicinior nobis fieri dignatus est? *Ignem*, inquit, *veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* Discimus ex præsepi, tamquam sublimi cathedra, humilitatem, mansuetudinē, patientiam, mundum cum suis illecebris, contemnere. Quod cælestis magister damnat, mundus eligit ac probat. Elige iam cuius vis esse discipulus. Ille qui ait: *Ego sum via, veritas, & vita:* hunc tamquam tutissimum ducem, qui in tenebris hîc ambulamus, sequamur. Positus est tener puer in præsepio, non autem in molli matris sinu. Omnia sunt Spiritu sancto auctore gesta. *Peperit iumentis insipientibus*, id est, nobis qui peccando iumentis similes facti sumus. Peperit nobis Saluatorem, vt pro nobis tandem adultus, sanguinem suum in cruce funderet. Vocatur non immeritò Emanuel, id est, nobiscum Deus. Expendamus singula; inueniemus sanè infantem hunc totum ad nos pertinere: æquum igitur erit, vt eum ex animo complectamur ac amemus. Magnifacimus pecunias nostras, cæteráque omnia; amemus & hunc, qui creator est noster, in quo habemus omnia quęcūque humana mens optare potest. Dic cum Propheta: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui*, &c. Plorat hic infantulus in pręsepio, non vtique sua peccata, sed nostra crimina, nostrā infirmitatem. Pone has lacrymas ante oculos tuos, qui peccatorum pondere premeris; ipsæ apud Patrem veniam impetrabunt. Valent sanè, valent etiam hodie. Sed hic noster infantulus quomodo prodierit, videndum; Ecclesia id faustis hodie vocibus lætabunda canit. Sic enim ait: *Sicut sydus radium, profert Virgo filium, pari forma: Neque sydus radio, neque mater filio fit corrupta.* Appositissima quidem similitudine huius diuini partus atque conceptus puritatem declarat. Quotquot hactenus feminarū partus præcesserant, veterē fructum producebant, videlicet, veteris Adæ filios, in peccati sordibus conceptos, hominésque puros, imò impuros: iste verò quem nobis Virgo beata parit, nouus vtique fructus est, homo videlicet nouus de Spiritu sancto conceptus: denique non homo solùm, sed Deus pariter & homo. Qui venerat vt omnes homines puros integrósq; seruaret, nihil vtique de matris integritate minuere debuit. *Generationem eius quis enarrabit?* clamat Propheta. Quis verbis consequi possit, quo timore simul & amore editum filium prudētissima virgo complexa sit? Sciebat sacerdotibus sine magno suo periculo arcā Dn̄i contingere non licuisse: sciebat scriptum esse:

Luc. 12.

Christus è præsepi docet.

Ioan. 14.

Psal. 48.

Psal. 72.

Maria virgo & mater.

Christus nouus homo prodiit.

Esa. 53.

esse: *Mundamini qui fertis vasa Domini.* Cum tremore igitur & amore hunc pretiosissimum thesaurum contrectabat, nec sine multis lacrymis. Infans hic, imò Dei virtus & sapientia, omnes omnium ætates, anachoritas, monachósque, ac omnes denique Euangelicæ paupertatis professores, qui terrena bona contemnere debebant, ante oculos habuit, & eorum forma factus est, quibus singulare exemplum præbuit. Elegit præsepiū, elegit crucis patibulum, quòd intelligebat, hoc supplicium innumerabilium martyrum futurum esse seminarium atque solatium. Iam videmus quòd hoc exemplo ambitionem, superbiam, auaritiam, & delicias nostras planè damnat. Hóccine est Christianum esse, nunquam Christi facta ante oculos ponere; & eius monitis atque institutis omnia contraria facere? Ex hoc præsepio sentētiam Christus contra insana hominū studia ferre iam incipit, quam quidem in iudicij die pronunciabit. Christus natus in diuersorio, in paupertate. Hic tamen est cunctorum mortalium status atque conditio. Hospites enim sumus, & commorandi nobis natura diuersorium, non habitandi dedit. Ad hospites ergo venit, vt iam non simus hospites & aduenæ, sed ciues Sanctorum, & domestici Dei. Intelligamus & perpendamus nos esse peregrinos. Vidimus humilitatem Saluatoris; iam eius contemplemur maiestatem. *Pastores*, inquit, *erāt in regione eadem, vigilantes & custodientes vigilias noctis*, &c. Saluator in mundū natus, voluit agnosci, qui dignatus est pro omnibus nasci. Sol ille iustitiæ celari minimè potuit. Natiuitas primùm pastoribus innotuit, vt illis tanquam simplicibus & puris fides maior adhiberetur, qui nec noua fingere, nec audita scirent immutare. Dominus simplices piscatores voluit habere præcones sui Euangelij. *Confiteor* (inquit ipse) *tibi Pater Domine*, &c. Fuit Abel pastor Abraham, Isaac, Iacob, Moyses, Dauid. Non est paruipendenda pastorū attestatio, qui cùm vigilarent, cælestem nuncium & hymnum audire meruerunt. Hic cælestis nuncius, infantis gloriam cum magna humilitate coniungit. Nominat mundi Saluatorem, & tamen iacet in præsepio. Eodem consilio illud Prophetæ nobis Euangelistæ proponunt. *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam*; ne trepidaremus accedere. Hic nouus rex omnes ad se aduocat, & alis suis, tanquam gallina pullos suos, fouere & protegere gestit. Videmus apud mundi Principes, cū Rex aliquis insignis nascitur, nūcij protinus ad diuersa loca, ad eos potissimùm destinantur, ad quos nouæ prolis beneficium pertinet. Si ergo huius noui Principis natiuitas abiectis hominibus nunciatur;

Esa. 52.

Christus forma monachorum.

Hominum cōditio quæ sit.

Peregrini sumus.

Matth. 11.

Pastorum dignitas.

Zach. 9. Matth. 21.

Natiuitas Christi ad quos pertineat.

apparet vtique ad hos potissimùm natiuitatis eius gratiam pertinere. Quod si ita est, habent igitur diuites atque potentes seculi, vnde meritò erubescere atque trepidare debeãt. Nulla causa, nisi illa, cuius ipse facit mẽtionem: *Ita Pater*, inquiens, *quia ita fuit placitum ante te*. Pennarum leuitas aues in sublime tollit: ita diuitiarum gloria, nobilitatis splendor, & potentiæ amplitudo, homines ita nonnunquam efferunt, vt suæ imbecillitatis obliti, ferantur in altum; vt minus mirum videri debeat, si deserat eos gratia in quibus domicilium sibi fixerit superbia. Hæc doctrina quotidianis exemplis facilè potest confirmari. Diuiti illi adolescenti in Euangelio videmus quid acciderit: qui cùm à Domino audisset, rebus omnibus esse renunciandum ei qui ad Euangelicæ vitæ perfectionem adspiraret; tristis hoc Domini consilium excepit, eò quòd multa haberet quæ relinqueret. Patet diuitibus & nobilibus via ad salutem: humilientur illi, vt paruuli fiant: sint humiles in oculis suis, vt magni & illustres ante Deum habeantur: considerent humanæ naturæ fragilitatem. Hunc animum habuit ille Rex, cùm diceret: *Ego autem mendicus sum & pauper*. Ita Dominus respexit Regem Achab humiliatum placidis oculis: & simili pietate Euangelicæ gratiæ participem diuitem faciet. Ad diuites hæc: *Et subitò facta est cũ Angelo multitudo militiæ cælestis exercitus*. Quis est iste tam paruus, tam magnus, tã humilis, tam sublimis, vt iacens quidẽ in præsepio, Angelicis vocibus celebretur in cœlo? Quid abiectius quàm in stabulo nasci, & reclinari in præsepio? quæ duo non hominum sunt loca, sed iumentorum. Vide quid in hac natiuitate contigerit. Quando enim ab origine mundi, in hominis alicuius natalitio, Angelorum voces & cantus inter homines auditi sunt? Videmus in paruulo duplicem naturã In altera dignitas maiestatis; in altera verò dignatio bonitatis manifestè patefacta est. Vtrũque autem insinuasse videtur Esaias: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis*. Quòd enim paruulum natum memorat, humilitatem indicat humanitatis: quòd verò datum filium ait, sublimitatem ostendit maiestatis. Nobis natus, non Angelis. Ecce Deus se tibi donat, & quid non cum illo donaret? Omnia omninò nobis cum illo sunt donata. *Numquid* (inquit quidam vir pius) *enarrari potest, quæ & quanta sunt data nobis, cùm iste filius datus est nobis?* Cùm ergo tam multa & miranda dona in hoc vno dono contineantur; nihil mirum, si non vnus, aut alter Angelus, sed multitudo militiæ cęlestis, è cęlis in hũc nostrum orbem delapsa, Dei gloriam prædicat, dicẽs: *Gloria in altissimis*

Matt. 11. *Simile.* *Matt. 19.* *Diuites vt salui fiãt.* *Christus duplicem naturam habuit.* *Esa. 9.* *Christus nobis omnia contulit.*

altissimis Deo. Quid vobis ô beati Spiritus cũ hoc sacro puerperio? Nõnne infans hic posteris Abrahæ promissus est? Noster est hic paruulus, noster est: vtpote qui naturæ nostræ consors effectus, totus ad salutem nostram destinatus est. Pro nostra ergo, Auditores, Angeli gaudent salute. Fraterna quippe charitate incensi, pro suis, bona nostra ducunt. Quo exemplo videre licet, quantum ab hac germana charitate abhorreant, qui alienis bonis vtuntur ac torquentur: quod sanè à Christiana charitate quàm sit alienum, facilè videmus. Angeli illi cęlestes gaudent, gaudent de nostro bono: quid nos pro tanto beneficio, qui ab eo nobilitati sumus, qui à tenebrarũ potestate erepti: quid inquam nos faciemus? Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, & Christiani dedignantur assidua meditatione Dominum suum in præsepi positum inuisere? Angeli pacem imprecantur hominibus, non ingratis & improbis, sed hominibus bonæ voluntatis: pacem non illam quam mundus dare potest, sed illam quæ exuperat omnẽ sensum, quam Rex pacificus è cælo secum traxit ad terram. *Inuenietis,* inquit nuncius cęlestis, *infantem,* &c. Rex cùm venatum pergit, regium deponit amictum, & rusticanum assumit, non ergo desinit esse Rex: ita sanè Redemptor noster ad hoc venit in mundum, vt tanquam verus generis humani medicus vulnera nostra sanaret. *Magnus de cœlo,* inquit Augustinus, *venit medicus, quia magnus in mundo iacebat ægrotus.* Mundus tribus potissimùm morbis laborabat, nempe tumore superbiæ, infirmitate spei, & lãguore charitatis. Primò tumore superbiæ laborabat, quem morbum è primo parente suxit: huic opponitur in Christo humilitas maxima & stupenda. Quisquis vitam eius ab incunabulis ad crucem vsque fuerit contemplatus, inueniet planè omnia Christi tum dicta tum facta humilitatem vbique spirare. Hic se planè deiecit, & tu in superbiam erigeris? Nunc videamus qua ratione eodem humilitatis habitu, spei nostræ infirmitatem corroborauerit. Ad hanc igitur infirmitatem corroborandam, quod maius medicamentum, quam humilis infantis huius apparatus & habitus? Nec enim alius est intus, alius foris: sed eam ipsam mansuetudinem quam ostendit in specie, retinet in mente. Est sanè ipse placabilis, benignus, blandus & lenitatis atque mansuetudinis plenissimus: quod alios docuit, ipse semper præstitit. Agnus vocatur, agni mores declarabit: si autem duræ ceruicis esse perrexeris, senties leonem seuerissimum. Videmus quemadmodũ hoc habitu & imagine innocentis pueri, Saluator spei nostræ infirmitatem

Paruulus nobis omnia donauit.

Charitatis expertes qui.

Simile.

August.

Morbi in mundo quales.

curaue

curauerit. Huic puero omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius. Hac ergo ratione, Auditores, spei nostræ infirmitatem cælestis medicus roborauit. Nunc expendamus qua ratione charitatis languorem curauerit. Et quidem hoc morbo grauissimè mundus laborabat, nec facilè sanari poterat: quia multa erant quæ nostram erga Deum charitatem impedirent. D. Paulus hoc argumentum breui soluit sententia: *Tradidit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret.* Deus enim me sibi copulauit, & se mihi contulit. Videre hîc licet, quàm efficax humanitas Christi medicamentum fuerit, vt charitatis languorem ab animis excuteret, nosque amore sui vehementiùs inflammaret. Vide & expende historiam vbi Elisæus puerum calefaciendo excitauit. Verus noster Elisæus incumbendo super puerum, eum ad vitam reuocauit, quando ei vitalem calorem impartiit. Moyses excitare non potuit, sed Deus.

Tit. 2.

4. Reg. 4.

APPENDIX AD SVPERIORA, CVR Dei filius in tanta ad nos humilitate venire, & in tanta paupertate nasci dignatus fuerit.

PRAECIPVA abiectionis Christi causa fuit nostræ salutis procuratio & amplificatio. Hac ergo de causa se totum homini dedit, vt se totum illi homo vicissim traderet, sicut se totũ tradit vxori vir, ne illa alteri se tradere velit. Quid enim aliud ille ventus vrens, qui infinitam locustarum multitudinem, Ægypti terram deuastantem, impetu suo abripiens, suffocandam proiecit in mare rubrum, nisi ardentissimam Christi charitatem significat, quæ illum impulit vt omnium seculorum scelera in se susciperet, & ea in mare rubrum proiiceret, hoc est, pretiosi sanguinis sui vnda perpetua obliuione sepeliret? Ille superbiam nostram, vana gaudia, delicias, sua humilitate contundit. Hac ratione quoque Christus homines carnales ad spiritualẽ ac cęlestem vitam exemplo suo traducere volebat. In hoc enim præcipuè Euangelicæ doctrinæ perfectio posita est, per quam fideles, terreni hominis vetustate deposita, nouum induunt, qui secundùm Deum creatus est, & in terris positi, cælitum vitam & mores imitantur. Perditi autem homines tanquam bruta animantia ita viuunt, quasi corpus tantùm, non etiam mentem haberent. Sic enim illos affecit, imò infecit primus ille homo de terra terrenus, vt nihil ex se, nisi terrena sapere, & solum

Exod. 10.

Zelus Christi in nos.

Homo carnalis quid sapiat.

captare

captare possit. Ad hoc ergo Saluato rex cælo venit in mundum, vt ad cælestem vitam secum homines subleuaret. In paupertate summa, humilitate, atque asperitate natus est, vt suo nos exemplo à terrenis abstractos, ad cælestia atque diuina traduceret. Recedens è mundo, patientiam; ingrediens, paupertatem commendauit. Hæ sunt duæ lectiones quas nobis tacendo legit. Iam qui in sceleribus & carnali vita persistunt, nequaquam Aduentus & Redemptionis Christi participes esse possunt. Ob id Christus natus, vt carnalem vitam, & carnis vitia è mundo eliminaret, & spiritualem institueret. Christus, quod suum erat plenissimè præstitit; nos quod nostrum est, præstare studeamus: si ille lapsis manum porrigit, nos quoque manum ad illum erigamus: si ille dormientes è somno excitat, nos voluptatis & inertiæ cubile deseramus. Christus Saluator, qui in mundum propter nostram salutem natus est, donet nobis gratiam, vt hæc præstare possimus. Amen.

Salutis nostræ argumēta qualia.

IN FESTO SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS, CONCIŌ; QVÆ tum Euangelium eius diei explanat, tum vitam Sancti huius proponit, à F. Petro Mersseo addita.

Dicebat Iesus turbis Iudæorum & Principibus Sacerdotum, &c. Matth. 23. Luc. 13.

VIDEAMVS qua causa dicit: *Ecce mitto ad vos Prophetas?* Superiùs quidem dixerat, *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis,* &c. Volebant se iustificare coram hominibus, qui secundùm visionem operum iudicant, & non coram Deo, qui corda cognoscit: quod est hypocritarum. Ideò dixit Iesus turbis Iudæorum & principibus Sacerdotum: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas. Vos,* inquit, *estis peiores parentibus vestris: illi Prophetas occiderunt; vos autem ipsum Dominum Prophetarum. Vos estis filij homicidarum: vos tales estis, vt faciatis quod fecerunt patres vestri. Nam apud Deum, qui hominem occidere disponit, antequam occidat, quasi homicida habetur.* Facti sunt omnis sanctorum sanguinis rei filij improbi. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas.* Obserua iuxta Apostolum, varia esse dona discipulorum Christi. Alios Prophetas, qui ventura prædicunt: alios sapientes, qui nouerunt quando debeant sermonem proferre: alios

Hypocrisis damnatur.

Chrys. Homil. 46. Oper. imp. Ephes. 4. Hier. lib. 4. in Matth. c. 23.

alios Scribas in lege doctissimos, ex quibus lapidatus est Stephanus, Paulus occisus, crucifixus Petrus, flagellati in Actibus Apost. discipuli, & persecuti eos sunt de ciuitate in ciuitatem, expellentes de Iudæa, vt ad gentium populum transmigrarent. Sequitur, *Et Sapientes*. Sapientiā autem non huius seculi, &c. 1. ad Cor. 2. *Et ex illis occidetis*. Mirabile planè est, quòd cùm ipsa etiam natura nos inuitet ad diligendos proximos nostros, nihilominùs tamen reperiantur nonnulli vsque adeò crudeles & tyranni, vt delectentur interfectione & internecione hominum. Natura vult vt nos mutuò diligamus, præsertim fidei & religionis consortes: sumus enim vnius corporis membra, cælestis regni conciues, parium sacramētorum participes. Cupis vt tibi impendantur humanitatis beneficia, eadem tu rependere stude; alioquin tu inhumanus eris, ingratitudinis reus, & diuinæ legis transgressor. *Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, &c.* Brutorū omnium, piscium, quadrupedum, volucrum, serpentium atque reptilium natura est, vt speciem suam quisque amet, simul gradiantur, pascantur, vnà cubent copulentúrque. Vnde oro, in humana specie odia, iurgia, lites, dissensiones, furta, homicidia, & cætera exorta sunt crudelitatis opera? Ex suggestione diaboli. Vitiis enim quisquis deditus, vt conditoris leges contemnit, ita naturaliū bonorū dissipator existit. Legis quippe diuinæ custodia decus est, naturaliū donorum additamentum, charitatis speculum, Angelorum lætitia. Cuncta naturæ opera sub omnipotentis Dei lege concordant. Da quempiam in omnibus obtemperantem legi, & nullum in eo reperies contradictionis scandalum. Quod enim homini aduersatur in homine, de peccati radice prodit: tolle peccatum, & naturæ gratiā recognosces. Ex sola cælestiū præceptorum obedientia, nefandissimus hostis agnoscit, quemque suam euadere posse tyrannidem. *Et ex illis occidetis*. Si veterem repetamus historiam, & Absalon, & multi alienigenæ Principes sanctum Dauidem persecuti sunt: sed nemo potuit de eo triumphare. Sic etiam dæmones te persequi, quantum possunt, conantur, dum hæc & alia promittunt. Cura tu, vt tales tentationes à te propellas, vt possis tanquam alter Dauid, de hostibus triumphare. Vide D. Ambr. in Psal. 118. Serm. 21. super illa verba: *Principes persecuti sunt me gratis, &c. Et persequemini.* Quando homo in bona agit fortuna, nullam patitur persecutionem: sed fortuna, aduersa, facilè animum dimittit, & eius exploratur patientia. Hoc videre est in Iob: amissis omnibus, probatus est. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum

Crudeles qui habendi sint.

Matth. 7.

Bella vnde.

Diabolus suos præuidet.
Ambros. 2. Reg. 23.

Triūphare de hostibus possumus.

Iob 1.

gnum Dei. Multæ persecutiones, multæ probationes, multa certamina, multæ coronæ. *Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu*, &c. Omnes dixit: quis enim exceptus esset, cùm ipse Dominus persecutionũ tentaměta tolerauerit? Vitia nos persequuntur: quæ omnia fugere debemus. Sunt multi mali spiritus, auaritiæ, fornicationis, superbię. Isti sunt persecutores graues, qui sine gladij terrore mentem hominis frequenter illudunt, qui illecebris magis quàm terroribus animos expugnant fidelium. Hi tibi hostes cauendi: hi grauiores tyranni, per quos Adam captus est. Multi in persecutione coronati, occulta hac persecutione ceciderunt. Vides quem habeas hostem intra te, id est, prauas cupiditates. Ipse Apostolus fluctuat, hæret, adstringitur, captiuari se asserit in lege peccati, & mortis corpore debellari; nec potuisse euadere, nisi fuisset Domini Iesu liberatus gratia.

2. *Tim.* 3.

Persecutiones quæ.

2. *Cor.* 7.

Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, &c. Quare si qui dicerent, cur nam grauiora omnibus patientur? Respondendũ est, quia iniquiora fœdioráq; quàm cæteri omnes perpetrarũt: & nihil eos à sceleribus potuit reuocare. Aut non audisti Lamech dicentem, *Vindicatum est ex Lamech septuagies septies*, hoc est, pluribus ego quàm Cain suppliciis dignus sum? Atqui fratrem ipse non interfecit. Sed quia nec exemplo quidě commotus, prudentior factus est, punitur. Idipsum est quod alibi Deus ait: *Reddens peccata parentum in filios, in tertiam & quartam generationem*: non quoniam alieni peccati quisquam supplicia luat, sed quoniam, qui multos propter peccata sua vexatos esse non ignorat, neque idcirco factus est melior, sed eadem committens non curat, illorum quoque pœnas iustè sustinebit: *Amen dico vobis, venient hæc omnia super*, &c. In caput vestrum hæc omnia conuertentur, & apertam faciam vltionem. Nam qui multos peccantes videt, nec illorum opprobriis modestior factus est, sed eadem, atque peiora machinatur; par est, vt maiora quàm illi luat supplicia. Vide Chrys. 73. Homil. in Matth. *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus*, &c. Luent pœnã omniũ homicidiorum, non quorũcunque, sed iustorum. Et significatur per hæc enormitas grauissima criminis Iudæorum. Et verè sic fuit; quia patres sæuierunt in homines, isti in Christum, Deum & hominem. *A sanguine Abel iusti.* Hi duo inducuntur tanquam extremi inter iustos occisos, quos sacra scriptura veteris testamenti nominat: vel ideò hi soli inducuntur, quia in his tantùm scriptura petitionem vindictæ explicat. In Abel quidem: *Ecce sanguis fratris tui Abel clamat*

Genes. 4.

Exod. 10.

Gen. 4.

ad

ad me de terra. In Zacharia autem: *Videat Dominus, & requirat.* De his duabus vindictis agit, quum & omnium iustorum intelligi vult vindictam. Zacharias iussu regis Ioas, lapidibus inter templum & altare occisus est. In atrio templi erat altare holocaustorum, ita quòd inter templum & altare holocaustorum erat spatium quoddam, in quo erat lauatorium. Abel fuit pastor ouium, ac in agro necatus; Zacharias verò sacerdos in atrio templi: vtriusque gradus martyres, & laicos, & officio altaris mancipatos, sub eorum voluit intimare vocabulis. Iustos quidem & amicos suos permittit Deus ab ipsis impiis hominibus vexari & affligi, ad maiorem nominis sui gloriam, & iustorum meritum. Omnes iusti passi sunt tribulationes, summa laborarunt molestia aduersus mundi difficultates. Nos ergo iustorum patientiam imitemur, cùm huiusmodi nobis contingunt labores & certamina. Primus homicida fuit Cain: iam qui illum imitantur, maiori digni sunt pœna, quia sciunt peccatum illud esse grauissimum, *Hierusalem, Hierusalem quæ occidis Prophetas, &c.* Ob insignem amorem conduplicat. Subiicit scelera eius: *quæ occidis Prophetas.* Non saxa & ædificia ciuitatis, sed habitantes in ea vocat. Sic in alio loco legimus, quòd videns eam, fleuerit. Sic apud Esaiam alloquitur naues: *Vlulate, inquit, naues maris*, hoc est, qui in nauibus per mare cursum conficitis. O Hierusalem, ô Iudæi Hierosolymæ habitatores qui cædem diuinis Vatibus infertis. Solent, qui dolore premuntur, verba quibus calamitatem suam ostendunt, sæpenumerò repetere. Conduplicat autem nomen, exaggerando conditionem ciuitatis, tot dignitatibus, gratiis & beneficiis donatæ. *Quæ occidis Prophetas.* Occidis, inquit; perseueras occidere lapidare, & variis mortibus interimere. *Quoties volui*, monendo, visitando, præcipiendo per Prophetas, imò per meipsum vt desisteres: nihil effectum est. In eo autem quod dicit, *Quoties volui congregare filios tuos*; omnes retrò Prophetas à se missos esse testatur. Gallinæ quoque similitudinem cōgregantis sub alas pullos suos adducit. Tales imagines crebrò apud Prophetas inueniuntur. *Sicut Aquila*, inquit Moyses, *protegit nidum suum, &c.* Aues feruenti amore pullos suos diligunt. Voluit Deus Iudæos saluos fieri; at illi noluerunt, semper obstrepiti fuerunt. *Voluntati Dei nemo potest resistere. Omnia quæcunque voluit fecit in cælo & in terra.* Gallina præcipuum affectum inter alia animantia in filios suos habet, ita vt eorum infirmitate affecta, & ipsa infirmetur; ipsa quoque aliis suis filios protegens, contra miluum pugnat. Sic & Saluator noster Chri-

Chrys. Homil. 4. de patient. Iob.
Homicida primus Cain.
Lucæ 19.
Esa. 23.
Metonymia figura.
Deut. 32.
Rom. 8.
Psal. 115.
August.

Christus, per carnis susceptionem infirmatus est quodammodo propter nos; ille resistit Diabolo ne nos rapiat. Rectè gallinæ naturam siue similitudinem Iesus in se susceperat & ostendit. Hic ab itinere fatigatus, & laboribus molestatus propter pullos suos, sedit. Gallina est mater; etiam si non videas siue audias pullos, ita illa infirmatur, vt matrem intelligas. Non debemus tamen nos semper pueri esse siue paruuli, sed malitia infantes esse debemus.

Gallinæ affectus in pullos suos.

Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta: dico, &c. Relinquetur domus vestra deserta à meo patrocinio. Nō solùm corpus, sed etiam anima peccantium deserta relinquitur. Desertā Iudæorum domum, id est, templum illud augustissimū desertum est. Deus non mutatur, ipse est veritas ipsa; at nos sumus qui mutamur, & vento instabiliores sumus. O ciuitas ingrata, infelix, quam Deus meritò relinquit, per gratiæ ac protectionis suæ protractionē, subtractionemque! Vestrum, ô Iudæi, Messiam tamdiu expectatum interfecistis. Dereliquit vos Dominus meritò, quia vos eū dereliquistis. Magna est domus ignominia vbi ea deserta est: ita ingens ignominia vbi recessit Spiritus sanctus ab homine. Olim multas hæc ciuitas Hierusalem calamitates perpessa fuerat; at nulla atrocior ea quā Domino ab ipsa recedente passa est. Venerunt Romani, & eam spoliauerunt, ac penitus destruxerunt; quod ipsi anteà timuisse visi sunt, cùm dicerent: *Ne fortè veniant Romani,* &c. Hoc etiam in loco futurum aduentus secūdi diem significat, indicans eos qui vehementer increduli sunt, tunc adoraturos eum, & nihil illis proficere. Quare dum tēpus habemus, operemur bonum, rectè viuamus nunc. Sera pœnitentia nos decipiet. Postquam nauis submersa est, & postquam ægrotus obiit, nihil prodest gubernator, nec medicus: sic & nos, antequam res ad exitum veniat, vigilemus, ne naufragium patiamur. Nos solemus seruos quos charos habemus, diligenter curare, vt reualeant: quare non magis animam nostram, qua nihil charius habere possumus? Quòd si hanc negligimus curam; cùm hinc discesserimus, nihil nobis ad satisfaciendum relinquitur. At quæ nostra socordia? Nos plerique maioris facimus nostros seruos quàm nosmetipsos. Anima enim nostra laborante, nō curamus. Præcepta salutis contemnimus, consilia spiritualium medicorum negligimus: illi non exigunt à nobis pecuniam pro suis consiliis quæ nobis exhibent: quærunt salutem nostram: nolunt vti deliciis: certè te modestiorem & ditiorem faciunt. *Qui ditari volunt, incidunt in tentationem diaboli.* Talia tibi possunt ad-

Iudæi derelicti.

Ioan. 11.

Simile.

Pœnitentia sera.

1. Tim. 6.

hibere remedia. Vide Hom. 75. in Matth. Chrysost. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Hoc versiculo vsi sunt & paruuli, quando Dominus ingressus est Hierusalem, qui sumptus est ex Psalmo 117.

Simile.

Pij gallinæ cur cōparentur.

Pij Christiani comparantur gallinæ: hæc enim multos labores sustinet in vita vt educet suos pullos, & plerunque non moritur morte naturali, sed interficitur: ita omnes pij hîc calamitatibus conficiuntur: oportet vt & sibi & mundo moriantur: inde exaltentur. Reprobi contrà, non gallinæ comparantur, sed accipitri, & aliis id genus auibus rapacissimis, quæ quidem quàm diu viuunt, gestari solēt manibus dominorum suorum, at verò postquam mortuæ sunt, in sterquilinium proiiciuntur, sepultura asini sepeliuntur. Vide quid auaro diuiti contigit.

Hier. 22.
Luca 16.

SENTENTIAE IN EVANGELIVM.

IVDAEI se reos fecerunt suis sceleribus, non solùm suorum malorum, sed etiam illius sanguinis qui ab initio mundi effusus est; eorum peccatum maximum est: sic his etiam eueniet, qui Christum receperunt: semel omnia donata sunt, quæ prioribus sanctis per partes donata fuerunt. Sanguis iustorum clamat vindictam in cælum. O Hierusalem recogita quæ à Deo acceperis. *Non fecit taliter Dominus omni nationi.* Alæ Domini, est diuina protectio. *Sub vmbra alarum tuarum protege me.* Christus gallinæ affectum verè habuit, qui se exinaniuit propter nos. Iudæi adeò indurati ac obcæcati fuerunt, vt Christum videre minimè potuerint. Nobis adest Christus, nos colligit sub alas. Væ pullis non recurrentibus sub alas gallinæ huius, cùm nunquam non desuper volitet miluus, imò leo quærens quem deuoret. Timeamus ne domus nostra deserta à Deo relinquatur. Quid grauius, quàm à Deo derelinqui? Ne proijcias me à facie tua &c. clamemus. Psalm. 50.

Psal. 16.

Miluus nos quærit.

VITA BEATI STEPHANI PROTOMARTYRIS, EX ACTIBVS APOSTOLOrum, & aliis grauibus auctoribus collecta.

PROPTER prædicationem Apostolorum, & miracula innumera quæ operabantur, crescebat quotidie Christianorum numerus. Orta est autem dissensio quædam inter Græcos & Hebræos. Nam Græcorum viduæ in quotidiano ministerio despiciebantur quam

Viduæ despectæ.

quare vt omnis dissensio tolleretur, septem viros boni testimonij constituerunt; ne ipsi Apostoli propter huiusmodi parua negotia à prædicatione impedirentur, & oratione. Inter hos autem septem viros, primus vocatus est & caput omnium Stephanus, vir plenus Spiritu sancto. Vnde colligit Augustinus magnam fuisse sanctitatem & castitatem beati Stephani, cùm deputaretur & destinaretur propter negotia tractanda inter mulieres. *Erat plenus gratia & fortitudine, qui faciebat signa in plebe & prodigia multa.* Tum etiam ostendebat se constantissimum & admirabilem in prædicando Christo & eius Euangelio, in plebe & apud ipsos Iudæos, persuadendo eis, quòd relinquerent iam legem Moysi, quòd parum eis profutura erat, & complecterentur Euangelium. Hac de re frequenter & feruenter cum ipsis disputabat. *Omnes autem eius aduersarij non poterant resistere spiritui & sapientiæ ipsius Stephani.* Cùm autem se ab ipso deuictos viderent; ex nimia malitia ac inuidia testes quosdam falsos subornarunt, qui dicerēt se ex eo audisse verba blasphemiæ contra Deum, & contra eius templum atque legem. Hanc accusationem falsam intēderunt in eum. Princeps autem Sacerdotum ei non æquè fauens, interrogauit si hæc ita se haberent. Hic Apostolicus vir longam coram ipsis, velut Angelus, fecit orationem. *Satis,* inquit, *ostenditis quorum sitis filij, imitantes parentum vestrorum crudelitatem, viri dura ceruice & incircunciso corde, qui semper Spiritui sancto restitistis. Ipsi parentes vestri Prophetas sibi à Deo missos interfecerunt, vos verò ipsum Prophetarum Dominum, videlicet vnigenitum Filium Dei, crudelissimè crucifixistis.* Hæc audientes dissecabantur Iudæi cordibus suis, & stridebant dentibus in eum. *Intuens autem in cælum Stephanus, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei, & ait: Ecce video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Iudæi furore pleni, irruerunt in eum vnanimiter, educentesque eum extra ciuitatem, crudelissimè lapidauerunt. Lapidantium vestes seruabat Saulus, qui vehementer mortem Stephani sitiebat. Videns autem Stephanus sibi mortem imminentem, magna voce dixit: *Domine Iesu accipe spiritum meum.* Hanc autem orationem stans pro se habuit; at verò vt charitatem suam erga proximos suos manifestaret, flexis genibus orauit pro his qui eum lapidabant, dicens: *Domine ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt.* Nec tamen hæc tam pia oratio & charitate inflammata, potuit adhuc adamātina corda & obdurata emollire; sed potiùs vno in[...]

Stephani castitas magna.

Act. 7.

Stephani cōstantia.

Saulus morti Stephani cōsentit.

lapidibus virum sanctum obruerunt: aliis quidem lapidibus eum non attingentibus, aliis verò grauiter vulnerantibus, & sanctissimum eius caput commaculantibus, ita vt sanguis copiosè ex eius sacratissimo corpore efflueret. Atque hoc modo sanctus Protomartyr Stephanus gloriosum Deo reddidit spiritum. Eius autem corpus fuit honorificè sepultum per viros timentes Dominum, non sine multis lacrymis. De hoc autem sancto Stephano mirabilia multa recensent qui particulares tractatus de eo conscripserunt: inter quos fuit B. Augustinus, Gregor. Nyssenus, Fulgentius, Petrus Chrysologus, Eusebius Emissenus, Nicetas, & multi alij graues auctores. Hic sua oratione Saulum conuertit, qui factus est vas electionis, & Paulus appellatus, vt scribit Augustinus. Compleuit suum martyrium anno Domini 34. Tiberio imperante. Eius reliquiæ inuentæ sunt circa annum Domini 400. die verò 26. Decemb. Corpus anno 560. translatum Romam. Patronus Ecclesiæ Catholicæ.

IN FESTO B. IOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTAE CONCIO, QVAE LEctionem Euangelicam explanat: inde de singulari Christi erga Ioannem amore; ac deinde de communi Dei in genus humanum charitate agitur.

THEMA. *Vidit illum discipulum quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna supra pectus eius.* Ioan. vltimo.

CVm multæ ac penè innumeræ causæ sint, quæ nos, Auditores, ad conditoris nostri amorem & obedientiam prouocare, & quodammodo cogere videantur; illa nos vel maximè vrget, quæ ex immensa Dei benignitate, & plus quàm materna erga suos cura & indulgentia colligitur. Dum enim pij homines vel vitas sanctorum Patrum legũt, vel piorum hominum, familiariúmque Dei amicorum secreta cognoscũt, animaduertuntque qualem Pater ille cælestis suorum curam & prouidentiam gerat (qui facit misericordiam in millia his qui diligunt illum) hæc cum animo & cogitatione diligenter pertractant, in huius tantæ charitatis amorem mirabiliter rapiuntur, & se totos eius obsequio addicere cupiunt: quem non minùs pium & beneuolum experturi

Dei in nos benignitas quanta.

experturi sunt, si eum ardenti studio & tota mente coluerint. Ad hos námque illa Domini promissio pertinet: *Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis. Quomodo si mater cui blandiatur, ita ego consolabor vos.* Possem equidem plurima huius rei exempla referre, possem in medium Moysem producere, qui facie ad faciem, vt amicus amicum Dominum alloquebatur. Possem Apostolum Petrum commemorare, cuius vel sola corporis vmbra salutem ægris omnibus conferebat. Possem coapostolum eius Paulum, qui raptus in Paradisum audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. His tamen omnibus omissis, vnum Ioannem Euangelistam in medium proferam, quem admirandis Saluator noster amoris priuilegiis clarum & insignem reddidit. Si enim Reges sola vocis appellatione ex Equitibus Comites & Duces faciunt: quid faciet illa cælestis Regis atque omnium Domini vox, qui vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, cùm sacræ Virgini matris, Ioanni verò filij nomen indidit? Qua dignitate quid gloriosius? Nihil enim præter cælestem Patrem Christus, neque in cælo neque in terra, matre sua charius habuit: quam tamen discipulo in matrem assignans, ex discipulo fratrem fecit. Iam intelligere possunt pietatis studiosi, quàm beneficum Dominum colant & venerentur: improbi contrà lugeant, quòd vitio suo illis Dei beneficiis se priuent ac defraudent. Cæleste numen implorandum.

Esa. 66.

Exod. 33.

Actor. 5.

2. Cor. 12.

Simile.

Ioãni quid collatum.

AVE MARIA.

PETRVS & Ioannes in Euangelica historia frequẽter coniunguntur: sic videmus & hîc fieri. Cùm Dominus Ecclesiæ suæ, quæ vna est, pastorem vnum præficere voluisset, Petrum inter alios Apostolos potissimùm delegit, cui hoc munus delegaret. Cur autem Ioanni hoc non commiserit, quem mira charitate diligebat, ille nouit qui solus spirituum põderator est. D. Hieron. tamen hanc causam affert: quòd inuidiæ occasio quædam cæteris discipulis oblata fuisset, si & adolescentem, & familiariter sibi dilectum cæteris Dominus præfecisset. Quamuis enim nullus ferè in discipulorum corda, Spiritu sancto plena, liuor irrepere potuisset: auctorẽ tamen pacis & charitatis hoc facere non decebat. Hoc enim nos exemplo Dominus omnem offendiculi ansam vitare docet. Quamuis & Ioannem in omnibus donis atque priuilegiis, quæ Petro & cæteris Apostolis tributa fuerant, nulla re fuisse inferiorem, imò in multis superiorem & ornatiorem legimus. Fuit Apostolus à Christo & Euangelista electus. Fuit & cum duobus illis in monte. Fuit & in horto

Petro Ecclesia cõmissa est.

Matt. 17.

cum Christo. Missus est cum altero ad parandum Pascha. Tum multis aliis laudibus & peculiari gloria ita ipse solus floruit, vt socium, aut parem habuerit neminem. Vnus enim fuit, qui virgo à Domino electus, virginitatem perpetuò conseruauit. Vnus qui cæteris in passione Domini fugientibus, & eundem vel abnegantibus vel deserentibus, nunquam ferè destituit, neque frangi aliquo timore potuit, quo minùs illum omnium itinerum atque laborum indiuiduus comes ad crucem vsque sequeretur, & iuxta illam adstaret, eo præsertim tépore quo omnes eius noti atque amici à longè stabant. Huic Dominus matrem in cruce pendens commendauit. Vnus qui supra pectus Domini recubuit. Vnus postremò, cuius mors, & tumulus maximè mirabilis exstitit: corpus siquidem eius nusquam in terris apparet, sed (vt multi Sanctorum Patrum piè testificātur) cum corpore simul & anima in beatas illas immortalitatis oras assumptus est: quod nulli Apostolorum contigisse legimus: corpora enim apud nos in terris manent, cùm animæ sempiternis gaudiis in cælis perfruantur. Iā ad Petrū, cuius anteà fecimus mentionē, reuertamur. Operæpretiū erit videre, quibus verbis officium Præsulatus Dominus Petro demandauerit. *Petre*, inquit, *diligis me plus his?* Cui Petrus: *Tu scis, Domine, quia amo te.* Cui Dominus: *Pasce*, inquit, *agnos meos.* Cùm verò Dominus idem & secundo & tertio interrogaret, Petrus tam multiplici interrogatione perturbatus, respondit: *Domine, tu omnia nosti: tu scis quia amo te.* Cui rursum Dominus, *Pasce*, inquit, *oues meas.* Quæ quidem verba non leuiter æstimanda. Vbi primò illud obseruandum, Dominum non simpliciter interrogasse: *Simon Ioannis diligis me?* sed per comparationem, *Diligis me plus his?* Quibus verbis apertissimè docuit, non modò dignum, sed cæteris etiam digniorem esse debere, qui ad pastorale munus deligatur: & ita digniorem, *vt* (sicut Gregor. ait) *comparatione eius, cæteri homines in gregum numero computari debeant.* Tantum enim sanctitate atque prudentia præire cæteros debet, quantum vita pastoris vitam pecudum, rationis expertem, antecedit. Illud etiam hîc notandum est, quòd quamuis Dominus per comparationem interroget; Petrus tamen simpliciter, non comparatiuè respondet: *Tu scis Domine, quia amo te.* Periculo enim suo doctus, quàm esset temerariū se aliis præferre, didicerat. Ob temeritatem suam ante passionem Domini fœdissimè corruerat. Quia verò electis (Deo ita instituente) omnia cooperantur in bonum, etiam ipsa peccata, vt D. Augustin. ait; ideò cautior & humilior post ruinam Petrus assurgit.

Ioannis cōstantia.

Ioan. 19.

Ioannis felicitas.

Petro præsulatus donatus est.

Gregor.

Pastor qualis esse debeat.

Rom. 8.

Augustin. in Medit.

assurgens, non audet modò se aliis præferre, nec se (quãuis hoc modo interrogaretur) plus cæteris Dominum diligere, cõfiteri: nouerat infirmitatem suam. Ideoque non tam suo sensu, quàm Domini iudicio fretus: *Tu*, inquit, *scis Domine, quia amo te*. Hæret modò ac dubitat, num verè Dominum diligat, quamuis se diligere credat. Præterita enim ruina huius tantæ humilitatis, timoris & diffidentiæ illi occasio extitit. Cuius exemplo, Auditores, ex ipsis peccatis quæ patrauimus, harum virtutum materiam arripere debemus: vt ea nobis & humilitatis & timoris & maioris solicitudinis occasionem præbeant; ne velimus iterum gustare quod gustatum attulit mortem, quodque lacrymarum & amaritudinis nobis poculum propinauit. Commendat Dominus Petro fideles, quos non subditos, sed agnos appellauit. Mãsuetudo, quæ agni nomine significatur, in Christianis moribus debet elucere. Inter hos agnos ille cælestis agnus libentissimè cõmoratur, eosque in pascuis vberrimis pascit ac dirigit. Cùm hos agnos Dominus Petro commẽdasset, quoniam boni pastoris est pro ouibus animam ponere, hanc quoque gloriam eidem conferens, denunciauit fore, vt sicut ipse in officij dignitate, ita esset in passionis gloria secuturus. Imitatus est eum officio, imitatus exitu, atque ita particeps factus est in tribulatione simul & regno. Satis quidem constat, inter omnia Dei munera primum esse à Deo diligi: ab eo enim diligi, est eius dilectione dignum fieri. Quatuor autem (vt cætera omittam) præcipuis signis vim amoris, quo amicum prosequimur, declaramus: si videlicet in illum beneficia conferimus; si familiaritatis illi signa exhibemus; si secretorum participem facimus; si postremò res pretiosas, nobísque valde charas, illius fidei committimus. Hæc omnia in Ioanne Dominus constituit. Fuit ipse Apostolus, Propheta, Euangelista, Martyr, Confessor, Doctor, Pontifex & Virgo. Talis amicus fuit apud Deum Patriarcha Abraham, qui Dei secretorũ fuit particeps. At Ioanni quæ non arcana detexit? quid non cum illo tanquam amicissimo communicauit? Illi sui ipsius, illi domus atque familiæ, illi denique cælestis regni secreta aperuit. Meritò inter sacros Euangelistas Aquilæ comparatur; quæ oculis non conniuentibus splendidissimum iustitiæ Solem, adeoque beatissimæ Trinitatis mysterium contemplata est. Paulus in Paradisum raptus, nihil nos aliud docuit, quàm se audisse arcana verba, quæ non licet homini loqui; at Ioanni & videre & scribere, atque aliis prædicare datum est. Cæteri Apostoli per vniuersum orbem dispersi sunt; at Ioannes diutius in Iudæa per-

Agni qui censendi sint.

Dilectio Dei optimũ donũ.

Ioãnis priuilegium.

Genesi 18.

Ioãnes Aquilæ comparatur.

mansit, non aliam ob causam, quàm vt preciosum illud depositum sibi commissum, id est, Christi matrem, attentiùs seruaret, & demandatum sibi filij munus & officium pleniùs exequeretur. Hãc sanctissimam Virginem cùm magnus ille Dionysius vbi primùm vidit, quandam diuinitatis imaginem se in ea contemplatum fuisse confitetur. O felicem Ioannem, qui post Christum Dominum talem meruit habere magistrum! Quid ab ea non didicit? quid non impetrauit? His argumentis, Auditores, non solùm, qualem se Christus erga Ioannem gesserit, sed qualis etiã in bonos omnes existat, intelligetis. Quãuis enim hæc propria atque peculiaria sint Ioannis priuilegia; diuina tamen bonitas innumera alia in thesauris suis recondita dona habet, quibus pios in hac etiam vita ornare, ditare, & honestare solet. Rectè exclamare possunt: *Quàm bonus Israël Deus iis qui recto sunt corde.* Huius felicitatis causa est sola diuina voluntas. Omnis enim nostra fortitudo atque felicitas ex diuinæ voluntatis beneplacito pendet. Eorum tamen superbia valde est detestanda, qui sceleribus inquinati, animo efferuntur, imò insania insolescunt. Ex Euangelio colligemus Petrum de Ioanne fuisse solicitum, & ideò à Christo quæsiuisse: *Domine hic autem quid?* Hæc non ex malo animo protulit, sed planè sincero, vt sciret an Ioãnes, quem dilectissimum Domino sciebat, particeps esse deberet coronæ martyrij, quam ipse esset percepturus. Ante passionem Petrus satis infirmus Domino dixit: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Cuius Dominus ignorantiam acerrimè compescens, *Vade,* inquit, *Satana, scandalum mihi es: non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Is verò qui tunc temporis terrena tantùm sapiebat, & propter Deum pati, dedecus & ignominiã iudicabat; modò lacrymis suis & pœnitentia eruditus, iam humana ignorat, diuina sapit, & summam gloriam crucis supplicium putat: atque ita de sua felicitate securus, de Ioannis exitu & gloria inquirit, dicens: *Domine hic autem quid?* Vera pœnitentia magni facienda est, ex qua magni progressus in virtute consequuntur. Illi feliciores æstimantur, qui post lapsus ita lugent, quàm qui nunquam lapsi sunt, & seipsos non deflent. Sed vt ad propositum redeamus, cùm Petrus de Ioanne quæsisset: *Domine hic autem quid?* Dominus respondit: *Sic eum volo manere, donec veniã.* His verbis Dominus Petri curiosum ingenium notare voluit: quo morbo genus hominum grauissimè laborat, qui seipsis neglectis, aliena tantùm curare student. Vtinam Domini consilium & mandatum quod dedit Apostolis: *Non est vestrum nosse tempora;*

Ioan. 19.

Dionysius Christi matrẽ vidit.

Psal. 72.

Felicitas nostra vnde pẽdeat.

Matt. 16.

Petri infirmitas.

Actor. 19.

tempora;mortales omnes amplecterentur,qui tam studiosè in aliorum mores, genus, vitam, opes, dicta, facta & consilia inquirunt; cùm tamen seipsos prorsus ignorent, & intra seipsos tanquam in aliena regione peregrinentur. Longè tamen aliter nos gerere debere,quidam Sanctorũ Patrum admonet, dicens: *Vt te semper inspicias, ab omnibus aliis oculos auerte.* Meritò ergo Dominus ab hac cura Petrum soluit,cùm ait:*Sic volo eum manere donec veniã,quid ad te?* His autẽ verbis innuitur quod posteà declarauit euentus:nempe Ioannem,post aliorum Apostolorum gloriosos agones,diutiùs in hac vita mansurum,nec crucis supplicio, aut alio martyrij genere è vita migraturum. Fuit Ioannes ereptus è dolio feruentis olei, tanquàm lampas aliqua splendidissima, quæ in Ecclesia nouella lucere debebat. Hãc lucernam Dominus exstinguere noluit. Sicut enim in exordio nascentis mundi eadem diuina Sapiẽtia primos illos homines quàm diutissimè viuere voluit,vt numerosam sobolem procrearent, quæ per omnia terrarum sola diffunderetur: sic etiam initio nascentis Ecclesiæ necesse erat,vnum aliquem ex Apostolis Christi,& eum præcipuè,qui ei in primis charus, maximéque familiaris fuisset,diu superstitem permanere, vt eius auctoritate,cõsilio,& institutione Ecclesia stabiliretur. Quum igitur Dominus hanc de Ioanne sententiam protulisset, discipuli de Ioannis vita & morte inter se tractare cœperunt. *Exiit enim sermo iste inter fratres,quòd discipulus ille nõ moritur.Et nõ dixit Iesus,Nõ moritur.* Ex his verbis magna inter Doctores de Ioannis exitu quæstio oborta est. Ex historiis námque Eccles. illud constat, quòd sexagesimo octauo post passionem Domini anno,suæ verò ætatis nonagesimo nono, exstructũ sibi apud Ephesum sepulchrum, viuens subierit. Tunc splendor tumulo circumfusus, loci hominisque aspectum circumstantibus ademit:quo postmodùm remittente,inane apparuit conditorium: nec ipse post id temporis amplius in terris est visus. Quidam (vt Metaphrastes sentit) cum Elia & Enoch illum adhuc viuere & adseruari credunt:vt tres isti viri triplicis legis in extremo tempore testes sint. Sed verisimilius illi credunt, sanctissimam illam animam cum corpore ipso in cælum fuisse translatam;vt sicut de sacratissima Virgine(quia corpus eius in terris non inuenitur) cum anima in cælum assumptum creditur, idem etiam de Ioanne adoptionis filio credendũ sit. Hoc exẽplo & Virgines puritatem suam, velut pretiosissimum thesaurum tueantur, & carnales homines impuritatem suam perpetuis lamentis defleant. Petrus vitam martyrio definiturus non

Homines curiosi sumus.

Simile.

Parentes primi quare lõgæui.

Vita B. Ioannis Euãgelistæ.

Virginũ studium.

temerè de Ioanne quærit, cùm ait: *Hic autem quid?* Cui Dominus: *Sic eum volo manere donec veniã, quid ad te? tu me sequere.* Hoc est, si ego illum in hac vita superstitem, & passionis expertem permanere volo, quid hoc ad te? quid gloriam tuam minuit, si eiusdem gloriæ comitem non habeas? Tu me sequere. Noli aliena curiosiùs perscrutari, meis insistas vestigiis, & eodem quo ego crucis supplicio ascensum in cælum tibi parabis. Quibus Domini verbis discipuli intellexerunt, Ioannem nequaquam moriturum. Quorum mentem Ioannes ipse corrigit, dicens: *Et non dixit illi Iesus, Non moritur.* Hæc de Euangelica lectione: nunc ad proposita thematis verba redeamus. *Vidit illum discipulũ quem diligebat Iesus, sequentẽ*, &c. De singulari Christi in Ioannẽ dilectione diximus: consequens est, vt de dilectione eius in nos differamus. Quid enim nobis emolumenti afferret, si Ioannem Domino charissimum fuisse intelligamus, nisi ipsi etiam ab eodem diligamur? Hæc enim votorum omniũ summa est, ab eo diligi, qui supra omnia est. Huius autem rei cognitio mirum in modum nostrum erga illũ amorem excitat & incendit. Sicut enim ignis nulla re magis quàm alio igne accenditur: ita amor nulla re vehementiùs quàm alterno amore excitatur. Hoc item spem nostrã mirè alit atque confirmat. Ad cuius enim præsidium tutiùs confugiam, quàm ad eius à quo me vehementer diligi existimo: cùm amicorum omnia sint communia, nemoque simul & amare & deserere soleat? Quid autem (quocunque me fortuna verset atque devoluat) molestiæ quidpiam afferre queat, cùm omnipotentem Deum amatorem, defensorem, & vitæ custodem habeam? Hæc Dei dilectio sola hominem felicem efficit: sine qua miser esset, etiamsi omnium aliorum bonorum compos esset. Ioannes cæteris omissis se dilectum à Christo discipulum nuncupauit: ex hoc enim fonte omnia alia laudũ insignia, & multa item manarunt. Qua in re illud obiter adnotandum est, quanta sit mortiferi peccati grauitas (quod tamẽ adeò facilè homines admittunt) quandoquidem per illud à Dei gratia & amicitia homo decidit, & hostis eius efficitur. Quod quidem satis erat, vt priùs homo omnia mũdi supplicia perpeti, quã in huiusmodi crimẽ incidere vellet. Quod solicitè animaduertere debent, quicunq; aut peierant, aut alterius seu famam, seu fortunas lacerant, aut odio fratrem prosequuntur, aut vindictam expetunt, aut alienam vxorem concupiscunt. Hæc enim omnia mortifera crimina sunt, per quæ à diuina gratia & amicitia cadunt. Amor vbi adest, ibi debet esse mutuus. Est enim amor animorum vnio, vel

Simile.

Dilectio Dei summa felicitas.

Peccata lethalia vitanda.

Amor quid.

veluti glutinum, quo animi ita inuicem copulantur, vt amans amatum tanquam seipsum, non tanquam alium diligat. Vnde illud necessariò sequitur, vt quæ quisque sibi bona velit, eadem dilecto velit; quandoquidem vnus cum illó per amorem effectus est. Christus magno amore Ioannem prosequebatur; non dubium quin idem Ioannes in suo pectore sentiebat. Quantum autem eum dilexerit, solus ille scit, qui spirituum ponderator est. Quid aliud Euangelium eius (quod vim eius latentem prodit) quid insignis illa inter septem canonicas epistolas, nisi dilectionem & dilectionis opera sonant? Quoties verò is in Euangelio hanc eandē sententiam ex persona Domini repetit? *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Itaque sanctus hic Euangelista, qui tantum in charitatis studio profecerat, ex tota Euangelicæ historiæ serie, ea potissimùm sibi scribēda desumpsit, quę ad animos hominum charitate inflammandos maximè pertinebant. Vnusquisque enim ea potissimùm tractat, ea versat ac voluit, ea semper in ore habet, quibus magnopere delectatur. Ioannes noster, cùm senio confectus, à discipulis ad Ecclesiam portaretur, vt fideles salutaribus præceptis imbueret, hanc identidem sententiam inculcabat: *Filioli, diligamus inuicem.* Cúmque ab eo quæreretur, cur eadem toties verba repeteret; dignam (vt D. Hieron. ait) Apostolica auctoritate sententiam protulit: *Quia*, inquit, *præceptum Domini est; & si solum fiat, sufficit.* Pauca de charitatis fructibus & affectibus in mediū afferamus. Non vulgaris familiaritatis & dilectionis indicium est, in sinu alterius recumbere. Ioannes recubuit supra pectus Iesu. Nemo hoc audet, nisi qui admodùm familiari amicitia alteri coniunctus est. Recumbere idē esse videtur quod alicui rei inniti, quale illud est: *In te omnis domus inclinata recumbit.* Illa anima super dilectum suum innititur, quæ humana cuncta præsidia inania esse intelligens, sibíque ipsi diffidens, vni Deo fidit, vni illi innititur, in illo curam suam omnem proiicit, qui nullius spem fallere potest. Deinde in sinu Iesu recumbere, est in illo obdormiscere, illius amplexibus frui, & per eum in pace illa, quæ exsuperat omnem sensum, gaudere. Sol plus mundum quàm omnia simul astra illuminat: ita vnus ille Iesus longè pleniùs atque feliciùs mentem hominis quàm creata omnia reficit & implet: quæ quidem refectio, spiritualis animæ quies & somnus est; mūdi negotia irrequietis & turbidis huius seculi motibus, mentem nostram solicitam, anxiámve suspendere solent. *Qui enim Domino fidunt, sicut mons Sion, stabiles & immoti*

Ioan. 15.

Ioānis cygnea vox.

Recūbere quid sit.

Cant. 8.

Iesu sinus qualis.

Simile.

Psal. 124.

Psal. 4. *immoti permanent*, vt cum Propheta dicant: *In pace in idipsum dormiam & requiescam. Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Ille semper recumbit in sinu Iesu, qui semper in sinu suo gestat Iesum, qui illius semper amore æstuat. Hæc virtus multos habet fontes, à quibus scaturire solet. Sed præcipuè oratio, diuinarúmque rerum cōtemplatio, familiaris cum Deo consuetudo, charitatem incendere & augere solent: quum homo innumera Dei beneficia animo voluit. Ex hac autem dilectione, firma quędam fiducia nascitur, qua homo fidenter in eo audet recumbere, quem ardenter amat. *Sperent in te qui nouerunt nomen tuum: qui experti sunt quàm suauis sit Dominus.* Cor itaque ab omnibus terrenis curis, cogitationibus, voluptatibus auocandum est, & quatenus fieri possit, totum ad cælestia transferendum, quò ad hanc mundo incognitam felicitatem perueniamus. Sunt autem duo officia, quibus ad fastigium charitatis peruenitur: carnalium affectuum mortificatio, qua homo à seipso, hoc est, ab amore sui recedat: & orationis studia, quibus ad Deum accedat. Det Dominus vt his gradibus in sinu Iesu requiescamus. Amen.

Charitatem quid augeat.

Psal. 9.

IN FESTO SANCTI IOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ CONcio, in Euangelium eius diei, & de eius vita adiecta per F. Petrum Mersseum.

DIXIT *Iesus Petro, sequere me. Et conuersus Petrus vidit illum discipulum, &c.*

QVANTVM ad martyrium patiendo dixit illi vt sequeretur se. Sequutus est Petrus Christum patiendo crucem; sequuti sunt & multi alij. *Gloria magna est sequi Dominum. Quem diligebat Iesus.* Diligebat quidem Iesus Ioannem, non tamen aliis exclusis; nam dixit: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* Verùm Ioannem dilexit speciali amore præ cæteris, propter tria: propter intellectus eius perspicacitatem; sicut magister solet discipulum diligere qui est perspicacis ingenij. 2. Ob munditiæ puritatem, nam virgo fuit. 3. Commendatur Ioannes etiam ex priuilegio specialis fiduciæ, quam habebat de Christo, ita vt cōfidentiùs Dominum interrogaret: *Domine quis est qui tradet te?* Fuerat quidem Petrus lapsus; at posteà resurrexit, & maiorem consequutus

Eccles. 23.
Ioan. 15.
Christus Ioannem cur dilexit.

gratiam. *Dixit itaque Ieſus Petro, ſequere me.* ſequere corporali inceſſu & ſpirituali. *Cõuerſus Petrus vidit illũ diſcipulum.* Conuertit ſe Petrus, vidit & illũ diſcipulum quem pręcipuè diligebat Ieſus ſequentem. Hic licèt ei non eſſet dictũ, tamen ſequebatur. Petrus vehementer amabat Ioannẽ; cùm à Domino ſibi præcipi audiret, optabat & Ioannẽ eius ſequelæ participẽ. *Qui & recubuit in cœna ſupra pectus eius.* Hoc contigit in cœna illa nouiſſima, quã & Ioannes, qui præſens fuit, diligenter deſcribit. *Recubuit ſupra pectus Ieſu*; in quo pectore ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi: ſupra quod pectus recubuit, quẽ maiori cæteris ſapientiæ & ſcientię ſingulari munere donat: in quo figurabatur, quanta arcana diuinitatis præ cæteris eſſet ſcripturus. *Hunc ergo cùm vidiſſet Petrus, dixit Ieſu: Domine hic autem quid?* Cùm magna Chriſtus Petro cõmunicaſſet, orbis terrarũ curam demandaſſet, martyrium pędixiſſet, & maiorem erga eum dilectionẽ teſtatus eſſet: cùm vellet Petrus Ioannem ſocium & collegam, inquit, *Hic autem quid?* Nunquid eãdem viam aggredietur? Habet Petrus curã Ioannis. Habeant Prælati curam ſuarum ouium. Boni Prælati eſt omnibus prodeſſe conſiliis, exemplis, atque in cunctis operibus ſuis ſine crimine agere. Eſt & boni Prælati humiliter de beneficiis ſibi collatis ſentire, non inſoleſcere, ſe Deo ſeruitorem profiteri. Admoneat igitur Paſtor, mulceat, feriat, dirigat Domini gregem, vt ſciat ſe redditurum rationem cõmuni iudici de ſua villicatione. Si ille non deſinit monere, licèt parum adiuuet, ipſe liber erit apud iudicem: ſicut manifeſtatur per Prophetam: *Væ autem illi qui ſuas negligit oues ex ignauia.* Vide Laurent. Iuſtinian. lib. de inſtit. & regimine Prælat. cap. 5. Idem alibi quoque ait: *Omne Paſtoris officium ſit, vt oues ſuas dirigat, vt Domino ſuo ſeruiant in ſinceritate mentis, in cordis humilitate, in amore virtutum, in aduerſorum tolerãtia & perſeuerantia boni.* D. Baſil. in illum locum, Pſal. 28. *Afferte Domino filios arietum*; inquit: *Sicut aries animal imperium retinens ac Princeps, hic ouibus præit, viam monſtrat ad paſcua, ad aquæ amœnæ refocillationem, rurſus ad ſtabulum. Tales Præſides eſſe debent, vt præeant gregem Domini, qui creditas oues dirigant fideliter, vt proferant bonos fructus. Domine hic autem quid?* Dominus vult vt quiſque ſuæ vocationis habeat rationem, nec curioſiùs indaget de aliis; vt ea curent quæ ſpectant ad eos; reliqua miſſa faciant. Quod Domini conſilium vtinam mortales omnes amplecterentur, qui ita in aliorũ mores, vitam, dicta atque facta inquirunt, cùm tamen ſeipſos ignorẽt, & intra

ſeipſos

Petrus curioſus.

Petrus Ioannem amabat.

Ioan. 13.

Prælatus quid curare debeat.

Argue, obſecra, increpa, *&c. ad Titum.*

Ezech. 3.

Laurent. Iuſtinian.

Baſil.

Arietũ ingeniũ.

Arietem qui imitari debeant.

seipsos tanquam in aliena regione peregrinetur. *Dicit ei Iesus: Sic eum volo manere donec veniam.* Est sermo nihil definiens, nisi quòd non pertinebat ad Petrũ, si Iesus vellet manere Ioannem vsque ad suum aduentum. In exordio mundi homines diutissimè viuebant, vt numerosam sobolem procrearent, vt terram replerent: non incongruum fuit in exordio Ecclesiæ aliquem extare tanquam lampadẽ, quæ alios certos de omnibus faceret. Hic Ioannes ex feruentis olei dolio diuina gratia ereptus est: sic huius auctoritate, cõsilio & institutione Ecclesia stabilita est. Nullus enim ex Apostolis tam diu vixit, sicut hic Ioannes. Anno enim post Passionem Domini 68. ætatis suæ 99. apud Ephesum (mortuis Apostolis omnibus) desiit. Opulenti homines pecunias ad vsuram expẽdunt, nolunt eam esse otiosam: ita Dominus quos donis suis cumulauit, non vult esse otiosos, sed variis versat laboribus, vt fortitudinis & patientiæ meritis, gratiarum suarum talenta cumulent. *Quid ad te?* Discimus ne curiosiùs inuestigemus, quæ supra nos sunt. Nos plerumque quæ ante oculos sunt ignoramus; iam quæ supra nos, quomodo scire poterimus? *Sic eum volo manere.* His verbis innixi nonnulli dixerunt D. Ioannem Euangelistam non esse mortuum, sicut de Moyse nonnulli asseruerũt, ob id quòd eius sepulchrum non inueniatur. *Quid ad te?* Ecce redargutio curiositatis: curiositas est inuestigatio superflua rerum ad nos non pertinentium. *In pluribus operibus eius ne fueris curiosus,* inquit Sapiens; *sed quæ præcepit tibi Deus, hæc cogita semper. Tu me sequere,* quia hoc ad te pertinet. Inter studiosum & curiosum D. Augustin. assignat differentiam. nam vterque agitatur magna cupiditate noscendi: curiosus requirit quæ nihil ad se pertinent: studiosus autem contrà, quæ ad sese attinent, requirit maximè.

Homines olim viuebant diu. — *Ioannes diutissimè vixit.* — *Simile.* — *Eccles. 3.* — *Curiosus & studiosus.*

Exiit ergo sermo inter fratres, quia discipulus, &c. D. Thom. in Ioan. c. 21. lectione 5. hæc tractat. Scimus omnibus hominibus statutum semel moriendum. Hic autem Ioannes aut translatus est ad Paradisum, vbi agit cum Enoch & Elia, vt aliquando moriatur; aut mortuus, & resurrexit in corpore; nam corpus eius nusquam inuenitur, & sic beatus manet cum Christo, vt ipse perhibet Apoc. vltimo dicens; *Qui testimonium perhibet istorum, etiam venio citò.* Vide Thom. in 4. Sentent. dist. 43. art. 3. quæst. 1. *Veniet Christus in fine mundi, sed interim in morte cuiuslibet venit,* & de hoc aduentu hìc loquitur.

Moriendũ omnibus. — *Apocal. vlt.*

Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet. Ioannes ob virtutes suas, & paratum animum ad patiendum, à Christo præcipu-

cipuè dilectus est. Nō enim vanis affectibus, vt homines mundi, Dominus mouebatur, sed rerum pondere ac virtute discipulorum dilectionem impartiebatur. Non fuisset à veritate dilectus prædicator veritatis, nisi longè à falsitate fuisset remotus. *Scimus*, inquit, *quia verum*. Ioannes ex persona totius Ecclesiæ loquitur: *Scimus*, quod procul dubio Spiritu sancto agente dixit, vt non ipse solus, sed vniuersa Ecclesia certitudinem profiteatur certi testimonij. *Et scimus quia verum est testimonium eius. Os quod mentitur, occidit animam. Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Resipiscant ab hac nefaria consuetudine, desinant loqui falsa omnes inanes Christiani. Vide Laurent. Iustin. in lib. de vita solitaria, cap. 4. *Scimus quia verum est.* Qui diabolo dat locum, nunquam desinit esse mendax, neque post mortem quidem. Mali in hoc seculo decipiunt homines quantum possunt, at post mortem mala eorum permanet voluntas. Ideò non dicit illis, *Discedite à me qui operati estis iniquitatem*, sed, *qui operamini*. Quia iniqui, nec post mortem desinunt esse iniqui: quia etsi peccare non possunt, tamen peccandi propositum tenent. Chrysost. Homil. 9. Oper. Imp. *Nos debemus veritatem amplecti, & maximoperè diligere. Hac enim Deus plurimùm delectatur.*

Sapient. 1.
Psal. 5.

VITA B. IOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTAE.

HOMO sanctus parum ab Angelo distat. Ioannes ex pago vili & parentibus tenuibus fuit natus; & tamen eò profecit vitæ probitate, vt Angelis possit comparari. Fuit abiectissimæ artis, id est, piscator vnà cum Patre. Vocatus est ab hoc officio, Matt. 4. *qui relicto patre & scapha, cælestem sequutus est magistrum.* Hic cæleste in mōte audiuit vocem, ac in cœna recubuit supra pectus Domini, & quis esset proditor, cognouit. Christus iniquissimè condemnatur à Iudæis, & tamen adest Ioannes, introducit Petrum, & cum matre cruci, vnde eam sibi commendatam suscipit, adstat. Ab hoc igitur tēpore virgo hic mente & corpore matrem ac virginem sibi vendicat, ac posteà Spiritu sancto abundanter repletus est. Hic relicta Palæstina, in Asiam profectus est, & ea quæ eum concernebant docendo ac disponendo, Ioniam occupauit, inde Ephesum aggressus est. Hic Christum prædicauit, ac plurimos ad ipsum conuertit. Inde templum

Ioānes cuius patria & artis.

templum Amazonum, quod idolis erat consecratum, sua prece subuertit. Cùm hic omnia optimè instituisset, Satanas per Domitianum ei aduersari cœpit. Hic beatum Ioannem, qui robur vniuersorum erat, tollere ac supprimere conatur; eum in exilium ex Asia in Europam ad insulam Pathmos misit. Conatus est Apostolus omnes insulæ incolas ad fidem Christi perducere, quod & feliciter fecit. Dionysius epistolam ad eum in hunc modum scripsit: *Quid admirandum, si Christus verum loquatur: & iniqui discipulos è ciuitatibus expellant, ipsi sibi condigna distribuentes & interitum, à sanctis se segregantes ac separantes?* Sub Traiano reuocatur: quod insulani, quos ad Christum conuertit, ægerrimè tulerunt. Non aliter enim eum habebant ac patrem. Hinc lamenta multa, hinc lacrymæ ac luctus. *Cur*, inquiunt, *nos deseris pater?* Cùm Apostolus diuinam esse cerneret voluntatem; relicto illis Prochoro viro bono & pio, ab iis Ephesum nauigauit. Ephesij illum humanissimè ac cupidissimè susceperunt. Hic Apostolus se fidelem exhibuit Euangelistam, & feras quæ irrepserant in suum ouile post discessum, arcet. Hic adolescentem quem latronum principem offendit, denuò conuertit.

Dionysij epistola ad Ioannem.

De Virginitate ac castitate sancti Ioannis Euangelistæ, vide D. Augustin. in lib. quæst. ex vtroque mixtim, quæst. 11. Tomo 4. Cæteri quidem Euangelistæ videntur quodammodo circa ipsam volare terram: at verò beatus Ioannes Apostolus veluti Aquila in cælum volat, atque in tonitruum illis erumpit, dicens: *In principio erat verbum*, &c.

De excellentia beatiss. Ioannis supra cæteros Euangelistas vide August. lib. 1. de consensu Euang. cap. 6. Tomo 4.

Quare diligeretur B. Ioannes tantopere à Christo, vide Cyrillum lib 12, in Ioannem, cap. 67.

Magna quidem amoris sui indicia ostendit Dominus noster Iesus Christus erga beatissimum Ioannem, cùm recumberet in cœna supra pectus eius, & matrem ei commendaret. Aug.

Benedictione discipulis data discessit Ioannes, tam extraneus à dolore mortis, quàm à corruptione carnis inuenitur alienus. Hieron. in quodam Prol. Bibliorum.

Simile.

Sicut qui natandi artem accuratè non callent, non audent periculoso ac difficili gurgite natare; at verò qui artis natatoriæ peritissimus est, non dubitat etiam in tali natare loco: cæteri Euangelistæ videtur quodãmodo refugisse ab alto pelago diuinitatis Christi; at Ioãnes diuina adiutus gratia, nõ dubitauit à sublimi illo exordio narrationẽ suam incipere, di-

In principio erat verbum: cùm tamen cæteri quodammodo cum Esaia dixisse videantur: *Generationem eius quis enarrabit?*

Cùm non auderent cæteri discipuli à Domino postulare quicquam de ipso proditore, innuit Ioanni Simon Petrus & dixit ei, *Quis esset de quo diceret, vt peteret à Domino.* Tunc Ioannes petere ausus est, dicens: *Quis est qui tradet te?* Quantum igitur flagrare debemus eius auxilium, quem sibimet interuentorem ipsi Apostoli petierunt? Quantum apud iustum iudicem pro peccatoribus poterit, qui & pro ipsis cælestis curiæ Senatoribus interuenit? Et qui aduocatus est summis, quàm humiliter implorandus est à minimis? Vide Petrum Damianum in festo S. Ioannis Euangelistæ.

IN FESTO SANCTORVM INNOCENTIVM MARTYRVM, CONCIO IN Euangelium eius festiuitatis, per F. Petrum Mersseum addita.

ANGELVS *Domini apparuit in somnis Ioseph, &c.* Matth. 2.

SALVANTVR Magi redeuntes per aliam viam; at puer Iesus fugere cogitur, vt possit saluari. Hîc se veram naturam nostram assumpsisse demonstrat. Nos quoque docemur, quòd ab initiis ipsis vitæ ad tentationes debeamus præparari. Christus enim statim vt ortus est statim tyrannus contra eum furit. Vide vt tribulationes æquo feras animo. Tribulationes sunt comites virtutum. Consoletur te exemplum Christi. Beatissima Maria, quæ nunquam domum suam fuerat egressa, iam ærumnosum iter iubetur conficere, propter partum illum mirabilem.

Accipe puerum & matrem eius. Hîc iam non dicit, coniugem tuam, sed matrem eius. Causam fugæ addit: *Quia Herodes quærit puerum ad perdendum eum.* Hæc audiens Ioseph non est scandalizatus, qui audierat ab Angelo paulò antè, quia ipse saluaret populum suum, & quasi nunc seipsum non posset saluare de periculis, dicens: *Si potes, quid nobis opus transmigratione?* Contraria omninò sunt facta promissis. Sed horum nihil prorsus opponit. Vir erat Ioseph fidelis.

Ioseph vir pius.

Esto, inquit, *ibi vsque dum dicam tibi*. Ioseph propte obediuit & credidit, omnes prorsus tribulationes cum gaudio sustinendo. At misericors Deus, quædam iucunda etiam rebus mœstis permiscuit, quod certè in rebus omnibus fecit, ac sanctis suis.

Fuge in Aegyptum. Fuit olim hæc regio admodùm rebellis & idololatra; at iam est facta admiranda mutatio. Tempore necessitatis fugere licet. Olim percussit Ægyptum magnis plagis, iam sanare vult. Dominus non irascitur in finem. Herodes dum illudere vult, illusus est: deuotionem promittebat puero, dicens; *vt & ego veniens adorem eum*. Herodis ira accensa est: sicut, qui ignem exstinguere vult, si addat siue infundat oleum, eò magis accendit.

Herodes deluditur.

Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph. Angelus ille Gabriel, qui venerat ad Mariã, ille apparet: hic & pastoribus apparuit. *Surge & accipe puerum*: non tuũ puerum, sed illũ cui Pater cælestis testimonium perhibuit: *Hic est filius meus dilectus*, in *quo mihi bene complacui*. Hunc dicit puerum accipere, per quem Reges regnant, & potentes discernunt iustitiam: per quem Sapientes magnificantur, & Principes possident terram. Hunc puerum accipe, & matrem eius. Non tu huic puero pater, sed hæc sola virgo huic puero mater. Ante generationem cõiugem eam appellauit Ioseph: post generationem matrem eam dicit pueri. Et quare ante generationem coniugem dixit? Propterea vt diabolo occultaret vtrumque vel impiis Iudæis. Post completa sacramenta non erat necesse vt cõiunx diceretur. Fuge in Ægyptum, vt inde fugiant Dæmones, mali illi hospites, vt sancti Angeli illuc veniant. Videmus quòd Dominus semper sit persecutionem passus ab impiis. Fugit Dominus de loco in locum, fugit lapidantes; at passionis tempore non fugit. Fugit qui aliorum est refugium & virtus. *Si vos*, inquit, *persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam*. De fuga Domini in Ægyptum, deque ruina idolorum ad eius ingressum vide Vincentium Belluacens. spec. Histor. lib. 6. cap. 94. & 95. Fuge in Ægyptum. Durum est peregrinari inter cognatos & familiares. Sapit quid sit sua domus, qui sentit alienam.

Matth. 3.

Puer per quẽ Reges regnant qualis.

Fugit Dominus.

Matt. 10.

Futurum est enim. Fraudes non latent Deum.

Qui consurgens accepit puerum. Non dicit quòd accepit puerum suum, quia erat tantùm nutritius.

Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis. Herodes alios voluit illudere, qui ipse derisus est. Delusa est eius animi peruersitas à sancta Iustitia, sicut scriptum est: *Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat*

Psal. 33.

probat consilia principum, &c. Destructum est consilium Herodis, vt multorum perficeretur salus, & is qui ex virgine natus est, totum redimeret mundum. Beati Magi per somnium admoniti, Herode relicto, ad propria per aliam viam venerunt. Herodes valde iratus, quem auctor omnium scelerum Diabolus possederat. Furit Herodes. *Ira Regis vt rugitus leonis.* Misit ergo furiosus hic Herodes, qui Deum non timuit, qui maiestatem diuinam offendere non curauit, misit, & innocentes ac lactentes pueros interficere iussit. Quare occidit? Propterea vt post Magorum illusionem, sicut putabat, puerum inter istorum neces deperderet. Sic & anteà iniquus fecerat Pharao, qui & ipsos vniuersos paruulos in flumine necari mãdauit. Moysem enim quærebat occidere, propter quem infantes occidi iussit. Talis & impius ille Saul, qui propter innocentem Dauid omnes Sacerdotes, senes & iuuenes, interfecit. Sic & Achab ille irreligiosus Eliam quærens occidere, & non inueniens, innumeros occidit, sicut refert Abdias. Sic & ille in Actis Herodes, cùm Petrus euasisset custodes, & multos innoxios interemit. Misit impios, crudelitatis suæ socios, & ministros feritatis suæ. Irrumpentes in ciuitatem Bethlehem crudelissimi hostes, paruulos in manibus parentum hærentes percutiunt. In omnibus penè domibus occisi paruuli volutabantur in sanguine. Hostis aliis vulnera inferendo, ipse suam vulnerauit animam: inferendo mortem temporalem, se æterna damnauit morte.

Prou. 19.

Herodes & Pharao tyranni.

Exod. 2.

1. Reg. 18.

3. Reg. 27.

Actor 12.

Innocentes pueri occiduntur.

Hic tyrannus non potuit coërcere suum deprauatum animum; furit contra naturam. Hic satis celerem ob tale facinus pœnam recepit, tantóque congruentia sceleri supplicia persoluit. Vide de eius interitu Iosephum lib. 17. Antiq. cap. 8. 9. & 10. Sicut fera bestia, habens naturalem asperitatem, si ab aliquo fuerit vulnerata, naturalem crudelitatem eius conduplicat ira doloris, & quasi cæca furore iam non aspicit vulnerantem, sed quicũque ante oculos eius occurrerit, siue homo, siue alterum animal, quasi auctorem vulneris sui dilaniat: sic & Herodes delusus à Magis, iram suam super paruulos infundebat. Sicut si vir zelat vxorem suam, siue vxor virum, omnem auditionem turpẽ credit de illo. Misit Herodes, & interfecit omnes paruulos, vt vnum inueniret in omnibus. Sed nec vnum inuenit in omnibus, & omnibus vitam æternam præstitit propter vnum. Sic & Salomon cùm propter peccatum audisset à Prophetis, Hieroboam regem futurum, proposuit persequi illum, putans posse eum perdere quẽ Deus defendit: quia zelus sapere nescit,

Simile.

Furor quid intentet.

3. Reg. 11.

Chrys. Homil. 2 oper. imp.

& ira non poteſt habere conſilium. Ille qui cum cauſa iuſta non iraſcitur, peccat. Per iram Spiritus ſancti ſplendor excutitur, qui ſuper humilem & quietum requieſcere dicitur. Prudentes viri non aliter iracundum hominem quàm viperam aliquam aut feram vinculis ſolutam depingunt ac deuitant. Quocirca maximopere iracundiam frænare debemus, & à verbis iracundis abſtinere. Ira; non aliter quàm illi qui ſeſe vnà cum ipſis ædibus incendunt; ita tumultu, fumo, & caligine cuncta intus replet, vt nec videre poſſis, nec audire eos qui cupiunt ſubuenire. In homine placido omnia ſunt tranquilla & placida, ſicut in lucido fonte: in homine verò iracundo omnia concitata, rabida & turbulentis motibus irrequieta, ſicut in furenti pelago. Alexander ira & furore percitus & victus, Clitum inter amicos chariſſimum interfecit. Ira vehemens ignis eſt, omnia conſumit, quippe quæ corpus corrumpit, animam coinquinat, triſtitiam adfert, turpis viſu eſt. Quòd ſi iratus ſeipſum intueri poſſet, nulla alteri⁹ indigeret admonitione: nihil enim iracundo turpius. Ebrietas quædam ira, vel potiùs ebrietate grauior, & dæmone miſerabilior. Quemadmodum aſſidua tuſſi quaſſatur & concutitur corpus atque exulceratur: ita crebra ira animam exulcerat.

Ira incommoda.

Iracundus homo vitãdus eſt.

Simil.

Mittens occidit omnes pueros. Refert Macrobius, quòd cùm audiſſet Auguſtus, inter pueros quos in Syria Herodes Rex Iudæorum intra bimatum iuſſit interfici, filium quoque eius occiſum, dixerit: *Melius eſt Herodis porcum eſſe quàm filium.* Quatuordecim millia innocentium interfecta eſſe ab Herode in Liturgia Æthiopum, & in Calendario Græcorum legitur. Hæc Genebrardus in Chronicis.

Macrob. lib. 2. Saturn.

In omnibus finibus eius. Non eſt contentus vaſtatione Bethlehem; ſed adiacentia loca vaſtauit: nec vllam miſericordiam ætatis habuit à filio vnius noctis, vſque ad filium duorum annorum, quin omnes occideret.

Tunc adimpletum eſt quod dictum eſt per Hieremiam Prophetam dicentem: Vox in Rama, &c. Deus hæc potuit prohibere; ſed quia præſciuit & prædixit per Prophetam, permiſit. Nihil Deo ignorante, qui etiam capillos capitis noſtri numeratos habet. Quod in noſtris quoque tentationibus cogitare, & hanc idoneam conſolationem accipere poterimus.

Hier. 31.

Matt. 10.

Rachel plorans filios ſuos.

Rama ciuitas erat Saul: Saul autẽ de tribu Beniamin: Beniamin verò filius erat Rachel, cuius monumentum erat iuxta Bethlehem, vbi hæc agebantur mala. Quoniam ergo Bethlehe-

Rama ciuitas Saul.

Bethlehem interficiebantur paruuli; vbi erat monumentum Rachel; ideò Rachel introducitur plorans. Rama interpretatur Excelsum. Ait: *Vox in excelso audita est:* quoniam de morte innocentium mittebatur ad cælum, ideò audiebatur in excelso. Sic Sapiens ait: *Vox pauperis penetrat nubes, & non discedit donec audiatur.* Sic & pauper quando violentiam patitur à potente, non audet vociferari, non potest resistere: lacrymæ tamen ac oppressio iniqua auditur in excelso. Clamor iustus licèt suppressus, auditur in excelso. Quod ait, *Ploratus*, fletũ paruulorum ostendit. Quod autem dicit, *Vlulatus*, matrum lamentum significat. Erat sanè videre maiorem dolorem in matribus, quàm in paruulis morientibus. In paruulis mors eorum beata, finem faciebat doloris: in matribus autem, paruulorum memoria semper reparatio erat doloris.

Eccl. 35.

Clamor pauperum auditur.

Quòd Maria fuerit desponsata, vt vir nati pueri curam susciperet. Deus curam habet de electis. Christus duas regiones, omnis nequitiæ officinas, id est, Babylonem & Ægyptum suscepit. Herodis impietas profuit Ægypto: obstinatio Iudæorum, populo Gentili. Deus multis modis tentare solet piorum fidem. Vita Christianorum perpetua quædam crux est. Mundus in maligno positus est. Humana potentia baculus arundineus.

1. Ioan. 5.

Herodes crudelitatis dignam pœnam suscepit: nam tres filios suos ex insania interfecit. Paruuli innocentes non senserunt pœnam ob infantiam: Herodes dolorem viscerum suorum non sensit propter insaniam. Quot membra habebat, tot doloribus torquebatur. Voluit ante mortem suam omnes congregari & concludi Principes, vt cùm ipse moreretur, & ij interficerentur; vt sic multi in eius morte dolerent. Rachel noluit consolari de morte filiorum, quòd sciret eos esse consolatos, quòd eos sciret victuros in æternum. Nec erat qui consolaretur parentes flentes, quòd communis esset luctus.

Actor. 12.

Rachel plorans filios suos.

Rachel vxor Iacob diu sterilis, nullos ex his quos genuit amisit. His verbis datur nobis doctrina, quicquid Christiano acciderit aduersi, ex bona Dei voluntate contingere, & ideò ad ipsius vtilitatem. Paulus ait: *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem,* &c. Quem diligit Deus, castigat. De quodam legitur Eremita: hic cùm consueta illi infirmitas non rediret, amarissimè flebat, causans se à Deo derelictum. David cùm à Semei blasphemaretur: *Dimitte,* ait, *eum, vt maledicat: Dominus enim præcepit*

Hebr. 12.

2 Reg. 16.

ei. Omnis malus aut ideò viuit, vt corrigatur, aut vt per eum bonus exerceatur. Impius homo virga Dei est, quæ & demùm emēdato puero, in ignem abiicitur. Quid læsit diabolus ipsum Iob? cui nō tantùm meritum auxit, sed & ipsum Iob clariorem fecit. Quid nocuit Saul Dauidi? Impij piis multum prosunt, cùm videntur plurimum nocere. Mortui non sunt deflendi indiscretè, ne videamur de resurrectione ipsorum dubitare.

Leo. Herodes sua insana sæuitia infantes iussit interfici, qui magna innocentia & sinceritate prædici erant. Sed quos peruersus Rex à mundo exterminat, cælestis Rex Christus in suum hospitium admittit.

Bernardus Diuino quidem consilio permissum est, vt tot infantes in infantia Christi paterentur, vt videlicet coronas reportarent fulgentissimas; & iam inciperent lactentes Christum in suo sanguine prædicare. Vide D. Bern. in Serm. de Innocent.

August. O beata ætas! necdum loqui potest, & iam pro Christo meretur occidi. Felix planè ortus beatitudini tam propinquus! vix mundi gustauerant miserias, quando iam è mundo pro Christo eximuntur. August. Serm. 3. de Innocentibus.

Matt. 19. Verè ait Christus: *Sinite paruulos venire ad me; talium enim regnum cælorum.*

IN CIRCVNCISIONE DOMINI

AGITVR DE CIRCVNCISIONE DOmini Saluatoris, de eius salutifero nomine, & Spirituali circuncisione, quam & nos exercere debemus.

THEMA. *Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus.* Luc. 2.

SANCTAM venerandamque huius diei solennitatem paucis sanctus Euangelista Lucas comprehendit, dicens: *Postquam consummati sunt dies octo, vt circuncideretur puer, vocatum est,* &c. His verbis duo clarissima mysteria complexus est: nam & circuncisionem Domini, & gloriosam eius nominis impositionem breuiter descripsit. Imploremus igitur eius opem Virginis interuentu suppliciter.

AVE MARIA.

Hester 13. *Omnia sunt in Dei cæli ditione*, attamen voluit peculiarem populum, cuius ipse paternam gereret curam. Hic autem

ille populus Israëliticus, vt verba Mosis indicant: *Te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris.* Hunc populum ab vno stipite prodire, & in eo pacem & religionis vnitatem vigere voluit. Hic parens fuit ille Abraham, cum quo fœdus iniit. Habuit & cum aliis, vt Abel, Enoch; at arctius cum nullo quàm cum hoc, qui pater omnium gentium dictus est. Fœdus esse voluit circuncisionem, qua qui carebant, alieni habebantur. Ab hoc populo coli, hunc ipse protegere & immortali vita donare voluit. Vt sciamus naturam huius pacti, scire oportet & testamentum esse & pactum, qualis contractus est inter legitimas personas, inter virum & vxorem. Homo se, ac sua omnia offerre debet in obsequium Dei: Deus autem tanquam vir animæ, seipsum, & gratiæ suæ opes ad eius salutẽ. Vtrumque autem Deus Abrahæ significauit. *Ambula*, inquit, *coram me, & esto perfectus.* Officij sui illum admonuit, cùm rursus ait: *Noli timere Abraham, ego protector tuus, & merces tua magna nimis:* indicauit quid ab eo vicissim Abraham sperare deberet. Hoc pactum sæpiùs insinuatur: *Ego ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Vtrumque in sponsa in Cant. sibi contigisse gloriatur, cùm ait: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Talem se illi Deus præstabit, qualem se anima fidelis exhibet illi. Videmus legem Dei minimè esse onus, aut nos gratis Deo seruire: hic sanè mutua præstatur opera; nos filij, ille parentis fidelis præstat officium. Hinc est quod ille ait: *Scuto circundabit te veritas eius.* Hoc etiam illa verba insinuant: *Homo sensatus credit legi Dei, & lex illi fidelis.* Impossibile est Deum homini deesse, si ipse officio suo non desit. Qualem tu animum erga Deum gestas, talem erga te Deum gerere piè & fideliter poteris existimare. Cõstat qua potissimùm in re & pactũ hoc Domini constat: & cur item pactum & testamentum appelletur. Nunc ad circuncisionem, quæ est signaculum huius pacti, veniamus. Agamus itaque primùm de Domini circuncisione; inde & de nostra spirituali. Dominus Iesus circuncisione (quæ peccatoris signum est) non indiguit, vt eo agnosceretur: quòd autem innocens, plenus sapientia, qui sciebat reprobare malum & eligere bonum, accepit, ob tres potissimùm causas fecit.

Deut. 7.

Circuncisio instituta.

Contractus inter Deũ & hominem.

Genes. 17.

Leuit. 16.

Cant. 2.

Deo gratis non seruimus.

Psal. 90.

Eccles. 17.

Christus quare circuncisus.

Prima est (vt Apostolus ait) *propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum.* Promissus fuerat Patribus ex eorum semine Redemptor, cùm Abrahæ ac eius posteritati dictum fuit: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Ob veritatem debuit circuncidi. Restituuntur pignora, & scriptura cautionis deletur, vbi æs alienum dissolutum est.

Rom. 15.

Genes. 22.

Altera causa, quòd vix natus Saluatoris officium auspicari feliciter dignatus est: quod sanguinis effusione perficiendum erat. Elegit dura, præsepe, stabulũ, acerbum corporis vulnus, exilium. Potuit dicere: *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea*; imò ab infantia. Animaduertant hoc qui conuersionem suam in vltima vitæ spatia differunt, adolescentiam totam iuuenilibus studiis destinãtes. Vide ne dicatur tibi: *Stulte, hac nocte repetent à te animam tuam*: & cum improbo illo seruo damneris. Cessent ista temeraria consilia, expende quid ille consulat: *Nescit homo finem suum.* Nos tam perditè & negligenter agimus vitam nostram; cùm Saluator ab ipsis cunis incipiat salutis nostræ negotium agere, & scelera nostra, fundendo suum sanguinem, & infantilia membra omnis generis laboribus fatigando expiare.

Psal. 87.
Tarditas nostra accusatur.
Luc. 12.
Matt. 24.
Eccl. 9.

Tertia causa, quòd altissimę nobis exemplũ humilitatis prę buerit, quòd peccati cauterio insignitus, suscepit imaginem peccatoris. Circuncisus est, baptizatus est: at eo tempore cæ aperti sunt super eum. In passione cum sceleratis reputatus est at eo in cruce pendente, cælum tenebris obducitur, terra tre muit. Eo moriente non defuerunt qui dicerent: *Verè hic hom iustus erat.* Morbus generis humani à superbia initium sum psit; medicina eius debuit ab humilitate proficisci. Iam vt d spirituali circuncisione aliquid agamus, sine qua nemo salu potest restat. Qui Deo corde & animo seruire cupit, & se totu illius obsequio mancipare, vt ratio pacti huius exigit; hoc primis debet curare, vt illum tota mente & totis viribus dil gat. Qui enim cor suum per sinceræ charitatis affectum D tradidit, seipsum & omnia sua illi tradidit: cũ inter omnia do & primum & maximum & omnium aliorum donorum orig amor sit: quem qui dedit, seipsum & omnia dedit. Huius pa signum est circuncisio. Hæc spiritualiter accepta, cupiditatu omnium & carnalium voluptatum abscissionem designat: qu bus sublatis, charitas protinus in anima nostra effloresc Quare congruè ait Moses: *Circuncidet Dominus cor tuum, seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum ex toto co tuo, & ex tota anima tua, vt possis viuere.* Omnia illa quæ D amorem impediunt, stultitia appellantur. Cordis circuncisi quæ est abnegatio sui, planè est ad charitatem necessaria. Q enim quis à terrenis curis & cupiditatibus expeditior est, facilius ad cælestium rerum amorem sine vlla remora aut i pedimento rapitur. Sic videmus eos, qui concentu & suauit musices vehementer oblectantur, cùm suauiter canentiũ vo mag

Matth. 3.
Luc. 23.
Circuncisio spiritualis.
Deut. 30.
Stultitia vera quæ sit.
Simile.

magna cum suauitate audiunt, molestè ferre, si quis eos hoc tempore interpellet; si quis aut strepitu, aut colloquio dulcedinem illam intercipiat, quamuis id aliàs gratum esset atque necessarium. Ad hunc ergo modum qui vehementer Dei amore flagrant, illiusque suauissima consuetudine fruuntur, omnia quæ huic dilectioni inimica sunt, diligentissimè à se ablegant; ne quà fiat, vt amoris huius deliciæ negligentia sua impediantur. Quæ de spirituali circuncisione disseruimus, vniuersè dicta sunt: iam vt ad dilectionem in Deum perueniamus, sigillatim, quæ in moribus nostris circuncidere debemus, docebimus. Quatuor ergo potissimùm mihi circuncidenda esse videntur. Primùm quidẽ externa bona ita resecanda sunt, vt intra suam se quisque mensuram contineat. Sic enim se sanctus ille Propheta continebat, cùm diceret: *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.* Sic etiam Apostolus se continebat, cùm diceret: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Sic sanctus ille Patriarcha precabatur: *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum, & vestimentum quo operiar*, &c. His duabus simplicissimis rebus necessaria vitæ circumscripsit. Quòd si hac regula vsum vitæ metiamur, bone Deus! quanta in domibus diuitum & nobilium, quæ resecare oporteat, inueniemus? Pasce fame morientem: si non pauisti, occidisti. Hæc intemperantiæ genera gladio diuini timoris resecanda sunt. Iam membra corporis nostri & sensus circuncidenda sunt. Circuncidendi ergo primùm oculi sunt, vt ait sanctus Vates: *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.* Circuncidendæ aures, ne fabulis, ne detractionibus aditum præbeant. Ad quod nos Salomon inducit, cùm ait: *Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam.* Gustatus quoque ipse circuncidendus est, vt simplici victu contentus sit. Circuncidendæ manus, ne aliena diripiant, ne pauperum iniuriis ditescant. Sed super omnia lingua circuncidenda est. Est difficile linguam coërcere. Orandus semper Deus, vt linguam nostram moderetur. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Hominis est animam præparare, Domini autem gubernare linguam.

Circuncidere quæ debeamus. *Psal. 130.* *1. Tim. 6.* *Gen. 28.* *Vide diuitũ abusum* *Psal. 118.* *Eccl. 28.* *Psal. 140.*

Sequitur cor vt illud circuncidamus. Latet in corde concupiscendi appetitus, qui cupiditatum omnium est origo: à quibus (nisi rationis imperio subigantur) omnes scelerum fasces oriuntur. *De corde* (ait Dominus) *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, conuicia,* &c. *Circuncidite præputium cordis vestri, & ceruicem vestram ne*

Cor circũcidendum. *Matth. 15.* *Deut. 10.*

induretis amplius. Hęc est spiritualis circũcisio, quã non modò humanæ carnis, sed etiam ipsarum quoque recentium arborũ circuncisio in lege præscripta, figurabat: adeò modis omnibus Dominus spiritualem hanc circuncisionẽ voluit commendari.

Leuit. 19.

Quid autem per incircuncisum cor intelligere debeamus, ex Domini verbis intelligere ac colligere possumus: *De corde prodeunt cogitationes malæ*, &c. Cor ergo circuncisum gestat, qui diuini timoris gladio malarum cogitationum & cupiditatum omnium intemperantiam abscindit. Contrà verò ille cor incircuncisum gestat, qui sopito rationis iudicio, variis se cupiditatibus & affectibus noxiis regendũ permittit. Itaque tantũ abest vt noxias à corde suo cogitationes & cupiditates abscindat, vt illis vitæ clauum atque regimen tradat. Tales ergo (vt D. Stephanus ait) & diuino Spiritui resistunt, & cor incircuncisum habere dicuntur, qui post cogitationes suas præcipites eunt, qui ambulant in viis cordis sui, & in intuitu oculorũ suorum. Nullum apud illos bonorum aut malorum discrimen, nullus diuini timoris respectus, nullus mortis imminentis metus, nulla salutis animę suę cura, nulla denique futuræ vitæ cogitatio. Fidem ociosam esse patiuntur, iusto ergo Dei iudicio puniũtur hac pœna, vt rationis quoque lumen frustra recipiãt, quum illo ad vitam moderandam non vtantur. Hi sunt autem quos Propheta dicit accepisse in vano animam suam: quando quidem rationalis anima, quæ ad hoc hominibus data est, vt rationis ductu vitam dirigeret ab hoc officio exclusa, hoc vi[...] maximè præstare homini videtur, quod sal mortuorum an[...] mantium carnibus, quas à vermibus & corruptione seruat illæ[...] sas. Homo ita vitam suam instituere debet, vt quod de illo t[...] statur Apostolus Paulus, sit viuum Dei templum, iamque qu[...] hoc negligit, ille vltrò se tradit Satanæ, ibi omnia spinarum hoc est, vitiorum germina nullo Dei metu prohibente, nascuntur. Quid autem calamitosius, quàm diuinum hoc templum & sempiterni numinis domicilium spinis & sentibus confe[...]tum intueri? Vide quæ sit vestis illa peregrina. Dominus peregrinos & barbaros mores notare voluit. Mores autẽ peregrini & Gentiles sunt, Dei obliuio, religionis contemptus, intestina odia, ventris cura, inuidia, libido, auaritia, ambitio, periuria, blasphemię, pręsentium amor, futurorum neglectus, pedes veloces in malum, & cor cogitationum licentia incircuncisum. Hi patrios honores pro nihilo ducunt. Hos Dominus visitabit in furore. Iam vbi reddendæ rationis apperat tempus, quid i[...] facient, cùm tali habitu ante tremendum iudicem apparebunt?

Matth. 15.

Cogitationes impuræ improbandæ.

Psal. 23.

Simile.

Homo templum Dei viuum esse debet.

Sophon. 1.

2. Mach. 4

Vestis peregrina quæ sit.

Q[...]

Qua fronte præmia exigent Christianorum, cùm vitam vixerint Ethnicorum? Consulamus nobis cum prudentibus Virginibus maturè: habemus Saluatorem Iesum, hunc accedamus, huic pareamus, & verè nobis continget quod Angelus Dei de illo pronunciauit: *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Matth. 1.

Quartum circuncisionis genus est ipse intellectus. Hic adeò est angustus, vt eodem temporis momento plura simul intelligere nequeat. Quamobrem quisquis puram Deo orationem offerre desiderat, ab iis curis & cogitationibus mentem suam (quantum cuique pro ratione status & officij sui licet) diligenter auertat: ne illi hoc tempore molestiam inferant. Vbi affectus cordis est, ibi quoque intellectus noster hærere solet, dicente Domino: *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Hæc est, Auditores, spiritualis & vera circuncisio, quam à nobis Dominus requirit, vt amoris pactum, quem potissimùm exigit, inuiolatum firmumque retineamus. *Intellectus circuncidendus & mens nostra.* Matth. 6.

Circuncisio Domini non fuit miraculis illustrata, non caruit tamen debito tantæ humilitatis præmio. Præmium declarat gloriosum nomen, quod illi hodie diuina auctoritate impositum fuit, quod Saluatorem significat. Nominis & officij gloriam Apostolus declarat, cùm ait: *Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen,* &c. Qui se ita humiliauit hominis causa, debuit vtique omnium princeps & caput fieri. Sicut enim nulla in cælo stella fulget, quæ fulgorem suum à Sole non mutuet: ita nullus nec in cælo, nec in terra iustus est, qui ab hoc iustitiæ Sole, iustitiæ & sanctitatis suæ claritatem non accipiat. Æquùm est vt quotquot ab eo ad æternam salutem cooptati sunt, salutare hoc nomen laudent, prædicent, ac genua flectant, tanquam salutis auctori, & libertatis nostræ vindici. Ille quidem fecit nos non vrbium præfectos, sed fecit nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes, & regnabimus super terram, imò super cælum. Annon cum Propheta ex toto corde clamabimus: *Nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ?* Hoc est, Nihil Domine magis anima mea desiderat, nulla re magis afficitur & incalescit, quàm dulcissima gloriosi nominis tui memoria & appellatione. Nos planè nudi sumus: illius agni immaculati vellere tegi & vestiri possumus, atque exoptare debemus. Vult Apostolus, vt Dominum Iesum Christum induamus, vt ipso pallio nuditatis nostræ inopiam operiat. Sine veste nuptiali eiicitur in tenebras exteriores. Qui autem hac veste indutus est

Nominis impositio. Philip. 2. *Simile.* *Iesus cuius nos admoneat.* Esa. 26. Rom. 13. Ruth 3. Matt. 22.

Esa. 61. est ac ornatus, meritò cum Propheta dicere potest: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me Dominus vestimento salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me.* Flectimus genua ad nomen Iesu, at ad alia ipsius nomina, quæ multa & magnifica sunt, non flectimus, nam & Christus & Dei Filius appellatur, & Emanuel. In aliis nominibus sola Christi gloria, non etiam salus nostra (Iesus Saluatorem sonat) designatur. Hoc nomine & illius gloria, & salus nostra continetur, ideóque meritò ad hoc salutare nomen & assurgimus & genua flectimus, gratias agentes pro salute nobis per sacrum illud nomen impensa. Præ se fert itaque nomen hoc & salutem, & medelam, & peccatorum veniam, & gratiam: ideoque nominis huius dulcedine illecta sponsa in Cant. aiebat: *Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te:* ideò dilexerunt, quia sub salutari olei nomine iustitiam, gratiam, gloriam, æternamque salutem & felicitatem Christo Domino sibi præstitam agnouerunt. Si ergo tãta religione & pietate salutare hoc nomen colendum eit, quo supplicio digni sunt qui tam impudenter huius nominis maiestate abutuntur? dum passim pro rebus nihili & iurant & peierant non viri modò, sed etiam fœminæ, atque adeò pueri & infantes, qui cùm vix dũ ad plenum verba formare sciant, iurare & peierare norunt, quod à parentibus suis didicerũt. Quos si nè verendum est ne habeant pœnæ consortes, quos habuerunt magistros erroris. Tales vt beneficio salutis ingrati, ira in gloriosum Saluatoris nomen contumeliosi sunt, dum illo partim in mendaciis suis, partim in rebus nihili confirmandis passim abutuntur. Suscipitur hoc flagitium aduersus sacrosanctam Dei maiestatem: quod peccati genus velut læsa maiestas æstimatur. Scelus hoc nec errore, nec infirmitate, nec alicuius rei cupiditate excusari potest. Habent prauam consuetudinem, Dei contemptum se habere demõstrant. Quantò peccãdi occasio minor est, tantò grauius peccatum est quod tam leui occasione committitur. Vbi autem maior potest esse contemptus quàm vbi nullus ex peccato sequitur fructus? Itaque scelus hoc, præterquàm quòd ex natura sua grauissimum est, declarat etiam animum in omnia scelera præcipitem atque promptissimum, quando qui huic sceleri addictus est, nõ solùm vtilitate aliqua inductus, sed gratis & nullo commodo impellente, diuinum nomen contemnere & violare paratus est. Sciant igitur hi quamdiu ita viuunt, se à Dei gratia & regno eius excidisse, quia regnum cælorum non vecordes, non rebelles, aut diu[...]

Iesus nomẽ salutare. *Vocabis nomen eius Iesum.*

Cant. 1.

Peccãt qui hoc nomine abutũtur.

Iurãdi natura pessima est.

Educ blasphemũ extra castra. Leuit. 24.

maiestatis contemptores: sed soliciti, sed sobrij, sed diligentes, sed ad Dei verbum trementes rapere dicuntur. Quales nos efficere dignetur, qui Saluatoris nomen accepit, & officium Saluatoris sanguinis sui preciosi effusione inchoauit. Qui est benedictus in secula. Amen.

IN EPIPHANIA DOMINI, CONCIO, QVA LECTIO EVANGELICA explanatur, & de huius diei beneficio agitur.

THEMA. *Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Matth. 2.

INTER omnia miraculorum insignia, quæ sanctus Lucas primo capite & secundo de Ioannis Baptistæ conceptione, natiuitate, de Christi mirabili natiuitate, Angelorum apparitione, pastorum adoratione, Simeonis gaudio, Virginis integritate ac admiratione enarrat, inter omnia, inquam, hæc miracula, nouum hodie miraculum celebramus, quod cælestis sideris splendore, omnes ad fidem Gentes in tribus Magis vocatæ sumus. Mirum námque est, quòd Christus processit ex Virgine, nec minùs magnificum, quòd ostensus è cælo. Mirum quòd nouum hominem terra suscepit: stupendum nihilominùs, quòd nouum hominem noua de cælo stella prodidit. Apud Iudæam Christus in præsepio pastoribus vagiebat, & in Chaldæa Magorum oculis inter sidera coruscabat. In Bethlehem lactabatur à matre, in Chaldæa adorabatur à Magis.

Christus vbique mirabilis.

Humilis quidem Dominus in carne venit, sed ita humilis vt mirabilis: vt pariter in eo assumptæ carnis veritas, & ineffabilis diuinitatis natura fulgeret, & quanquam nascentem illum cunabula terrena susceperint, non tamen esse terrenum, cæleste signaculum testaretur. Præsentis diei mysterium facilè declarat, quòd Christus ipse diuinæ bonitatis imago, inter alia dignitatis suæ nomina Sol iustitiæ appelletur. Sol quippe vbi primùm emicat in Oriente, lucis suæ radios ad extremos vsque mundi fines porrigit: quod planè hodierno die factũ est, dum Sol iustitiæ Christus, vbi primùm natus est, protinus gratiæ suæ splendore mundi fines illustrauit. De hoc igitur hodie mysterio dicturi, cælestem opem beatissimæ Virginis interuentu suppliciter imploremus.

Simile.

AVE

AVE MARIA.

CELEBRITATIS huius mysterium non aliter, Audito-
res, vobis proponere ac aperire potero, quàm quadam apposi-
Simile. tissima similitudine. Sicut piscandi aut venandi artifices varias
Animarũ piscator Deus. atque multiplices artes, variaque escarum & retium genera ex-
cogitarunt, quibus in casses suos pisces includerent: ita cælestis
ille animarum piscator, innumeras quotidie rationes inuenit,
quibus electorum suorum animas à mundanæ vitæ pelago ex-
tractas, in Euangelij sagena conderet. Ille miris & multis mo-
dis homines adducit. Nihil est tam abditum, nihil tam abie-
ctum, & à conspectu hominum remotum, quod ille non vi-
deat, & quò non misericordiæ & prouidentiæ suæ lumine per-
Esa. 46. tingat. Hinc illud Prophetæ: *Vocans ab Oriente auem, & ex*
terra longinqua virum voluntatis suæ. Quam rem in hac Ma-
gorum vocatione spectare licet: quando eos Dominus (cùm
prædicatores deessent) tam nouo & inaudito miraculo ab ex-
Magi parentes nostri. tremis mundi finibus ad se perduxit. Sed quoniam ij primitiæ
gentium, fideíque nostræ duces & parentes exstiterunt; dignũ
profectò est, vt eorum interrogationem & gesta omnia dili-
genter excutiamus, vt quid nobis ex eorum imitatione facien-
dum sit, hoc tam illustri exẽplo intelligamus. Igitur ab Orien-
te profecti, & Hierosolymã (quæ regia ciuitas erat) ingressi, d[e]
noui regis natiuitate inquirunt. *Vbi est* (inquiunt) *qui natus e[st]*
Rex Iudæorum? Vidimus enim stellã eius natiuitatis nunciam, i[n]
finibus Orientis, & venimus adorare, &c. Varias turbationis hu-
Herodes turbatur. ius causas fuisse credendum est. Aliter enim boni, aliter mal[i],
aliter qui Herodis amicitiam colerent, aliter qui eum sibi in-
fensum crederent turbabantur. Quibus enim Herodis imper[ium]
inuisum erat, quíq; inopia & egestate premebãtur, mutari om-
nia captebant; si qua eis forsitan mitioris fortunæ aura hac re-
rum commutatione adspiraret. Quibus verò imperium tyran-
Tyrannus est lupus: Rex fidelis, diligẽs pastor. ni gratum erat, hi contrà nihil de Herodis dignitate detra-
ctum volebant, atque ita cum ipso Herode fortunis suis timentes
noui Regis aduentum non aliter quàm Herodes ipse mole-
stè ferebant. Hoc enim ferè impiorum studium & ingenium
est, sic vitam suam instituere, vt sibi tantùm consulant, si-
bique solùm nati esse videantur: saluisque rebus
suis, nihil ad eos pertinere putent, si vel cælum ruat, vel terra
incendio deflagret. His auditis vocibus, congregat Rex im-
pius omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi, & sci-
tabatur ab eis vbi Christus nasceretur. *At illi dixerunt ei:*
Bethlehem

Bethlehem Iudæ. Sic enim scriptum est. Vide quid ille Herodes, verè callida vulpes, quid machinatur. Non ea mēte inquirit de nouo rege, vt supplex adoraret, verùm vt deprehensum crudeliter occideret, atque ita in pace (non est pax impiis) regnum solus obtineret. Contemplare summam huius Tyranni amentiam, qui tantum suæ calliditati tribuebat, vt æterna Dei consilia atque decreta eludere se posse confideret. Interrogatus quidam Philosophus an Deum lateret homo malè agens: *Sed nec malè cogitans*, ait. Si hoc fatetur Philosophus, quid te sentire par est, qui fidem & legē Domini profiteris? *Auferte*, ait Esaias, *malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Dauid: *Dominus nouit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* Et illud item: *Ipse enim nouit abscondita cordis.* Quomodo ergo, ô Herodes, latentes cogitationes tuas à Domino ignorari posse putas? Stellæ nunciantí, & vaticinio Prophetarum habet fidem, & aliis diffidit. Vide quid hic vilissimus puluis molitur aduersus Deum, qui tot iugulauit infantes, qui Dei sapientiam euertere conatur. Nihil Deo sapientius, nihil homine imbecillius: summa sapientia à summa ignorantia non potest superari. Vide quæ stultitia olim Regum qui pro Diis haberi voluerunt. Videtis in quod barathrum humana natura à Deo destituta ruat. Videtis quò ambitionis furor & insania perueniat. Moderata cupido honoris, noxia non est: immoderata verò innumerabilium penè malorum lerna existit. Sicut fluuius dum intra aluei ripas graditur, satis nec vlli rei nocet: si verò alluuione aliqua inundauerit, arua subruit, & finitima quæque impetu suo deuastat. Hic Herodes regnandi limites occidēdo tot pueros, excedit. Magi natiuitatis Dominicæ loco cognito, eò iter instituunt. Verùm ex tanta populi Iudaici multitudine, nullus tam illustri exemplo cōmouetur, vt eorum sequeretur vestigia, mirabile sanè, quum ille Rex cælestis huic populo esset potissimùm promissus. Alienigenis ipsi monstrant viam; & ipsi vicini negligunt. Domesticus populus, tot edoctus Prophetarum oraculis, negligit; alienigenæ ab Oriente accurrunt. Videmus planè omnia externa, siue sit scientia scripturarum, siue professio monastices, siue nobilitas, sine Dei ope nihil valere ad salutem. Humilis Dei cognitio illū demeretur. De Dei donis, si quæ habemus, minimè superbiendum. *Multi* (inquit Christus) *ab Oriēte & Occidente venient & recūbent cum Abraham,* &c. Ille populus erat quidem electus; at non eo melior. Pauperes & tenues aliquando deuotiores multis Sacerdotibus, qui sua officia consuetudine metiuntur. Cogitemus nos esse sicut lutum

Consilium cōtra Deū nullum.

Esa. 1.

Psal. 93.

Psal. 41.

Nabuchodonosor talis.

Cupido honorū quādo tolerabilis.

Simile.

Tituli magni nō faciunt ad salutem.

Matth. 22.

Ierem. 18.

lutum in manu Dei, vt semper humiliter de nobis sentiamus, nos totos ab eius pendere gratia. Nemo tamen Deo suam imputet damnationem: hic sua bonitate omnes vult saluos fieri. Herodes sæuit in pueros, iam Gentiles Romani excitari debuissent vaticiniis Sibyllarũ, vt tam immane scelus execrarentur. Veniunt Hierosolymam: Stella natiuitatis nuncia ad tempus delitescit: Iudæi proferunt Prophetarum vaticinia, quæ illos tamen non mouent. Pastores Angelo credentes properant ad puerum. Nemo diuinam prouidentiam accuset, nemo auxilium sibi deesse queratur ad salutem. Nos nostræ perditionis sumus causa. Verissimè à D. Bernardo dictum est, magis diuinam gratiã de hominibus, quàm homines de illa queri posse. Nihil habent improbi cur de Deo querantur, cùm etiam bestiæ aliquando eos erudire possent. Sic asina Prophetæ insipientiam corripuit. Qui ligna, lapides, vẽtris delicias colit, hominis appellatione indignus est. Habent sanè pij cur de salute sibi à Deo præstita, gratias agant. Turbatur Hierusalem, ciuitas sancta. Ecce quantum noceat, quando caput impium subiectos suos conformat impietati. Misera ciuitas in qua regnat Herodes. Vult Apostolus, vt oremus pro Regibus *Qualis Rector ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.* Videte patres familias qualia exhibeatis exempla. Vide in ista turbatione differentiam inter bona & mala, inter virtutes & vitia.

1. Tim. 2.

Deus vult omnes homines saluos fieri.

S. Bernardus.

Excusationes nullas habemus.

Num. 22.

1. Tim. 2.

Eccl. 10.

Egressis igitur Magis ab Hierusalẽ; *Ecce stella quam viderãt in Oriente, antecedebat eos, vsque dũ veniens,* &c. Dux ille cœlestis planè fidelis stat cum stantibus, it cum euntibus, aptat se, facit eos securos. Vide quæ paterna cura, quam Deus gerit pro illis, qui illum ex toto quærunt corde. *Quæsiui vultum tuum Domine: vultum tuum Domine requiram.* Sicut duxit per columnam nubis filios Israel, ita & adest omnibus qui quærunt illum: dirigit pius Dominus per huius vitæ vias difficiles vadentes, in cœlestem hæreditatem. Hæc nubes est ipsa sancti Spiritus lux, qua per huius seculi tenebras dirigimur & illuminamur, ne à vera via, quæ ducit in cælum, aberremus. Nihil diuinis muneribus sublimius, nihil magnificentius. Vide autem quare in nostris maneamus vanitatibus, quia virium nostrarum, & non Dei auxilij habemus rationem. Filij Israel maluerunt in Aegypto manere quàm egredi. Causabantur omnes difficultates, at Dominus illas omnes superauit. Ecce, Dominus multa auxilia populo, quem in terram Chananæorum adducere voluit, contulit: quanta & qualia conferet eis, quos in cæleste regnum perducere nititur, ad quod eos pretioso sanguine

Psal. 26.

Damnationis nostræ causa quæ.

Via ad cælum indiget magna ope.

guine suo redemit? Populus autem ille erat ingratus,& recalcitrans Deo; nec tamen Dominus Deus desiit beneficia conferre: quid quæso faciet eis,qui fidem piè colunt, quique spem suam opesque omnes in vno illo posuerunt? Stella illa, id est, gratia Spiritus sancti, multum illis confert. Clamemus cum illo: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Facessat ergo,Auditores,omnis dubitatio,& diffidentia. Hæc enim omnia facilè superat hui⁹ diuini Spiritus virtus atque præsentia.

Psal. 142.

Et ecce(inquit)*stella quam viderant in Oriente, antecedebat,* &c. Dum essent in regia ciuitate, vbi tot erant Pharisæi, legis Doctores,Sacerdotes,Herodes,stella delituit: non Magorum culpa,sed vt ea rursus apparente,maiori perfunderentur lætitia. Euangelista paucis explicat gaudij magnitudinem. Gaudium sanè tale,quod nullis poterit explicari verbis.Stella se fidelem itineris exhibet ducem.Cùm ad cunabula peruenissent,statim fixa manet,quasi dicere vellet:Hic est puer quem natum testabar è cælo. Hæc felix stella prima omnium Gentibus Euangelium prædicauit.Hæc stella ita fidei nostræ munus & officium adumbrat,vt nulla re potuerit magis ad viuum exprimi. Stella Magos duxit ad Christum:ita nos fides per has vitæ huius vias difficiles ad veram felicitatem. Fides instar stellæ contra tenebras, contra Dæmonum assultus nobis est,fides itineris nostri dux,fides lucerna pedibus nostris. Hæc est inter fideles & infideles differentia: fideles hac stella diriguntur?infideles habent varias quasi inerrantes stellas,cupiditates suas,quas sequantur. Hinc ille ait: *Omnes populi ambulabunt, vnusquisque in nomine Dei sui: nos autem ambulabimus in nomine Dei nostri, ex hoc nunc & vsque in perpetuum.* Iam Christiani hominis officium est, sicut deos Gentium, ita & stellas eorum, hoc est, viuendi rationes omninò repudiare. Magi certum ducem itineris sui stellam sequebantur; ita veri fideles ab eo quod fides præscribit, nulla hominum auctoritate deflecti debent. Quid hominum dico? Imò si (vt Apostolus ait) *Angeli de cælo aliud euangelizarent, quàm quod fides prædicat, anathema sit.* Hæc omnia breui sermone Apostolus complexus est,cùm ait: *Nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri.* Ad hoc & D. Petrus nos vocat,cùm ait: *Non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis.* Illa requiritur fides, quæ Christi vestigiis innititur,vt ab illius ore & iudicio suspensi simus. Vide exemplum fidei firmissimæ in Abraham. Hanc Stellã,quæ nos ad portum æternæ felicitatis perducit,assiduis votis à Domino cum Propheta petamus: *Emitte lucem tuam & veri-*

Stella est fides nostra.

Fideliũ & infidelium differẽtia.

Mich. 4.

Christiani officium.

Galat. 1.

Rom. 12.

1. *Pet.* 1.

Hebr. 11.

Gen. 12.

Psal. 42.

tatem tuam, ipsa me deduxerunt. Hac ducente ad cunabula Christi feliciter peruenerunt. *Intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes,* &c. Mira sanè & summis laudibus prædicanda horum Sanctorum hominum fides,quæ in eis perfecit, vt cùm oculis carnis nihil splendidum aut magnificum in illo diuersorio cernerent; fidei tamen oculis viderent,quem humi adorarent procidentes. Verè prædicanda fides,verè magna,vt quod cordibus credunt, muneribus protestantur,thus Pontifici,myrrham homini,aurum Deo offerentes. Gaudio magno exultauerunt. Si sola inuenien di spes eos tantopere exhilarauit; quid ipsa inuentio,quid visio,quid possessio? *Lætetur cor quærentium Dominum.* Si lætitia magna est Dominum quærere,quid inuenire? Quis hoc explicare possit, nisi qui inuenit? Meritò ij cum seruo Abrahæ, qui vxorem filio domini sui quærere debebat, exultare potuerunt. Meritò & nos prædicamus nomen Domini,qui tam magnifica gratia nos prosecutus est, vt quamuis alienigenas, quamuis à religione alienos,in vltimis terrarum oris constitutos, ibi tamen nos sua Stella deprehendit, ibi lux affulsit, ibi in vmbra mortis sedentes visitare,& ad cunabula sua adducere dignatus est. Isti nullis pepercerunt laboribus, quo illum tandem inuenire mererentur. Magnis laboribus magna præmia atque solatia proposita sunt. Olim,in veteri lege,quoties insigni aliquo beneficio Dominus populum affecisset, festum aliquem diem instituisse videmus, quo eius beneficij memoriam perpetuò retineret. Sic in recordationem exitus de Ægypto, festus dies institutus,vt omnia illa quæ tunc facta fuerunt,sacris cæremoniis rem gestam exprimentibus,agerentur. Item festum Pentecostes institutum ob datam legem. Vide quorum nos admoneant festi dies Iudæorum. Hunc ergo diem meritò felicissimum esse credimus,quem Ecclesiæ auctoritas confirmat. Meritò sanè felicitatem illam nobis adscribere deberemus, quæ Apostolo in sua gloriosa cõuersione contigit; is siquidem sublatis ab oculis animæ tenebrarum squãmis, lucem recepit,quæ salutis auctorem (quem anteà ignorabat) agnouit. Fuit ille dies Apostolo Epiphaniæ festum, quo illum Deus non stellæ indicio,sed Spiritus auxilio ad se traxit,& diuinorum donorũ consortem effecit. Monet Petrus vt & nos Dominum collaudemus, cùm ait: *Gratias agentes ei qui vos de tenebris vocauit in admirabile lumen suum: qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei.* Sic & D. Augustinus gratias agens: *Cæcus* (inquit) *eram, & cæcitatem amabam; & ad tenebras per tenebras ambulabam*

Leo Papa.

Psal. 104.

Genes. 14.

Gaudendũ nobis quãdo.

Beneficiũ quale nobis exhibitum

Exod. 12.

Exod. 16.

Festi dies quorũ nos admonere debent.

Actor. 9.

1. Pet. 2.

Augustinus.

bulabam. Gratias tibi lux mea, quoniã illuminasti me & cognoui te. Nos quoque illuminati cum Tobia illo rectissimè dicere possumus: *Benedicta sit Domine pietas & misericordia tua, qui me in regione vmbræ mortis sedentem, & in terra obliuionis sepultum, lucis tuæ radiis illustrasti.* Quid nobis Christi conceptio, quid natiuitas, quid vita, quid mors, quid resurrectio & ascensus in cælum profuissent, si hæc ipsa mysteria ignota nobis essent? Hodie nobis claues regni cælestis datæ sunt; hodie omnium diuitiarum opes ante oculos propositæ sunt. Sciat pius quisque duplex esse Epiphaniæ festum; alterum quidem commune, quo generi humano; alterum singulare, quo se Deus pio cuique cognoscendum & amandum præbuit. Et illud quidem hodie ab omnibus; hoc verò ab vnoquoque piorum tota vita celebrandum est; vt abiiciat flagitia, & nouum induat hominem, nouam vitam Christi munere inchoet. Sic sciat se huius perpetuæ solennitatis debitorem esse, quamuis nemo certa fide scire posset, diuinam se consecutum gratiam. Ne autem ante præsepe Domini vacui appareamus, offeramus hæc eadem tria munera spiritualiter. Tria autẽ potissimùm insunt homini, nempe corpus, anima, & spiritus: hæc tria offerre Domino pura & immaculata studeamus: vt integer spiritus, & anima, & corpus nostrum in die Domini reperiantur. Corpus illi offerimus, si ieiuniis & moderato labore ipsum exerceamus. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum,* &c. Animam autem, cùm omnes eius cupiditates diuini amoris gladio abscindimus. Hoc est seipsum abnegare, & crucem suam tollere. Spiritum, cùm mentem nostram, hoc est, intellectum & voluntatem, ad res cælestes, ad diuinum amorem eleuamus. Sic à Deo accepta referimus, vt pietatis præmia in cælis percipere possimus. Amen.

Tenebræ depellendæ

Epiphaniæ dies duplex.

1. Thess. 5.

Prouer. 5.

Luc. 9.

✠

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ, CONCIO, IN QVA POST explicationem lectionis Euangelicæ, lex illa Domini explicatur, qua quater in anno omne masculinum coram se apparere præcipiebat.

THEMA. *Cùm factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus parentibus eius Hierosolymam, secundùm consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cùm redirent, &c.* Luc. 2.

AB infantia Domini Saluatoris ad trigesimum vsque ætatis annum, nihil ferè nobis Euangelistæ præte[r] sacram hodiernæ lectionis historiam tradideru[nt]. Toto enim hoc tam longo spatio Saluator humi[-] litatem exemplo suo docere, & loquacitatem nostram tam di[u-] turno silentio frænare voluit. Sciebat scriptum esse: *Mors & vi[-] ta in manibus linguæ.* Quod eius exemplum licèt ad omnes [...] commune pertineat, singulariter tamen ad eos spectat, q[ui] scientiam suam intempestiuè ostentare volunt, & magis[tri] fieri cupiunt, priusquam idoneos se pietatis discipulos exh[i-] buerint. Hos D. Bernardus coarguit: *O humilitas Christi, qua[n-] tum vanitatis nostræ superbiam arguis?* Quid Christus de[si-] gnauerit relictis parentibus, vt historia canit, intuendum. S[o-] lent enim pij parentes liberorum mores & ingenia in tene[ra] ætate prudenter explorare: vt dum messis adhuc in herba e[st,] quæ sit futuræ fertilitatis spes, intelligere queant. Ætas qui[p-] pe illa artis & fingendi nescia, facilè hominis ingenium & i[n-] dolem prodit. Primis his præludiis Christus, quid per tot[am] vitam suam gesturus esset, non obscurè declarauit. Implo[re-] mus diuinum auxilium.

Prou. 18.

Magistri inepti & intempestiui qui.

Simile.

AVE MARIA.

Ait Euangelista: *Cùm factus esset Iesus annorum duodeci[m,] ascendentibus parentibus eius Hierosolymam.* Cùm optimi p[a-] rentes tranquilliora à persecutionibus, quibus tum ab Hero[de,] tum ab ipso Archilao eius filio persequebātur, nacti essent te[m-] pora, nihil neglexerunt, quod vllo modo ad Dei honorem [...] legis obseruationem facere videbatur. Bonam cōsuetudine[m,] quæ pro lege habetur, diligenter obseruant. Templum, qu[...]

Consuetudo bona seruanda.

est domus Dei, frequentant; vt & puer benè à iuuentute sua instituatur (qui tamen omnis pietatis erat fons) curant, & idcirco eum secum adsumunt. Videmus quæ parentes suis filiis debeāt ad eorum institutionem exhibere: videmus è contrario de his quæ filij suis impendere debeant parentibus. Parentum est, vt filios suos informent, quomodo se debeant ad Deum habere, vt eum ab infantia timeant, ament, ei libenter seruiant. Hęc institutio durat. *Adolescēs iuxta viam suam, &c. Bonum est viro cùm portauerit iugum Domini ab adolescentia sua.* Ducant pueros frequenter ad Ecclesiam. Parētum est filios instruere, quomodo se habere debeant ad proximos, vt eos diligant, beneuoli sint in pauperes, neminem irrideant. Parentum est instruere quomodo se habere debeant ad seipsos vt innocentiam custodiant. Dent illis bonum exemplū virtutis. Ducunt ergo optimi isti parentes Maria & Ioseph à Nazareth secum puerū Iesum, qui in templo totius vitæ suæ opus, tanquam imaginem absolutissimam, spectādum proponit. Amittitur puer inter cognatos, nec mirum, cùm hoc sæpiùs contingat. *Audi*, inquit Spiritus sanctus ad Sponsam, *filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum.* Parentes & cognati carnis id præcipuè amant quod ad eos pertinet, quod è visceribus eorum delibatum est, nempe carnem ipsam. Hanc & nutrire, & fouere, & molliter etiam cum iniuria spiritus educare student: quod cùm faciunt, hostem accerrimum aduersus spiritum armant. *Qui enim*, inquit Sapiens, *delicatè à pueritia nutrit seruum suū, postea sentiet eum contumacem.* Cognatorum affectus fugere admonemur. Hinc Saluator in Euangelio adolescente quem ad se vocabat, dicenti se priùs paternæ senectutis ac sepulturæ curam agere velle, ait: *Sine mortuos sepelire mortuos suos.* Sicque illum à parentum complexu auocans, ad regnum Dei euangelizandum destinauit. Redeunt parentes Hierosolymam, studiosissimè perquirunt, triduum consumunt, nec tum inueniunt. Hic sanè Virginis tenerrimum pectus vehementer sauciatur. Hic experitur, vt antè sæpiùs, quæ sunt mutationes humanæ, quàm variæ rerum vicissitudines. Quæ autem assignari possunt causæ, cur Deus matrem innocentissimam tam acerbo dolore cruciari passus sit, quum nihil admisisset criminis, & redemptio mundi non ad illam pertinebat, quum Christus Dominus peccatorum omnium torcular solus esset calcaturus. Vna quidem ad maius sanctissimæ Virginis meritum cumulandum, altera ad afflictorum omniū solatium, hoc Deo ita disponente, contigit. Hinc pij expendere nouerunt, mala quæ hîc patiun-

Prou. 22. Thren. 3.

Parentum officium in filios.

Psal. 44.

Prou. 26.

Matth. 8. Mortui mortuos sepelire debent.

Mariam quare Deus cruciari sit passus. Esa. [illegible]

tur,non à Deo irato,sed proprio & beneuolo immitti:non alio
sanè vultu atque animo hæc incommoda,quàm ægrotantes sa-
lutaria medicorum pharmaca, quamuis amara, excipere. Ad
quadragesimam vsque diem post natiuitatem capit sincerum
gaudium; ab eo autem die quo ex Simeonis vaticinio futura
Christi certamina intellexit,nunquam adeò purum & solidum
capit gaudium,quod non huius vaticinij recordatione doloris
amaritudine aspergeretur. Quòd autem Dominus permittit
variis calamitatibus exagitari, facit vt ad diuinam opem im-
plorandam excitetur.Sic orabat ille Propheta: *Imple facies eo-
rum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Calamitates
superbissimum illum Regem Assyriorum mortalitatis admo-
nuerunt,& ad Deum compulerunt.Sic Antiochus in se descen-
dit. Sic Manasses ad saniorem mentem reuocatus est captiui-
tate. Sic Naaman Syrus lepra, sic Regulus in Euangelio ad
fidem conuersus. *Vexatio dat intellectum.* Vnius domestici in-
teritus,nos multorum admonet bonorum. Qui autem negli-
gunt tribulationem, & non emendantur, eorum fit vitio, v
quibus ebibita potio nihil prodest. Domus hæc ventis concuti-
tur,& immobilis permanet;altera supra arenam exstructa,flu-
xa est: ita nonnulli tribulationibus puriores euadunt,vt Iob &
Tobias: alij succumbunt, & non permanent.

Tribulationes sustinendæ.

Psal. 82.

Daniel 4.
2. Mach. 5.
Ioan. 4.
Esa. 28.
Vexatio nō semper mala.
Simile.
Matth. 7

Dominus Iesus cùm piis lacrymis finem imponere volui-
set, post triduum se matri quærenti obtulit. Relictis enim pi
Virgo cognatis,templum repetit; & quem inter carnis affin
inuenire non potuit, docentem in templo reperit. Suo enim
quæque res in loco quærenda est. *Dominus in templo sanct
suo, Dominus in cælo sedes eius.* O quoties homo, qui se
Deum amisisse videbatur, vbi ad orationis locum & officiu
confugit, & in eo suppliciter & ardenter orauit, & seipsu
quem penè perdiderat, & Deum quem amissum putabat, in
uenit? Qui se totos precandi studio dediderunt, qui Domin
in templo suo,hoc est,in orationis officio & loco,diligente
studiosè quærunt, hi nimirum sentiunt illos externos mot
Videant autem illi vt sabbathū Domini delicatū ritè celebre
Nihil spiritu deuotionis delicatius,nihil magis vitreum: h
sabbathum semper maxima cura mentis sancti peregerunt. S
mamus exemplum à sanctissima Virgine,& Christum in te
plo,id est,orationis loco quæramus. Non solùm autem loc
sed tempus etiam quo eum reperit, nobis aliquid innuit. P
triduum quippe *inuenit illum sedentem in medio doctorum,*
Quærunt puerum in itinere, inter cognatos & notos, te

Deus vbi inuenitur.
Psalm.

Esa. 58.
Sabbathū celebrandum delicatum.

die Hierosolymis, & ibi inueniunt non in foro, non inter ludentes, sed in templo. Christus inuenitur in Ecclesia fidelium, quæ verè domus Dei est: ibi est tabernaculum Dei, ibi cum illis Deus. Puer Iesus diuersis modis est quæsitus. Quæsierunt Pastores, Magi, Parentes, Herodes quæsiuit, & Principes Sacerdotum. Per triduum illud, rectè tria pœnitentiæ munera intelliguntur. Hoc enim trium dierum itinere transacto, non dubium quin amissus per peccatum Christus inueniatur. Qui plangit admissa scelera, primo die quærit, inde addit primo secundum, confitendo peccata: iam qui addunt tertium, satisfaciendo pro peccatis, pauci sunt, pauci verè pœnitent.

Christus vbi inueniatur.

Triduum quid innuat.

Hæc pars tertia pertinet ad iustitiam, vt reddamus vnicuique quod suum est. Aliena eripi quotidie videmus, contumeliis honorem proximorum frequenter lædimus, detractionibus eorundem famam passim laceramus. Harum autem rerum damna vix vnquam resarciri videmus. Quo fit, vt biduo solùm Dominum quærentes, nec ad tertium hunc diem peruenientes, minimè illum inueniamus, qui post triduum inuenitur.

Fama læsa rarò redditur.

Verùm hoc tridui spatio transacto, cùm ad templum Domini Virgo peruenisset, filium tandem inuenit, *Sedentem in medio Doctorũ, audientem illos & interrogantẽ.* Sedet in medio Doctorum, quasi sapientiæ fons, & humilitatis exemplar. *Magis* (inquit D. Hiero.) *docet, dum prudenter interrogat.* Exemplo Domini, iunior audiat priùs quàm loquatur. Qui priùs respondet, quàm audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum. Mater conspecto filio, exhilarata, mox nihil cunctata, rectà per turbas ad ipsum properans, in hæc verba prorumpit: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus.* Humilis matris cũ filio expostulatio. Loquitur mater, non Ioseph: hæc acerbiore fuerat affecta dolore. Ioseph sciebat eum verè filium Dei: non putauerat suũ esse, vt ipse eum increparet. Quærebamus te, qui vnicum nostrum es gaudium. Nominat Ioseph patrẽ, vt amoueat suspicionem. Qui quærit Iesum, debet diligenter cum dolore & labore quærere. *Scito* (inquit Propheta) *quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem Dei apud te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia.* Quasi dicat; Nescitis ea mihi negotia semper esse tractanda quæ Patris mei sunt? Nihil sanè est in hac rerum vniuersitate quod ille non administret, qui omnia operatur in omnibus. Huius rei gratia, à sanctis Patribus totus oculus, tota manus, totus pes esse dicitur. Oculus quidẽ, quòd omnia videat; manus, quòd omnia operetur; pes, quòd omnia su-

Hieron. ad Paulin.

Prou. 18.

Iesus quærendus sedulò.

Ierem. 2.

Deus oculus, manus, pes.

stineat atque peruadat. Pater operatur, & Filius operatur, & quid huius operis nomine, nisi salutis nostræ negotia designa- tur? Christi perpetuum studium est, munus, atque officium, vi- tam omnem in hominibus iuuandis insumere: quare nobis na- tus, passus, & mortuus est. Quod quidem officium maturiori ætate administrandum, hodie feliciter inchoatum est. Salutis nostræ auctor nulla sua aut vtilitate aut necessitate inductus, imò cum suo maximo labore malis nostris consulere, & salu- tis nostræ opus exequi dignatus est: ita nos hoc tantæ chari- tatis exemplo commoti, sine vlla terreni lucri spe gratis bene- facere studeamus. Christus iubet, vt simus tanquam lucernæ supra candelabrum positæ. Apostolus vult: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Descenditq; cum illis, & erat subditus illis.* Quis, quibus? Deus hominibus: Deus, in- quam, cui subduntur Angeli, Principatus & Potestates obediū- subditus erat Mariæ; nec tantùm Mariæ, sed etiam Ioseph pr- pter Mariam. Disce homo obedire, disce terra subdi, disce pul- uis obtemperare. Deus se subdit, & tu te exaltas? Deus se hu- milibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus tuo te pr- ponis auctori? Filij sex officia debent parentibus exhibere. 1. d- ligant eos ex toto corde. 2. respondeant modestè. 3. præstent corporalia obsequia. 4. corporis necessaria procurent. 5. omne obedientiam præstent. 6. orent pro eis.

Matth. 5.
Galat. 6.
Obedientia præstanda.
Filij quid parentibus debeant.

Iam quæ in Themate promisimus, breuiter proponem- *Voluit* enim *Deus vt omne masculinum ter in anno coram appareret. Exod. 23.*

SACRA huius lectionis historia ex antiqua lege ortum- buit: quæ Israëlitico populo præcipiebat, vt ter in anno om- masculinum appareret coram Domino: in eo videlicet loco quo nominis eius memoria celebraretur. Quia verò hac le- pia quædam religionis actio imperabatur, pauca hoc loco huius virtutis dignitate dicenda sunt. Religio est virtus, - Deo, tanquam rerum omnium principio, cultum quendam honorem exhibemus. Omnis enim effectus naturæ, instin- cultum quendam & honorem exhibet suæ causæ. Sic enim lius patrem à quo genitus est, sic discipulus magistrum, à - eruditus est, sic ciuis Regem, sic seruus dominum à quo - tur, colit. Cùm igitur hæc ipsa, & multa prætereà bene- conditori nostro debeamus, cumque ipse & principium - quo omnia, & finis ad quem omnia referuntur; perspicuum - illi potissimùm hunc cultum ac honorem summo iure deb-

Religio quid sit.

Ad q-

Ad quod nos non modò gratia, sed ipsius quoque naturæ vis & impulsus incitat. Eadem enim natura, quæ interno quodã motu ad parentum dilectionẽ filios excitat, ad Dei quoque summi parentis & conditoris nostri amorem & reuerentiam exstimulat: cùm ipsi quoque parẽtes nostri non à se, sed à Deo habeãt quòd parentes nostri sint. Vt enim D. Basilius ait, quid magis secundùm naturam, quàm eos diligere, à quibus orti sumus, & quos in nos valde beneficos esse perspexim⁹? Ergo cũ Deus sit generis humani parens & conditor, cùm illius munere & beneficio nõ modò conditi & conseruati, verùm etiam innumeris donis & muneribus ornati & instructi simus: quid magis est humanæ naturæ consentaneum, quàm ardenti studio & amore illum colere & venerari! Vnde nulla hactenus natio tam effera & immanis in mundo exstitit, nec tam ab omni disciplina & cultu vitæ remota: quæ natura ipsa instigante, non aliquem cultum huius tantæ molis gubernatori exhibendã censeret. Verè námque priùs hominis sui, quàm conditoris obliuisci, imò (vt Gregor. Theol. ait) non toties respirare, quàm Dei meminisse deberent. Videtis quo iure teneamur summum illum vitæ nostræ parentem & conditorẽ diligere, colere, & venerari? Hæc est religio quæ potissimùm hominem à cæteris animantibus differre facit, quòd videlicet solus homo Deum colere possit, quod nulli cæterorũ datum est. Ratione nos Philosophi à cæteris separant animantibus. Mosaica lex multis ac maximis abundabat officiis; nescio sanè an vllum præstantius esset, quàm quòd filij Israël distantes quotannis ciuitatem sanctam adire iubebantur, vt in illa sancta æde ante Dei conspectum, sempiternum eius numen adorarent, sacrificia immolarent, nuncupata persoluerẽt vota, & debitas pro acceptis beneficiis agerent gratias. Iudæis erat mandatum orare Hierosolymis, licèt orationis locus esset vbique idoneus; at quia arca Domini, & legis tabulę & cętera quæ Apostolus enumerat, ibi adseruabantur, debuerunt ibi in ea vrbe orare. Hæc figura quid aliud innuit, nisi quòd Dominus Deus noster ea loca potissimùm voluit frequentari, vbi ipsius sacrum corpus, imò ipse totus cõseruatur? O mira Dei nostri charitas, imò bonitas & prouidentia, quæ in hoc V. Sacramento apud nos esse, & nobiscum in hoc exilio commorari voluit: vt hoc symbolo admoneremur, in medio quoque nostri præsentem esse, nobiscum agere, & in medio candelabrorum aureorum, hoc est, in medio Ecclesiarum suarum ambulare, vt nos dirigat, vt erudiat, vt protegat, vt tueatur, vt paternam salutis nostræ curam & prouiden-

Thomas.

D. Basilius.

Deus natura diligendus.

Gregorius Theologus.

Lactantius.

Orare vbique debemus.

Hebr. 9.

Euchari-stiæ quid debeatur: summo honore afficienda.

tiam gerat. Quo ergo studio locum hunc adire debemus, vt præsentem Dominum conueniamus, illumque votis precibusque nostris & præsentem & attentum esse, vera & inconcussa fide credamus? Pergunt pij homines Hierosolymam, sacrum illum tumulum adoraturi, qui triduo Dominicum corpus retinuit (quod religiosè faciunt) sed vtrùm quæso maius est, Domini sepulchrum, an ipsum corpus quod iacuit in sepulchro? Magi illi beati ab extremis mundi finibus iter arripuerunt, vt præsentem Dominum adorarent, quem in spiritu adorare in patria sua potuerunt: cur nos eorum exemplo prouocati, vicinum domibus nostris nõ quærimus vt adoremus? Hac de causa Dominus ter saltem in anno omne masculinum coram se apparere in lege olim præcipiebat. Viros, qui sunt expeditiores, apparere voluit, mulieribus domi desidentibus. Exhibetur nobis hîc panis Angelorum, panis cæli, qui omni honore est dignissimus. Adhibeamus itaque eam cautelam cum summa diligentia, vt præsentiam & virtutem omnipotentis Dei ita veneremur, ne sicut illi Bethsamitę temerarij siue etiam Oza imprudens, hîc percutiamur & puniamur. Deus sua inexhausta gratia sit semper nobiscum. Amen.

Adorare Dominum in Eucharistia debemus.

2. Reg. 6.

DOMINICA PRIMA POST OCTAVAM EPIPHANIAE, CONCIO, IN qua Euangelica lectio explanatur; & agitur de triplici mutatione in mundo per Christum Dominum facta.

THEMA. *Omnis homo primùm bonum vinum ponit. Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana.* Ioan. 2.

AVE MARIA.

CELEBRANTVR nuptiæ, & Dominus Iesus vna cum sua matre adest. Mirum sanè quòd Saluator mundi & beatissima Virgo intersint nuptiis & conuiuio hominum secularium, à quibus se viri religiosi & sancti subtrahere consueuerunt, ne alienæ intemperantiæ (quæ in huiusmodi conuiuiis accidere solet) testes atque participes existant. D. Augustinus benè docet, Dominum hoc egisse, vt nuptias suæ præsentiæ testimonio sanctas esse declararet: vtpote qui sciret futuros esse (vt Apost. ait

Augustin. Nuptiæ impiæ nõ sũt.

1. Tim. 4.

qui eas damnarent, quiq; in hypocrisi loquentes mendacium, nubere prohiberent. Reuera enim (vt idem ait) *honorabile connubium est & torus immaculatus.* Inter insignes verò status huius laudes, illa præcipuè numeratur, quod is à Deo institutus & celebratus sit. Et cæteri quidem status post peccatum, & in peccati remedium; hic autem ante peccatum in statu naturæ integræ & in Paradiso, non in peccati remedium, quod non erat, sed ad humani generis propagationē institutus est: quamuis in hoc statu non ad propagationem modò, sed ad remedium quoque peccati deseruiat. Sic enim Apostolus ait: *Propter fornicationem tamen vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum.* Quia enim in hac parte acriùs sæuit concupiscentia, ideò inter Sacramenta, quæ in peccatorum remediū instituta sunt, singulare aliquod institui debuit, quo huic tanto malo honesta aliqua ratione consuleretur: id autem est matrimonij Sacramentum. Libera sunt Sacramenta omnibus & necessaria, vt Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia, extremáque Vnctio, ita etiam matrimonium, nisi qui se castitatis voto obstrinxerunt. Vt autem hic status à Deo institutus sanctitatem suam non amittat nostro vitio, illud ante omnia curandum, vt coniunctionem corporum, coniunctio quoque sequatur animorum. Frustrà enim corpora vniuntur, si animæ per discordiam separantur. Hac autem de causa Petrus Apost. viros, qui ratione & consilio plus valent, solicitè admonet, vt vxoribus tanquam infirmioribus vasculis honorem impendant. Sic enim solemus vasa vitrea, quæ maximè fragilia sunt, cautè circumferre, ne ad solidiora corpora illisa frāgantur. Ad hūc ergo modum vxores tractandæ sunt, quarum tenera mollísque natura (vt sciret se sub viri, qui viribus & consilio pollet, esse potestate) facilè quauis vel leui occasione perstringitur. Hæc igitur natura viri, quæ præstantior est ad imperandum, illa quæ imbecillior, ad obtēperandum magis idonea, ad œconomiam valet. Duo illi fratres qui vrbem Romam condiderunt, ob dominandi libidinem conuenire non potuerunt. Sicut vasa vitrea, quæ cedere & flecti nequeunt, mollibus integumentis circumuestita seruantur & circumferuntur (durioribus enim circumsepta, vbi se mutuò contingerent, frangerentur) ita planè diuina Sapientia (quæ summo cuncta consilio moderatur) rigidam hominis naturam muliebri teneritudini copulauit, vt dum alter alteri cedit, neuter alterum lædere posset. Ex quo facilè liquet, vxoris mansuetudinem ac silentium, dum vir aliquando ira incandescit, hanc mutuam inter eos pacem maxi

Hebr. 13.

1. Corin. 7.

Matrimonium quare institutum.

Matrimonium quibus liberū.

1. Petr. 3.

Simile.

Frater à fratre occisus.

Simile.

Mulier in quem finē creata sit.

August. de suama-tre. *Monica matrona optima.*

maximè alere atq; fouere. Qua potissimùm virtute D.Aug.in Confess. matrem suam B. Monicam plurimùm valuisse cõfirmat: quæ viro frequenter ira & furore percito, summã quandam lenitatem vultu atque animo præ se færebat. Ad Euangelium. *Nuptiæ factæ sunt in Cana.* Fuerũt hæretici iniqui in nuptias, Marcion, Cherinthus, Tacianus, Ebion. Christianis & piis nuptiis interest Iesus & mater eius. Et ô felices illæ! In his ergo nuptiis deficiente vino, misericordiæ mater ad filium ait: *Vinum non habent.* Mater pro conuiuantibus se mediatricẽ interponit. Hi honestissimi hospites, Iesus, Maria, Discipuli, non poterant non nubentium esse benedictioni. Suggerit de penuria vini Vnde autem hanc habuerit de filio confidentiam, considerare licet ex verbis S.Lucæ: *Maria* (inquit ille) *conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Cõpatitur verecundiæ tenuium, sicut misericors & benignissima mater. Quid de fonte pietatis procederet nisi pietas? Necessitatẽ proponit dilectissimo filio. Discimus vt exemplo Virginis in quauis inopia ad Dominum conuertamur, *Effundo*, inquit Dauid, *in conspectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuncio.* Sicut enim pueri infantes, quæcunque illis res siue tristis, siue læta offerat, protinus ad sinum matris confugiunt: ita pij omnes in omni fortuna ad materna diuinæ pietatis viscera tanquã paruuli & imbecilli aduolare debẽt. Quod idem Rex se facere testabatur: *Sicut ablactatus super matrem suam.* Ita vir pius naturæ infirmitatem agnoscens ad Deum in omni pressura confugit, cuius materna viscera in suis necessitatibus expertus est. Vult D.Chrysost. vt fidei anchoram in omni necessitate arripiamus, & instrumentum spei iaciamus, non in mare, sed in cælũ. Multi, cùm ingruit necessitas, arma orationis & spei abiiciunt; hi malè agunt. *Necesse est* (inquit quidam) *diuinum adesse, vbi humanum cessat auxilium.* Sic in omni pressura Propheta Dauid ad Deum confugit. Periti artifices difficillima quæque operum suorum sibi seruant, cùm cætera discipulis facienda committant: ita diuina prouidentia difficiles casus, & humana virtute superiores sibi vni seruauit: cætera verò omnia inferioribus causis à seipso tamen adiutis prouidentia permittit. Non est autem cur quisquam humano more de se Deum æstimans, credat illum clamorum nostrorum assidua importunitate grauari. Sicut enim non grauat puerperam distenta lacte vbera gestantem infantulus qui ea sugit, sed potiùs alleuat: ita cùm immensa illa pietas tot bonis, quæ auidissimè communicare desiderat, refertissima sit; nequaquam illi mole-

Luc.2. *Maria cõpatitur.* *Psal.141.* *Simile.* *Psal.130.* *Spes in Deum ponenda.* *Chrysost.* *Sententia Philonis.* *Simile.* *Deus clamoribus nõ offenditur.* *Simile.*

molestus est, quisquis ei miserendi, séque aliis communicandi materiam præbet. Quid enim magis secūdùm naturam summi boni est, quàm se aliis communicare, & immensę bonitatis suæ radios vbique diffundere? Denique hoc adeò illi gratum est, vt vel hoc præcipuum, siue obsequium, siue sacrificium ab homine exigat, quando enumeratis omnibus antiquæ legis sacrificiis hoc potissimùm exigit, cùm ait: *Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua: & inuoca me in die tribulationis; eruam te, & honorificabis me.*

Deus dat omnia.

Psal. 49.

Cæterùm piæ matri conuiuij necessitatem suppliciter proponenti, apparet quidem prima fronte filium duriusculè respondisse, cùm ait: *Quid mihi & tibi mulier?* Quid hoc est, ô Domine Iesu? Annon tu ipse parentes honorare præcepisti? Cur ergo ita matri respondes, quasi nihil tibi commercij cum illa esset? Ad hoc primùm dicendum est, his verbis Dominum aliquid in se homine maius insinuare voluisse. Alioquin quomodo verum esset quod ait: *Quid mihi & tibi est mulier?* cùm tanta sit inter parentes & liberos necessitudo? Hoc etiam responso, his qui seculum reliquerunt, animum addere voluit, ne se totos voluntati parentum dedant. Edictum Imperatoris nostri semper habendum ante oculos: *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Debemus contra mundum, dæmonem, ac cæteros iuratos hostes arma capere, sic cōtra parētum affectus pugnare difficillimum est, imò est ipsam vincere naturam. Hac de causa cælestis Magister in tota Euangelicæ lectionis serie, quoties cum matre sermonem habuit, semper se seuerè gessit. Cùm parentis aduentum quidam nunciaret? *Quæ est,* inquit, *mater mea?* Deinde subdit: *Nondum venit hora mea.* Et hæc etiam verba videntur aliquid asperitatis sapere; at piis hominibus magnam afferunt consolationem. Scit Saluator noster quid expediat nobis, ita & ipse solus nouit quo tempore expediat. Duorum oportet semper habere rationem, Dei, glorię & salutis hominis. Sic Dominus promissa sua aliquando differt, dum opportunitatem exspectat. Deus Dauidem in pueritia Regem designauit? at quàm acerbis ac diuturnis illum calamitatibus exagitauit, antequam regni possessionem adire permitteret? Sic Saluator noster Iesus in solio Dauidis sessurus: at quantopere exercitatus? His rebus fit vt impij promissionibus & verbis Dei nullam habeant fidem, pij verò sæpè nutent atque vacillent. Quocirca illud saluberrimū præceptum: *Qui crediderit, non festinet;* semper in animo habendum est. Qui enim morā ferre non potest, is neq; constantiam, nec

Exod. 20.

Religiosis quid agendum.

Matt. 10.

Matt. 12.

Promissa cur Deus differat.

1. Reg. 16.

Luc. 1.

Nonne oportuit Christum pati. Luc. 24.

Esa. 28.

nec fidendi perseuerãtiam retinere poterit. Hinc de Abraham ait Apostolus, quòd lõganimiter ferens, adeptus sit promissiones. Sic hîc Dominus noluit statim dare vinum, sed opportunitate habita patrauit miraculum. Sic & nos sæpiùs exagitamur tentationibus, vt discamus in Deo, non in nobis fidere. Clamemus cum Propheta: *Dextera Domini fecit virtutem.*

Deus cur nos permittat tentari.

Psal. 117.

Edito miraculo, *Vt gustauit Architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat vnde esset, ait,* &c. In his verbis magnũ inter Dei ac Dæmonis calicem discrimen designatur, cuius ignorantia, maxima generis humani pars in pestem & exitium ruit: Dæmon enim tanquam subdolus mercator, si quid in suis suggestionibus habet dulce aut pretiosum, initio statim conspiciẽdum atque degustandum proponit: quod verò acerbum & amarum est, seruat in posterum, atque hac fallendi arte parum prouidos & incautos illaqueat. Natura nostra, voluptatis est auidissima, tristitiæ fugax. Vide quàm blanda sit illa meretrix in Prouerb. *Venite, inquiunt impij, fruamur bonis.* At calix hic amarissimas in futurum seruat fæces. Vide quid diuiti epuloni accidit. Huiusmodi voluptuosis hominibus in fine vitæ quid tristius accidere poterit. Meritò exclamare poterunt: *Quæ me dementia ita dementauit, vt meretricem illam Babylonicam ita me circumscribere paterer?* Animaduertite quàm aptè carnalis voluptatis cursum sub splendentis imagine vini Salomon descripserit: *Voluptas quidem blandissima est primò, iam perfecta mordet vehementer.* Ex quibus omnibus liquidò apparet, ea ratione homines à Dæmone, qua pisces à piscatoribus illaqueari & falli. Piscatores enim hami mordentis vngulam dulci esca contegunt: pisces verò escam intuentes, & hami aculeum non videntes, ad prædam læti auidiq́ue concurrunt: cuius tandem aculei vim sentiunt, cùm ab aquis per immissa fila extrahuntur. Hac ergo ratione astutus ille animarum piscator incautos homines oblata recenti voluptate inescat, quam illi dum auidis faucibus deuorant, voluptatem existimant; at cùm ab hac vita, instãte mortis articulo, velut ab aqua in aliam regionem extrahuntur, tum demùm acerbissimum aculeum esse sentiunt, quod antè dulcem escam esse arbitrabantur. Videtis Auditores, qua ratione Dæmon fallat, dum bonum quidem vinum priùs insipientibus propinat: deinde verò quod deterius & feculentius est. Iam si intelligamus tale poculum nobis ab illo callidissimo hoste porrigi, satis nobis prospicere poterimus. Quid ab atrocissimo inimico, nisi interitum nostrum exspectare possumus.

Dæmonis natura.

Aristot.
Prouerb. 7.
Sapient. 2.
Luc 16.
Calix Christi & Dæmonis diuersus.
Apoc. 17.

Prouerb. 2.
Voluptas blandissima meretrix.
Simile.

Momentaneũ quod delectat.

Sed iam quonam modo se veritatis auctor Dominus cum hominibus gerat, expendamus: diuersa certè ratione: si quid enim habet eius doctrina difficile aut asperũ, initio statim proponit. Apud Matthęum de duabus viis, quarum vna est amœna in initio, altera autem angusta: hîc prodit, quæ sit conditio vitæ humanæ. *Qui*, alibi ait, *amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus. Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.* Non gaudet fallaciis diuina sapientia, non nititur mendaciis æterna veritas: apertissima oratione disciplinæ suæ leges moresque proponit. Hac spe animati martyres, non solùm bona, sed & vitam pro Christo posuerunt, tum viri, tum virgines teneræ. Quid verò erit præmij in altera vita? Nimirum quod in libro Sapient. scriptum est: *Si coram hominibus tormenta passi sunt*, &c. Horum felicitatem & gloriam describit Ioan. in Apoc. *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*, &c. Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna. Felices profectò animæ, in quibus perpetuum sibi domicilium Deus constituit. Quid hac gloria beatius? Rectissimè à Propheta dictum est: *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.* Videtis ergo quantum inter exitum & initium vitæ piorum & improborum intersit. Vnde meritò de fideli anima scriptum est: *Fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo.* Facies dæmonis tristis & funesta est, quæ mortẽ & gehennam secum affert, quæ peccatis debentur. Fuge blandientem voluptatem, agnosce latentem aculeum. Ob hoc igitur *benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectũ, quo liberatus sum de laqueo.* Nobis optio proposita est, vtrùm malimus hîc ad horam lætari, & in altera sempiterno luctu torqueri: an exiguis in hac vita laboribus exerceri, & in altera æterna felicitate donari. Nõ scorpionis facies attendenda, sed cauda, quę pungit. Moyses perterritus fugiebat colubrum ex virga surgentem: quem tamen iussus cauda apprehendere, innoxium atque innocentem reperit. Virtutis via initio quidem videtur difficilis, at vsu & consuetudine mollior efficitur. Sic calcei, sic manicæ, sic caligæ, cęteráque indumenta, membra omnia, quibus primùm aptantur, stringendo premunt: quæ tamen posteà vsu latiùs porrecta, minimè grauant. Hæc est pax illa iustitiæ indiuidua comes, quæ exsuperat omnem sensum: hoc est gaudium in Spiritu sancto, cæteráque eiusdem dona & charismata, quibus piorum mentes instructæ & dilatatæ, diuinorum mandatorum viam alacriter currunt. Ex his liquet, improbos ex tenebris ad tenebras, ex miseriis ad miserias

Deus quo se habeat erga nos.

Matt. 7.

Matt. 10.

Apoc. 7.

Psal. 125.

Vide diuitem & Lazarum. Luc. 16.

Iob 1.

Psal. 15.

Optio nobis data salutis siue interitus.

Exod. 4.

Simile.

Via Domini alacriter currenda.

miserias proficisci: contrà, pios à spirituali iucunditate in sempiternam tendere felicitatem: ibi videbunt Deum reuelata facie, qui est benedictus in secula. Amen.

De triplici mutatione per Christum in mundo facta.

In lege Moysi quatuor animaduertere licet. Primùm quidem eius mandata, deinde promissa, tum futurarum rerum imagines, ac postremò onus & pondus legis: quæ omnia per Christum perfecta & in melius commutata sunt. Dominus terrena in cælestia, carnalia in spiritualia velut frigidā aquam in vinum preciosum commutauit, dum imperfectam legem transtulit in Euangelium. Tota Euangelij lex vno charitatis præcepto continetur, dicente Apostolo: *Plenitudo legis est dilectio.* Qualia sunt quæ præcipit, talia & ea quæ promittit; non carnalia, sed spiritualia, nempe immortalitatis gloria. Sic ipse qui verus est agnus, qui abstulit peccata mundi, aquam in vinum commutat, dum terrena æternis commutat. Qualis lex, tales & cultores eius. Lex erat imperfecta, ita & eius cultores: at Euāgelica lex est spiritualis; vult vt quæ sursum sunt sapiamus, non quæ super terram. Tales erant Apostoli, tales innumeri Patres, qui alimento, & quibus tegerentur contenti, nihil præter ea in hoc seculo requirebant. Superest alia mutatio, quia non modò lex, sed ipse etiam Legislator per Christum mutatus est: mutatus non naturæ varietate, sed beneficiorum largitate. Olim terribilis dicebatur, Deus vltionum: ille nunc Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis nuncupatur. In hanc sententiam multa possunt congeri, quæ piis hominibus essent, ac præsertim timoratis conscientiis gratissima, sed hæc prætereunda; ne dum timoratis consulere volumus, præsumptuosis noceamus: quibus in hoc misericordia Dei prędicatur, vt ex ea licentiùs peccandi arripiant occasionem: quamobrem indigni sunt quibus hoc tam lætum diuinæ miserationis nuncium euangelizetur. Est quidem Dei gratia inexhausta; at memineris Dei dona ad Christi viua membra pertinere. Viua sunt, non quæ fidem mortuam habent; sed quæ charitatis etiam glutino illi adiuncta sunt. Det Dominus gratiam, ne in vacuum Dei gratiam receperimus, verùm vt in preciosum vinum permutemur. Amen.

Rom. 13.

Lex imperfecta, Euangeliū autem virtus Dei. S. Franciscus talis fuit.

Psal. 93. 1. Cor. 1. Deus qualis nunc & qualis olim fuit.

DOMI

DOMINICA SECVNDA POST OCTAVAM EPIPHANIÆ, CONCIO, IN qua lectio Euangelica explanatur: item mirabile diuinæ maiestatis iudicium de reprobatione Iudæorum, & vocatione Gentium: de felicitate piorum & suppliciis improborum.

THEMA. *Cùm descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ, &c.*

Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum, &c.

HODIERNA sancti Euangelij lectio, quæ nobis ad explicandum proposita est, duo continet miracula, pietatis ac misericordiæ diuinæ plenissima. Quæ quamuis nudam sonare videantur historiam, magnis tamen mysteriis (vti videbimus) sunt referta. Agemus igitur vt eam breuissimè explicemus. Ait sanctus Euangelista: *Cùm descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ: & ecce leprosus veniens adorabat.*

AVE MARIA.

CVM descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. In monte quidem Dominus diu consederat, vbi & sermonem illum omni laude dignissimum; in quo tota penè Euangelicę Philosophię summa cõtinetur, ad discipulos habuit. Quamdiu verò in hoc edito loco moratus fuit, nullus ad eum ex illa multitudine accessisse legitur: at vbi ad planiora & humiliora loca descendit, multæ illum turbæ secutæ esse perhibentur. Quæ res mysterio, & quidem amplissimo, non vacat. Quid igitur hoc est? Nimirum quamdiu Dominus in augusto illo & sublimi diuinitatis suæ monte ita residebat, vt ad nos per susceptionem carnis minimè descendisset, pauci eum sequebantur; pauci enim erant qui illum pro meritis diligerent, colerent, & vererentur. At vbi inclinauit cælos & descendit, vbi à maiestate & seueritate sua ad lenitatem descendit, secutæ sunt eum turbæ multæ. Hac stupenda dignatione, hominum ad se corda & oculos per amorem traxit. Sed quibus funibus? Certè summo hoc beneficio, summísque benignitatis argumentis. Hi sunt illi funes, de quibus per Prophetam idem Dominus ait: *In funiculis Adam traham eos.* Hebræi legunt, *hominum.*

Incarnationis opus excitat ad amorem.

Funes quibus ad Deũ trahimur. Oseæ 1.

atque ita ſenſus eſt : Traham eos ad me, non qua ratione in-
domiti tauri,atque feræ funibus ligatæ trahuntur,ſed qua ho-
mines beneficiis allecti, ad benefactoris ſui amorē incitantur.
Hominis animus generoſus. Generoſus quippe eſt animus hominis, & potiùs ducitur quā
trahitur. Traham eos non minis ſiue verberibus, vt hactenus;
ſed potiùs amore. Quod omnibus Sanctis ac præcipuè Marty-
ribus eueniſſe cernimus;quos nulla tormenta à Chriſti amore
diuellere potuerunt. Plus Dominus effecit humilitate quàm
maieſtate,plus amore quàm timore:quod certè ingenti admi-
Simile. ratione non vacat. Cùm enim diuinitas illius ſit veluti purum
& immixtum vinum : humanitati verò coniuncta, ceu vinum
aqua dilutum : mirùm profectò eſt, vinum hoc magis mente[s]
hominum amore inebriaſſe, humanitatis aqua dilutum,quàm
cùm omninò purum citra humanitatis coniunctionem fuit.

Incarnationis opus ad imitationem. Videtis ergo, Auditores, quàm amabilem ſe nobis Saluato[r]
exhibuit,cùm hoc modo ex monte deſcendit? Nec amabile[m]
ſolùm, ſed etiam (quod maximè ad ſalutem noſtram pertine-
bat)imitabilem. In iis enim duabus rebus ſummam felicitat[is]
noſtræ poſitam eſſe, ſummus Philoſophus Plato non ſeme[l]
affirmat,nempe in Dei amore & imitatione. Talis enim vnu[s]-
quiſq; efficitur, quale id eſt, in quod amore & imitatione fe[r]-
tur. Conſtat autem hoc in primis Deum à nobis exigere,vt i[l]-
lũ imitemur,illique,quoad fieri poſſit,ſimiles efficiamur. Hi[nc]
illa Domini toties in lege repetita admonitio : *Sancti eſto[te]*
Leuit.11. *quia ego ſanctus ſum.* Et in Euangelio: *Eſtote*, ait, *& vos perf[e]-*
Matth.3. *cti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Et Apoſtol. Pau-
Philip.3. lus : *Eſtote imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi.* Sed imbecill[is]
Deũ quatenus ſequi poterimus. homo quomodo poterit Deum imitari quem non videt? De[um]
imitandus virtute. Intuere eius innocentiſſimam vitam, & vi-
debis quas imitari debeas virtutes. Habes ibi ſpeculum. S[ic]
deſcendit de monte, & ſic homines hominem ſequi poſſu[nt].
Hoc ſit noſtrum ſtudium continuum. Iam aliter perfecti, al[i]-
ter imperfecti Dominum ſequuntur. Qui perfecti ſunt qua[n]-
tum eis per gratiam Dei licuerit, omnes eius virtutes in ſe[i]p-
ſis adumbrare nituntur, dantque operam vt agnum ſequant[ur]
1.Corin 11. quocunque ierit. Sic Apoſtolus ſequebatur: *Imitatores mei eſt[o]-*
te ſicut & ego Chriſti. Sequebatur per gloriã & ignobilitatem.
Sequela Chriſti inæqualis. Felix ille qui hoc ſtudio veſtigia Chriſti ſectatur, qui pro e[o]
labores omnes libẽter pati paratus eſt. Qui autem infirmus e[ſt]
viribus, vt non poſſit ſequi Chriſtum ardua petentem, det op[e]-
ram vt illum ſequatur è monte deſcendentem. Si non po[teſt]
Chriſtum ſequi cùm quadraginta diebus & noctibus ieiun[at]
in de[ſerto]

in deserto, sequere saltem illius parsimoniam & sobrietatem, quando cũ peccatoribus & publicanis parcissimè edit & bibit. Si non potes totam noctem cum illo peruigil in oratione manere, subtrahe saltem aliquid somno, & summo saltem diluculo orationi cum illo in templo vaca. Christus est arbor illa vitæ in medio sita Paradisi, in qua & alti & humiles rami sunt: vt ad illos aues cæli, ad hos verò statura pusilli, hoc est, infirmi pertingere valeant. Christus est speculum omnium virtutum, in quo & summi viri & infimi inueniunt quæ sequantur. Sed iam tempus appetit, vt cum Domino ad planiora descendentes, quid in his locis gesserit, audiamus. *Ecce*, inquit, *leprosus veniens adorabat eum dicens: Domine si vis, potes me*, &c. In his verbis perfectissimum orationis exemplum nobis proponitur. Multum enim ad impetrandum referre, quomodo ores, D. Iacobus testatur: *Petitis*, inquit, *& non accipitis, eò quòd malè petatis.* Quomodo ergo bene petemus? Certè leprosus hic nos hanc artem plenissimè docet: qui nequaquam fuisset adeò celeriter exauditus, nisi perfectissimam orãdi formam tenuisset. Primùm igitur cum magna humilitate orauit: *qui* (vt Marcus ait) *procidens in faciem suam, & adorans Dominum, suppliciter illi petitionem suam proposuit.* Quantũ vera cordis humilitas ad impetrandum valeat, declarant illa Prophetæ verba: *Respexit in orationem humilium, & nõ spreuit precem eorum.* Et illa rursum: *Quoniam tu populum humilem saluum facies, & oculos superborum humiliabis.* Leo animal generosum, nisi fame vrgeatur, prostratis parcere dicitur: quod ingẽtis animi est. Si hæc placabilitas veræ nobilitatis propria est, quid faciet infinita illa & summa nobilitas, vbi se supplex homo ante illã demiserit? Vide quomodo pepercerit humiliato Achab? Videte (quæso) quãtum in sceleratis etiã hominibus animi submissio apud Deum valeat? Addit etiã leprosus humilitati egregiã fidem quæ tantam ad impetrandũ vim habet, vt Dominus dicat: *Quicquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis.* Fides autem eius in hoc apparet, quòd non dixit: Si quid potes adiuua nos, misertus nostri; vt alius quidam dixit: sed id solùm dixit, quod vni tantùm Deo conuenit nempe: *Si vis, potes me mũdare.* Solius quippe Dei est, parem voluntati habere potentiam; de quo scriptum est: *Subest tibi cùm volueris posse.* Non rogauit vt Centurio, vt descenderet. Videtis leprosi coniunctam fidei & humilitati obedientiam. Obedientiæ nanque est voluntatem propriam diuinæ volũtatis beneplacito atque dispositioni subiicere. Hæc autem obedientia humilitatis atque fidei legitima proles est.

Luc. 5.

Christi actio, nostra instructio.

Iacob. 4.

Orationis formam leprosus dat.

Psal. 101.

Psal. 17.

Simile.

3. Reg. 21.

Matth. 11.

Ioan. 4.

Deo omnia subsunt.

Oportet vt causam nostram illius fidei & prouidentiæ committamus, neque nobis aliquid nostro iure vendicemus.

Oratio quomodo instituenda.

Hæc tria sunt quæ in precationibus nostris seruare leprosi huius exemplo debemus. Primùm enim nos ante supernam illam maiestatem demittamus. Tum fiducia de eius miseratione succedat, quæ est quasi arrha. Talis illius sanctæ Annæ fiducia fuit, cuius vultus, cùm filium à Domino postulasset, non sunt in diuersa mutati: quia, vt D. Augustinus hoc in loco ait, nunquam ampliùs de diuina misericordia & orationis suæ efficacia dubitauit. Humilitas & fiducia debent copulari; quarum altera nihil se omninò mereri fatetur; altera omnia se impetraturam confidit. Postremò cùm corporis incolumitatem, ac huius temporis bona petimus, ita ea petamus, vt quoniam quid nobis expediat ignoramus, totum hoc diuinæ voluntati atque paternæ eius prouidentiæ relinquamus, nihil illi præscribentes. Leprosus non obstinato animo salutem petiit, sed diuinæ voluntati se totum commisit.

1. Reg. 1.

Cuius petitioni Dominus annuens, *Extendit manum suam, tetigitque illum dicens: Volo, mundare: Et confestim mundatus.*

Leprosum Dominus tâgit cur.

Cur Dominus leprosum tetigit, cùm solo verbo sanare posset? Primùm vt quo affectu & obsequio erga eos qui contagiosis morbis laborant, esse deberemus, exemplo suo doceret. Deinde, quoniam morbo lepræ peccatum mysticè designatur; tactu manus suæ significare voluit, neminem à peccati lepra, nisi Dei ipsius ope adiutum, & quasi salutari eius manu tactum, sanari posse. Draco ille magnus non potest facilè elabi ex animo peccatoris. Quemadmodùm vt grauida mulier fœtum producat in lucem, necessè est obstetricem adesse, quæ enitentẽ opera & arte sua iuuet: sic etiam vt mens Deo grauida propositum vitæ melioris, quod animo concepit, in lucem educat, vt prauæ consuetudinis catenam frangat, non quauis obstetrice, sed ipsius omnipotentis Dei manu obstetricante indiget; sine qua omnis humanus conatus frustra suscipitur. Cui rei D. Augustinus est exemplo: qui tot annos ante conuersionem suam cruciabatur vt pareret, nec tamẽ peperit, quousque hæc omnipotentis Dei manus illi adfuit. Quam rem Dominus hoc loco designauit, cùm insanabilem lepræ morbum medicæ manus suæ tactu curauit. Postremò hac etiam de causa leprosum tetigit, vt admirabilem Sacramenti Eucharistiæ virtutem declararet: in quo idem contactus atque Christi corpus est: à quo videlicet tunc temporis virtus exibat, & sanabat omnes. Quæ verò virtus eo tẽpore quo fides fundabatur, visibiliter sanabat corpora, eadem modo

Simile.

Luc. 6. Christi tactus salutaris.

modò, fundata iam fide, inuisibiliter animas sanat: quod nec minùs mirandum, nec minoris æstimandum est. Tum temporis multi nitebantur Dominum tangere, vt sanarentur: studeamus nos eum per Sacramenti susceptionem tangere, vt à morbis animæ liberemur. Maior cura animæ quàm corporis esse debet. Sed ad historiam redeuntes, leproso iam mũdato, Saluator ait: *Vide nemini dixeris. Sed vade ostende te Sacerdoti, &c.* Indicit illi silentium. Christus non sibi, sed nobis metuebat, qui stipula sicca leuiores, & folio, quod à vento rapitur, instabiliores sumus. Propter quod & bona quę agimus, & quæ à Deo dona percepimus, silentio sæpe tegenda sunt: ne sub diuinæ laudis specie nos ipsos aliis tacitè vendicemus. Vide quid Pharisæo illi contigerit, qui dum gratias se Deo agere putaret, quòd non esset sicut cæteri hominum, sub prætextu gratitudinis in vitium incidit elationis. Deus virtutes suas silentio tegi præcipit, non suo, sed nostræ infirmitatis periculo consulens.

Multi habent bona, & ignorāt, vt Moyses consutam faciem.

Luc. 18.

SECVNDA PARS CONCIONIS, *quæ de reprobatione Iudæorum, & vocatione Gentium agit. Item de felicitate piorũ, & suppliciis improborũ.*

MVLTI *ab Oriente & Occidente venient, & recumbent.* His verbis, Auditores, duo mysteria, cognitu maximè necessaria, cælestis Magister nobis hodie ob oculos ponit: primùm, iudicium illud admirandum, quo pro Dei electo populo Gentilis cooptatus est, ad mentẽ nobis reuocat. Quod eo quidem consilio facit, vt iudicij huius causas perscrutantes, easque studiosè considerantes, nobis opportunè prouideamus, ne à gratia Dei excidamus. Deinde verò quæ electis præmia, quæ reprobis supplicia constituta sint, breui oratione describit: cùm illos ad regni cælestis conuiuium cum Abraham, Isaac, Iacob inuitãdos, istos verò ad fletum & stridorem dentium rapiendos esse dicat. Huius rei typum, Dominus cùm in multis veteris Testamenti locis, tum præcipuè in electione Iacob minoris natu, & reprobatione Esau, cui benedictio debebatur, miro modo voluit adumbrari. Cæterùm quantum nobis timoris ac stuporis hoc Domini iudicium incutere debeat, illa sancti Patriarchæ Isaac admiratio declarat, de quo, cùm huius rei imaginem in spiritu vidisset, ita scriptum est: *Expauit Isaac stupore vehementi, & vltrà quàm credi possit admirans, ait: Quis igitur ille est, qui dudum captam venationem attulit mihi, & benedixi ei, & erit benedictus?* Quòd si hoc adeò mirabile fuit; quale quęso

Gentium vocatio, & Iudæorum reprobatio.

Gene. 27.

erit, hæreditatem cælestem & sempiternam à primogenito Iudæorum populo eripi, & ad Gentilem populum, hoc est, ad impietatis cultores transferri? Si obstupuerunt ex circuncisione fideles, cùm Spiritus sancti gratiam in Nationes effusam viderunt, exterósque filiis ac domesticis Dei æquari: quid facerent, si viderent etiam præferri? imò verò istos eligi, & illos repudiari, & auferri ab illis regnum Dei & alienigenis dari? domesticos fieri peregrinos, & peregrinos in domesticos cooptari? Quis hîc cum Apostolo non exclamabit: *O altitudo diuitiarum, sapientiæ & scientiæ Dei?* &c. Hanc rerum tantam commutationem variis modis in literis sanctis adumbratam cernimus. Hoc item Dominus non sub vmbris & figuris apud Prophetam, sed apertissima oratione futurũ pronunciat his verbis: *Non est mihi*, ait, *voluntas in vobis, & munus*, &c. Antiquus populus deseritur, & nouus ex gentibus cooptatur. Iudæi sibi ac suis operibus plurimum tribuebant, Christi gratiæ nihil relinquebant, meritò ab eo deserti, & sibi ipsis relicti, in multa deinde facinora prolapsi sunt. Gentes verò, quæ nihil habebant vnde fidere sibi possent, ipsa sua paupertate admonitæ, ad diuinæ gratiæ opem confugerunt, & in ea, non in se, salutis suæ fiduciam ponentes, veræ iustitiæ compotes facti sunt. Superbia est fons omnium malorum; hac & primus homo, clarissimus ille Angelus & infelix Iudæorũ populus à dignitatis suæ gloria corruerunt. *Initium omnis peccati superbia est: & initium superbiæ hominis, apostatare à Deo.* Verùm vt ad nos redeamus, Iudæorum exemplo monemur, vt omnem à nobis animi tumorem, tanquam salutis pestem abscindamus, ne à diuina gratia derelicti, in peccati & gehennę barathrum detrudamur. Illud etiam videndum, ne nobis de hac electione & Iudæorum reprobatione blandientes, & percepta gratia ad elationem animi, & illorum contemptum abutentes, accepto munere reddamur indigni. Hunc scrupulum tractat Apostolus. Hæc Apostoli sententia verum est nostri seculi vaticinium: iam enim multi fidelium per tot hæreses à corpore Christi excisi, Satanæ membra effecti sunt. Alteram causam regius Propheta insinuauit, cùm ait: *Populus quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.* Quibus verbis Gentilium fidem & pietatem commendat: qui cùm nunquam anteà Deum cognouissent, nec Christum in carne, aut eius miracula vidissent, ad Apostolorum prædicationem conuersi, eius disciplinam deuotissimè receperunt: legitimi filij mentiti sunt illi. *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Deus non alienauit illos à se, sed

Actor. 10. *Rom. 11.* *Malach. 1.* *Iudæi cur derelicti, & Gentes assumptæ.* *Superbia ruinarum origo.* *Eccl. 10.* *Idem.* *Felix quē faciunt aliena pericula cautum.* *Roma. 11.* *Ruina nostri seculi.* *Psal. 17.* *Ioan. 1.*

ſed ipſi ſe à Deo ob infidelitatem & impietatem alienarunt. Videmus quòd Deus iuſtitiam ſummo amore, & impietatem ac flagitia ſummo odio proſequatur: atque eo fit, vt nihil apud illum, niſi ſola virtus & iuſtitia in pretio ſit, non genus, non opes: hæc enim omnia apud eum puluis & vmbra ſunt. Fides contrà & pietas coram eo tantum bonum eſt, vt vel in admirationem ipſum cõcitauerit. Hoc innuit D. Petrus in domo Cornelij. *Mundi*, inquit ille, *ſunt oculi tui, ne videant malum.* Id adeò verum eſt, vt ſi quo die Dauid & Petrus Apoſtolus deliquerunt, ſine pœnitentia deceſſiſſent, non dubium quin eos Dominus tanquam infenſos ſibi hoſtes, tanquam peccati ſeruos in tartara cum principe ſuo in æternum torquendos conieciſſet. Iudæis nihil profuit quòd fuerunt filij Abrahæ: ſic nec Lucifero ſua dignitas. Itaque attentiùs mihi hanc rem conſideranti (cùm eximio Deus amore pios homines complectatur) apparet ſanè, hanc eius dilectionem magis quidem virorum erga vxores, quàm parentum erga filios ſimilem eſſe. Parentes enim filios ſuos ita diligunt, vt quamlibet nocentiſſimi ſint, nihilominùs tamen, quia filij ſunt, diligunt. Sic enim Dauid parricidam filium adeò impenſè dilexit, vt ipſe pro illo mori etiam concupiſceret. At mariti erga vxorem charitas, quamuis omnium maxima ſit, eatenus tamen durat, quatenus illa datam fidem ſeruat. Violata fide, ſumma illa amicitia non modò diſſoluitur, ſed in grauiſſimam etiam inimicitiam commutatur. Hoc ergo modo cum hominibus ſe Deus gerit: qui ſi pietatem colant, eos tanquam filios, imò tanquam pupillam oculi chariſſimos habet: ſi verò à patris nobilitate degenerent, totus hic amor in acerbiſſimum odium vertitur. Ad infinitam quippe bonitatem vtrumque ſpectat, & ſummo amore proſequi bonitatem, & pari odio iniquitatem deteſtari. Det Dominus Deus gratiam, vt ita temporalem vitam inſtituamus, ne amittamus æternam. Amen.

Deus cuius rei habeat rationem.

Actor. 10.

Abac. 1.

Simile.

2. Reg. 18.

Maritalis amor vt diſſoluatur.

✠

DOMINICA TERTIA POST OCTAVAM EPIPHANIAE, CONCIO, QVAE lectionem Euangelicam explanat: in qua etiam de rerum aduersarum ac tribulationum necessitate, remedio, earumque fructu & vtilitate differitur. Comparatur & vita præsens mari periculoso: & quomodo ad salutis portum perueniamus.

THEMA. *Ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus.* Matth. 8.

HABEMVS in lectione sancti Euangelij, auditores, nauiculam, quæ Dominum vehebat periclitâtem, discipulos ad Dominum clamantes, & Dominum mirabili virtute subuenientem, & nautas omnipotentem eius virtutem admirantes. Ex qua quidem tria potissimùm colligere licet. Primùm non defuturas piis hominibus in huius vitæ curriculo variarum calamitatũ procellas: deinde vnicum earum remedium esse, salutem & opem à Domino postulare: ac postremò quinam præcipui fructus ex huiusmodi liberatione consequantur. Vt igitur tria hæc, quæ ad vitæ munimẽtum & institutionem maximè necessaria sunt, pro dignitate tractare possimus, cælestem opem sacratissimæ Virginis interuentu suppliciter imploremus.

Diuisio.

AVE MARIA.

Lectio sancti Euangelj, Auditores, quæ salutaris huius doctrinæ fundamentum est, sic habet: *Ascendente Iesu in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius: & ecce, &c.* Ecce, Auditores, quid eos exspectare par est, qui cum Domino nauigare, & in eandem cum eo nauiculam ingredi parant. Sciant igitur hi, neque illis (vt diximus) tribulationum & laborum procellas, nec auxilium de cælo defuturũ: quo & à pusillanimitate spiritus, & tempestate liberentur, & in portum salutis (Domino dirigente) perducantur. Vtrumque autem Saluator expressit, cùm ait: *In mundo pressuram sustinebitis: sed confidite, ego vici mundum.* Sed hæc tempestas foris sæuit, quam excitat mundus: alia verò turbulentior sæuit intus, quam prauis affectibus & cupiditatibus suis excitat caro, dum aduersus Spiritum concupiscit. Cùm ergo labores ac procellæ nos intus & foris vndique circunsistant,

Tribulationes quos maneant.

Ioan. 16.

consistant, quas ferre partim, partim superare necesse sit, non mirum vtique si salutem nostram in laborum perpessione Saluator ipse collocauit, cùm ait: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Quòd autem Dominus salutem hominum in laborum patientia collocauerit, causa est, quòd laborũ magna copia in hac fragili & ærumnosa vita reperiatur. Quemadmodum enim eorum Sacramentorum materiam, quæ ad salutem maximè necessaria erãt, in iis rebus posuit, quæ vbique ad manum sunt, nempe in pane, vino & aqua: ita planè magno diuinæ pietatis consilio factum est, vt salus nostra (qua nihil nobis aut maius aut charius esse debet) in laborum perpessione collocaretur; quòd hęc laboris atque patiendi materia nusquam non inueniatur. Quis enim in hoc mundo locus, quę domus, quamlibet felix & opulenta sit, quæ laborum & calamitatum expers sit? Magis rerũ iactura torquet, quàm acquisitio earũ delectare posset. Salutem nostrã Deus non modò in rebus quæ ad manũ sunt, sed etiam quas effugere nulla arte, nec boni nec mali possunt, esse voluit; dũmodò quos patimur labores, leniter & moderatè feramus. In malis omnibus habemus occasionẽ ad malorum depulsorem Dominum confugiendi. Labor tribulationis ad eximiam humilitatis virtutem viam munit. Si igitur humiliatio, hoc est, tribulatio nos ad humilitatem ducit, quis hũc tantum thesaurum, vel hoc pretio sibi comparare renuat? Iam dum nauis in tempestate iactatur, Dominus dormit. Quid hoc sibi vult? Dominus, qui sedare tempestatem debuerat, dormit. Dominus quidem dormire videtur, preces repudiare, remedia in longum differre. Pij homines & innocentes non in perpetuum, sed ad tempus pia dispensatione deseruntur. Hæc sanè fidelis Dominus, qui non patitur nos tentari supra id quod possumus, ideò piis accidere patitur, vt illorũ fidem, spem, charitatem, patientiam atque constantiam exerceat atque exploret. *Tentat*, inquit Moses, *vos Dominus Deus vester, vt sciat vtrùm diligatis eum an non.* Nemo vires suas in pace cognoscit, quas in prælio experitur. Discipulorum operatio & oratio declarat, quid hoc tempore, cùm tribulationum vndis obruimur, sit faciendum. Hi cùm imminens mortis periculum ante oculos viderent, ad dormientem Dominum clamauerunt: *Domine, salua nos, perimus.* Est enim oratio commune infirmitatis perfugium. Medici curant corpus, oratio est commune medicamentum animorum. Ideoque omnes sancti ad hanc, in calamitate positi, confugiunt. Ad hoc autem ipsa natura nos instigat, quæ & salutis auida, & imbecillitatis suæ conscia, & diuinæ proui-

Luc 21.

Salus in laborũ patientia.

Labor cõmunis est.

Humilitas labore acquiritur.

Charitas vt ferrum exercẽda.

Deut. 13.

Remediũ in calamitate.

dentiæ non ignara, cùm malorum turbine quatitur, ad ipsius prouidentiæ opem internis motibus instigat, vt qui nos cōdidit, idem seruet quos condidit. Ille conditor & conseruator noster. *Omnes nostri capilli ab eo numerati sunt. Ecce*, ait Propheta, *respice: opera manuum tuarum omnes nos.* Quis ergò est, qui opera manuum suarum, qui domesticos suos, qui denique filios suos in calamitate positos deserat? Quis enim filius quem deserat pater? Ad hunc autem modum Esaias Propheta precatur Dominum his verbis: *Attende Domine de cælo, & vide de tabernaculo sancto tuo. Tu enim pater noster, & Abraham nesciuit nos, & Israël ignorauit nos*, &c. An non cum discipulis dicere Propheta videtur: *Præceptor, non ad te pertinet quòd perimus?* Hoc est primum in calamitate refugium, ad quod sanctus ille rex Iosaphat confugit, quando innumerabiles contra se barbarorum hostium copias cōglomeratas vidit, totum spiritum suum contulit ad rogandum Dominum. Sic quoque illa Iudith, quæ gentem suam ab imminenti liberauit exitio: *Nihil*, inquit ad Seniores, *fiat, nisi oratio pro me ad Dominum.* Oratio non debet esse languida, sed feruens & frequens. *In die*, inquit Propheta, *tribulationis meæ, Deum exquisiui manibus meis*, &c. Videtis quo feruore instabat. Hoc igitur vnum & maximum est in malis remedium. Est & aliud in hoc ipso tempore & tribulatione remedium, nempe fidès veritatem diuinarum promissionum reminisci: quæ sperantibus in Domino instar impenetrabilis clypei sunt. Nam si ipse iubet, vt ad se in tempore calamitosè confugiamus, & illius opem imploremus, ac inuitet: *Venite*, inquit, *ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos:* quì fieri potest vt inuocatus non adsit, cùm nos ipse non vocantes ad se vocet? Huius igitur veritatis diuinæ consideratio, magnum nutantis animi solatium atque fulcimentum est, ad quod nos Propheta Regius inuitat, cùm ait: *Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo altissime.* Domino Deo semper seruiendum: aduersa æquè ac prospera æquo animo ferenda exemplo Iob. Oportet nos bona esse spe, nos ex omni euasuros periculo, quando hoc tēpore iubet nos opē eius implorare, & ad se confugere. Hac spe S. Chrysogonus beatam Anastasiam à viro suo Publio idolorum cultore, inclusam & inhumanissimè tractatam, epistola ad illam missa cōsolatur. Inter alia verba ait: *Maledictus homo qui spem suam ponit in homine, & benedictus homo qui spem suam ponit in Deo.* Dei nostri præsidiis, nos in quauis tribulationum iactatione, possumus munire, vt præsidio atq;

Deus conditor noster.
Matt. 10.
Esa. 64.
Esa. 63.
2. Paral. 20.
Iudith. 8.
Psal. 76.
Remediū secundum.
Matth. 11.
Solatiū in Deo est.
Psal. 91.
Iob 1.
Epistola S. Chrysogoni extat. Anastasia cōsolatur.

atque propitium numen experiamur. Mos enim Dei est, post tempestatem tranquillum facere, & post lacrymationẽ exultationem infundere: qui omnia quæ piis hominibus accidunt, siue secunda, siue aduersa sint, in eorum commodum vertere solet. Cuius rei cùm multa exẽpla afferre possem, vnus Ioseph satis est. Hic enim post tot pericula dominus Ægypti factus est: sua calamitas non solùm maximam illi gloriam, sed etiam salutem familiæ suæ, & cunctis Ægyptiis peperit. Sed ad historiam redeuntes, excitatus discipulorum oratione Dominus, quid dixerit audiamus: *Quid*, inquit, *timidi estis modicæ fidei?* Videmus discipulos exiguam habuisse fidem, cùm tanto timore fuerint consternati. Sicut enim perfecta charitas foras mittit timorem: ita perfecta fides hanc formidolosam hæsitationem ex animis pellit, & confidenter cum Propheta clamare facit: *Dominus illuminatio mea, & salus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Oportet autem hîc fidem esse robustam, non talem qualem multi habent, qui quamuis sæpiùs præsentem Dei opem experti fuêre; si tamen aliquis accidit casus nouus, si fortuna paululùm fuerit mutata, ipsorum fiducia cum fortuna pariter commutatur. Discipuli Christi potentiam habebant perspectam, trepidant in mari, quasi non idem in mari futurus esset, qui in terra extitisset. Tales olim fuêre illi de quibus scriptum est: *Et malè locuti sunt de Deo; dixerunt: Ecce percußit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt. Nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?* Videte, quæso, quanta fuerit horum hominum cæcitas atque dementia, qui vnde omnem animi hæsitationem pellere debuissent, inde dubitandi atque diffidendi ansam arripuerunt. Dominus potentiam suam declarauit; at quomodo illis successerit, breui suo maximo periculo experti sunt. Atque illis non admodùm dissimiles esse videntur, qui, cùm quibusdam in rebus benignitatem Domini experti sint, in aliis tamen, si paululùm à præteritis distent, fiduciam penè omnem amittunt: quasi paterna cura & prouidentia Dei præscriptis limitibus circumscripta sit, nec ad omnia calamitatum genera subleuanda porrigatur.

Tob. 3.

In Genesi de Ioseph.

1. Ioan. 4.

Psal. 26.

Psal. 77.

Iudæorum cæcitas & periculũ.

Excitatus ergo discipulorũ oratione Dominus, increpauit mare, protinúsq; ad vocem eius dicto citiùs siluerunt vẽti, subsederũt fluctus, cõquieuit mare, & *facta est trãquillitas magna.* Diximus ab initio nec tribulationes piis hominibus, nec diuinam opem aliquãdo defuturam. *Nouit* enim *Dominus pios de tentatione eripere.* Vtcunque autem Propheta regius ardenti

Tertia pars de superãdo tribulationis fluctu.

2. Petr. 2.

ora

Psal. 70. oratione significauit, cùm ait: *Quantas ostendisti mihi tribulationes, multas & malas, & conuersus viuificasti me, & de abyssis terræ iterū reduxisti me?* Itaq; piorum omnium est illa Tobiæ vox: *Benedico te Domine Deus Israel: quia tu castigasti me, & tu sanasti me.* *Tob. 11.* *1. Reg. 2.* Verè enim *Dominus & mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit.* *Deut. 8.* Deniq; in Deuteron. Moyses populo ait: *Afflixit te penuria, & dedit tibi manna, quod ignorabas tu & patres tui: & postquam afflixit atque probauit te, ad extremum misertus est tui.* *Tribulationes quare Deus permittat.* Labores & aduersitates ideò Deus permittit, vt exerceamur, & illius opem imploremus, ac beneficium illi acceptum referamus. Penuriam multò magis feres, quàm saturitatem. *Simile.* Quocirca sicut in operibus naturæ prouidentiam suam Dominus declarauit, nō cùm omnia morborum genera ab humanis corporibus sustulit, sed cū omnibus morbis aptissima medicamenta prouidit: ita in operibus gratiæ paternam curam, prouidentiam, benignitatem & charitatem erga suos tum vel maximè ostēdit, cùm eos è mediis tribulationum fluctibus cælesti ope subleuat. *Simile.* *Dulcia nō meruit qui non gustauit amara.* Vt enim gratior est post vehementē sitim aquæ frigidæ potus, & post Solis æstum vmbra petræ prominentis in terra deserta: ita post calamitatum tempestatem, supernum diuinæ miserationis auxilium. Verissimè enim dictum est: *Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis.* *Eccl. 35.* Fructum autem qui ex tribulatione prouenit, sequentia verba indicant: *Homines illi mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt illi?* Primùm igitur admiratio diuinæ maiestatis & potestatis ex opere consequuta est. Quæ admiratio non potest spirituali vacare gaudio. Compescit Dominus insaniam maris, & rabiem, & imminentem mortem euadunt. Tale solet esse gaudium piorum hominum, quoties ab instantibus periculis se diuina ope liberatos vident. Tale erat sancti Prophetæ gaudium cùm diceret: *Psal. 30.* *Ego autem in Domino gaudebo, exultabo, & lætabor in misericordia tua.* Quamobrem? *Quia respexisti*, inquit, *humilitatem meam, saluasti de necessitatibus animam meam*, &c. Quale gaudium fuisse putamus apud Bethulienses, cùm se viderent per Iudith liberatos? *Iudith. 15.* Dicebat Propheta: *Psal. 89.* *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti*, &c.

Secundus fructus. Proximus huic est, pro accepta liberatione laus & gratiarum actio deuota, quæ ex recentis beneficij memoria proficiscitur. *Exod. 15.* Sic filij Israël, vbi se ab exercitu Pharaonis, & imminenti mortis periculo ereptos vident, in lætitiæ illas voces, & gratiarum actionis plenas erūpunt: *Cantemus Domino*, &c. *Cantica vnde veniant.* Hinc orta sunt Cantica illa sanctarum feminarum, Annæ, Delboræ, & Iudith, quæ

quæ omnia ex tribulationum fontibus simul & miseratione Domini ortum habuêre. In Psalmo 26. Propheta hanc rem sedulò tractat: *Vnam petij à Domino hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini.* Verè illi *beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, horum enim est regnum cœlorum.* *Matth 5.*

Postremus tandem fructus est spei robur atque firmamentum. Vbi enim homo paternam erga se Dei benignitatem & prouidentiam in malorum suorum curatione expertus est, facilè adducitur, vt speret non defuturum sibi in quauis alia calamitate, qui in aliis frequenter affuerit. Quàm firmam verò spem hæc pia Domini liberatio afferat, declarant illa Prophetæ verba: *Deus noster refugium & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.* Quid dici potuit aut constantius, aut fortius, aut mirabilius? His ergo de causis Dominus viros virtute ac pietate præcellentes, per varios casus perducit ad vitam beatam: contráque impiis vitæ prosperitatem, secundásque res ad breue tempus facilè concedit: sed miseriæ & pœnæ quæ scelera eorum sequuntur, sempiternæ sunt & immortales. Felices illi qui cum Propheta cantare poterunt: *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.*

Tertius fructus.

Psal. 45.

Impij hic florent.

Psal. 65.

IN HAC SECVNDA PARTE VITA *præsens mari comparatur, ac deinde remedia describuntur, quibus in ea nauigatione vti, & ad salutis portum peruenire valeamus.*

CHRISTVS Saluator noster, vbi tot miranda prodigia in terra edidisset, transiit ad mare, vt se terræ, maris, atque omniũ rerum Dominum declararet. Hanc vitam quam viuimus, nauigationem esse, & hoc seculum mare in quo nauigamus, communis Sãctorum Patrum atque adeò Philosophorum sententia prædicat. Quocirca quemadmodum necesse est, vt nauigaturi maris, in quo nauigant pericula diligentissimè perspecta & explorata habeant, & aduersus ea conuenientibus se remediis muniant: ita nobis in hac spirituali nauigatione agendum est: atque eò magis, quò plus est animæ quàm corporis, & æternę quàm temporalis vitæ naufragium facere. Id quod nos sapiẽter Plutarchus Philosophus insignis admonet, his verbis: *Quemadmodum qui cœlo etiam sereno nauigant, instrumenta etiam aduersus tempestatem in promptu habent: ita qui in læta fortuna rectè sapiunt, præsidium quoque aduersus infortunia compa-*

Vita præsens nauigatio.

Simile ex Plutarcho.

Simile. *comparant.* Qui nauigant, nunquam quiescunt: sed ad portum quem petunt, propiores quotidie fiunt; ita nos siue volentes, siue nolentes, per singula momenta temporum quotidie ad finem vitæ nostræ, tanquam ad portum, properamus. Sanctus Iob cōtinuam hominis mutationem deplorat, cùm hominem *Iob.14.* nunquam in eodem statu permanere describit. Nemo se eadem semper aura speret nauigaturum, sed modò secunda, modò *Ephes.5.* aduersa. Sanctus Paulus dicit dies malos esse, id est, periculis, miseriis & solicitudinibus obnoxios. Qui diu viuere cupit, ill diu torqueri quærit. Quæ sint autem illa pericula, nemo est qu *Eccl.43.* nesciat. *Qui nauigant mare, narrant eius pericula.* Sunt hi venti aduersi, qui iter nostrum prohibent: sunt piratæ, qui no *Psal.141.* incautos spoliant. *In hac via qua ambulabam, absconderunt su perbi laqueum mihi.* *Dæmones piratæ sūt* Piratæ isti Dæmones sunt: hi nostra pe nicie saginantur. Sunt & scopuli multi in mari, sub vnda la tentes; hi sunt simulationes, quibus multæ naues naufrag passæ sunt. Multi sunt astus, quibus Diabolus bonos viros su virtutis imagine ludificare solet. Sit autē in omnibus action bus nostris ratio, illa moderetur omnia. Iam nunc res ipsa e gere videtur, vt tantis his malis remedia aliqua adhibeam *Simile.* Sicut enim non satis est medico morborum rationem in casse, nisi salutaria quoque medicamenta adhibeat: ita nō sa est nobis nauigationis huius pericula explicasse, nisi de pe culorum etiam remediis nonnulla differamus. Quisquis igi ab his periculis tutus esse cupit, nauiculam cum Domino le ingrediatur, vt cum salutis auctore nauigans, salutis merci *Ecclesia arca Noë.* & integra rate, portum salutis petat. Nauicula hæc est Ch stiana vita in Catholica Ecclesia. Extra arcā Noë nemo sal *Genes.7.* batur: ita extra hanc nemo salutem assequitur. Hæc naui *Iacob.1.* la debet esse integra, ne admittat aquam. Ait ille: *Qui cu dierit totam legem, deliquerit autem in vno, factus est omni reus.* Si autem detrimenti quid fuerit passa, vt illa aqua *Peccatum onus graue.* colluuies exhauriatur, ad Sacramentum Confessionis con giendum, quæ peccata animam aggrauātia foras eiicit. Op tet vt & bitumine intus sit linita. Quid sit hoc, Propheta *Psal.61.* primit: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Vult, Audi *1.Corin.7.* tes, nos alienos esse à mundo. Adsit oportet & malum, id charitas; & funes, id est, cæteræ virtutes. Ex mālo vela dep dent; hæc debent esse sancta desideria velut flammæ quæd *Matth.5.* ab incēso charitatis igne excitata. *Beati qui esuriunt & siti iustitiam.* Eget nauis bono gubernatore, qui est suprem Pater: cùm ille sit inuisibilis, adsit oportet visibilis, bon

Præses, qui dirigat nauem. Eget & clauo, id est, prudentia. Hæc debent esse remedia, quæ necessaria sunt vt ad æternæ felicitatis portum, quò omnia nostra adspirant vota, perueniamus; præstante & gubernante Domino Iesu Christo.

DOMINICA QVARTA POST OCTAVAM EPIPHANIÆ, CONCIO, IN qua lectio Euangelica explicatur.

THEMA. *Domine, nónne bonum semen seminasti in agro tuo? vnde ergo habet zizania?* Matth. 13.

PRAESENTIS Euangelij parabola diuinæ bonitatis naturam, quæ comparatur igni, qui omnia ad se trahere conatur, facilè declarat. Hîc diuinæ benignitatis studium eleganti similitudine ante oculos ponitur: cum multa quoque alia ad hoc ipsum pertinentia declarantur. Primo enim loco, quanta cura & solicitudine cælestis ille Paterfamiliàs excolendo agro Ecclesiæ suæ, hoc est, saluti hominum inuigilet, explicat. Secundo, quanta calliditate Dæmon humani generis hostis, hoc diuinæ prouidentiæ beneficium impedire contendat, exponit. Tertio, quam potissimùm ad nocendum opportunitatem hostis noster captare soleat. Quarto demùm, quęnam huius tanti mali causę sint, aperit. De his igitur in præsenti Concione suo ordine dicemus.

Diuisio.

AVE MARIA.

Simile est, inquit, *regnum cælorũ homini qui seminauit bonum semen in agro suo*. Hic homo Deum optimũ Maximum repræsentat, qui Ecclesiæ suæ agrum diligentissima cura excolendum suscepit. Semen verò quod in eo seminat, non modò verbum Dei est; sed omnia quæcunque instrumenta, quibus infinita illa bonitas salutem hominum operatur. Primum ergo semẽ, quod in agro humanæ naturæ iecit, iustitia originalis & gratia fuit. Hanc per peccatum amisit, & alia virtutum genera & semina in natura sic destituta & ægra relinqui voluit, quæ ad hoc vsque tẽpus eius beneficio manent: ne videlicet ad omne bonum prorsus inepti, homines relinquerentur. Sic natura licèt lapsa, & ad malum prona, habet tamen aliquos pietatis igniculos

Prima pars.

Semen quale iactum.

Natura nostra corrupta.

igniculos, qui nos veluti fręno à malo reuocare possunt. Quare

Cicero.

Cicero ex Stoicorum sententia ait: *Sunt ingeniis nostris innata semina virtutum, quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret.* Cæterùm quum semina hæc ad bene viuendum minimè sufficiunt, alia multò efficaciora superseminat in nobis Deus, nempe internos animi motus, & gratiæ præsidia, quibus sine verborum strepitu non modò nos ad virtutem erudit, sed etiam incitat & impellit. Ait quippe

Ioan. 6.

Saluator: *Est scriptum in Prophetis: Erunt homines docibiles Dei. Omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me.* Denique Dominus in Apocalypsi ait: *Ecce ego sto ad ostium* (videlicet cordis humani) *& pulso,* tacitis videlicet motibus, aurem blandè vellicans, & homines salutis suæ commonefaciens. Cuius voces, quamuis tacitas, facilè tamen pij homines intelligunt: quorum est illa vox: *Quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurri eius.* Furtiuè dicit: quo fit, vt multi has Domini voces minimè percipiant, vel certe surda aure transeãt. Percipiebat

Iob. 4.

Psal. 84.

qui dicebat: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Sæpiùs nobis occinitur: *Vsquequò paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sunt sibi noxia cupient?* Nec solùm intus semina

Prouer. 1.

Verbum furtiuè seminatur.

verba sua per occultas inspirationes, sed foris etiam per manifestas Ecclesiæ voces: dum per verbi sui ministros ad pietatem & iustitiam vocare homines non cessat. Vnde quidam ait:

2. Corin. 5.

Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Verbum Dei potissimum semen est. Semen enim quamuis quantitate paruum, virtute tamen magnum est: vtpote ex quo procera sæpe arbor prodeat. Quod quibusdam contigit

Semen qui susceperint.

Sanctis compertum est, scilicet D. Francisco, & Antonio eremitæ. Vide quanta in Ecclesia arbor S. Franciscus, S. Antonius? Cùm audissent: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia,*

Matt. 19.

statim verbum in cordibus eorum coaluit. Nec solùm verbi

Exempla docent.

ministrorum, sed etiam factorum exempla, bene viuendi sunt semina, & multò quidem efficaciora, quàm verba. Lõgum iter est per verba, breue & efficax per exempla. Verba enim docent, exempla verò veluti manu ducunt, & ad virtutem etiam impellunt. Sic Augustinũ Patrum exempla ad fidem incitarunt.

Augustinum quid mouerit.

Iam ex his colligimus quod proposuimus, nempe quanta sit diuinæ bonitatis largitas, quæ tot beneficiis nos ad se vocat, & donorum suorũ nos participes efficere conatur. Hæc sunt cælestia semina, quibus Ecclesiæ suæ agrum quotidie fœcundat.

Calliditas Dæmonis.

Iam inimicus ille homo, id est, Dæmon, hanc Domini curam & prouidẽtiam semper impedire conatur, dũ pestifera semina in ho-

in hoc agro Domini ſpargere ſtudet, quo videlicet contraria contrariis perimat. Hic ab initio ſe acerrimum exhibuit aduerſarium. Deus occultis inſpirationibus ad bonum nos inſtigat: ita contrà Dæmon ſecretis ſuggeſtionibus ad malum ſolicitat. Nec internis modò ſuggeſtionibus, ſed externis etiam impiorum conſiliis & adulationibus mentes hominum inficere ſępe ſolet. Nec verborum modò, ſed prauorum etiam exemplorum peſtilenti ſemine agrum Domini corrumpere ſtudet. Sicut enim Deus virtutibus vtitur electorum, vt alios ad virtutem acuat: ita Dæmon flagitiis vtitur improborum, vt ad omnia flagitiorum genera ſuos impellat. *In ædibus* enim *Babylonis inuicem ſibi reſpondent vlulæ*, aues ſcilicet immundæ, quamuis plumarum varietate exteriùs nitidæ. Quod tunc ſpiritualiter euenit, cùm improbi homines inter ſe improbitate certant, & alius alium vanitate, faſtu, luxu, ſuperbia, petulantia, deliciis & opibus ſuperare conatur. Prauorum hominum turba certè magnam habet vim ad ſeducendum alios. *Saluum me fac*, inquit Pſaltes, *Deus, quoniam defecit ſanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.* Quam rem non obſcurè declarat, quod is in alio Pſalmo de filiis Iſraël ait: *Et commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & ſeruierunt ſculptilibus eorum, & factum eſt illis in ſcandalum.* Vide hîc quantum iſtis nocuerit malorum conuictus & ſocietas. Huius periculi magnitudinem Ioſue non diſſimulauit, dum hortaretur gentilium contubernia fugere. Eſt hominis ingenium naturâ ipſâ ad imitationem eorum quibuſcum viuit, maximè pronum: contraque ad nouam & inuſitatam viuendi rationem amplectēdam, ſuprà quàm dici poteſt formidoloſum. Vitanda ſunt diligenter prauorum conſortia. *Quis tangit picem, qui non inquinetur ab ea?* Quæret aliquis, cur tanto odio nos Dæmō inſectetur, atque ſalutem noſtram impedire conetur? Reſpondetur, Dæmonem Dei eſſe hoſtem acerrimū, quòd illum è cælis eiecerit. Cùm Deum lædere non poſſit, ipſius inuadit imaginem, non ſecus, vt D. Baſilius ait, ac Pantheræ, quæ cùm immani ſint odio in homines à natura, in hominū ſimulacra furibūdè irruunt: nec aliter eorum effigiem quàm homines ipſos dilacerant; ad hunc enim modum reges terræ, qui capitali inter ſe odio diſſident, quando alter alteri nocere non poteſt, alterius fines & regnum inuadit, & flamma ac gladio omnia vaſtare nititur. Sic igitur cùm truculentus ille hoſtis, ſuperno Iudici nequeat nocere, in nos eius ouiculas, furoris ſui tela cōtorquet. *Habet iram magnā.* Hic ita ferocit in perniciem

Virtutes quid efficiant.

Eſa. 13.

Pſal. 11.

Conſortia malorum vitanda.

Pſal. 105.

Ioſue 23.

Prouerb. 6.

Dæmō cur ita odiat homines.

Simile.

Apoc. 12.

1. *Pet.* 5. nostram, *& vt leo circuit quærens quem deuoret.* An hîc nobis dormiendum? Vtinam saperemus in rem nostram.

Tertia pars.

Opportunitatem quam is ad fraudes suas captat, Euangelista aperit: *Dum dormirent homines, venit inimicus homo, & superseminauit*, &c. Hoc ad literam de hæreticis & pastoribus negligentibus videtur. Dum enim Pastores dormiunt, & vigilias noctis super gregem suum minimè custodiunt, lupi (id est, hæretici) intẽpestæ noctis silentio ouilis dominici caulas inuadunt, & tot in eo strages edunt, quot peruersa dogmata serunt. Quia verò apud nos modò hæresis in istis partibus grassatur, consulo vt diligens Concionator suis ouiculis prævideat, & sermonem suum ad hæresis detestationem formet, diligentem gnauet operam, vt illam suis depingat coloribus. Non modò cùm illi dormiunt, sed etiam cùm nos ipsi dormimus, hostes zizania seminant. Et nemo adeò rudis est, qui hoc in loco de corporis somno agi credat. Quidquid hac parabola continetur, spiritualiter accipiendum est. Sunt multi qui viriliter resistunt diabolo: sunt alij adeò desides & somniculosi, & adeò Dei ac sui obliti, vt nulla salutis suæ cura tangantur. Habent fidem, sed mortuam, nullo stimulo conscientiæ in grauibus etiam peccatis punguntur. Hi sunt qui etiam dormire hoc loco dicuntur, qui nullam virtutis & pietatis exercent actionem. De his ait Propheta: *Non est Deus in conspectu eius.* Ita se gerunt, quasi vel non esset Deus in mundo, vel mens eorum prorsus mortua esset. *Dormit fides, spes, charitas. His dormientibus, ingreditur inimicus domum, iugulat stertentes.* Animalia illa oculis plena vndique, nobis vigilantiam designant. *Intrabimus ad securos*, dicebant illi. Detestatur Salomon inertiam & egestatem pigri hominis. Comparat egestatem viro armato: quia quemadmodum hic difficilis est ad expugnandum; ita humana natura communis peccati morbo vitiata, & diuturna peccandi consuetudine armata, difficillimè superatur. Comparat etiam eandem egestatem viatori: quia sicut viator paulatim quotidie progrediens, tandem ad destinatum locum quamuis longiùs distantem peruenit: ita vis aut potiùs tyrannis prauæ consuetudinis non protinus altas in homine radices agit: sed paulatim, iteratis actibus, velut quibusdam moralis vitæ gressibus, eò tandem peruenit, vt homo eius tyrannide velut oppressus, impeditissimum se ad benè operandum inueniat. Quod si hoc tempore eos qui ita dormiunt, excitare velis, & periculi sui admonere; audiunt illi quidem, & frequenter etiam monentibus grati sunt: pondere tamen prauæ consuetudinis pressi & mal

Auctor ab hæresi liber.

Somnus spiritualis nocet.

Negligentia nostra.

Psal. 9.

2. *Reg.* 4.
Ezech. 1.
Iudic. 18.
Prou. 24.
Simile.

Egestas cui cõparetur.
Simile.

Consuetudo altera natura.

& malè blandientis voluptatis dulcedine allecti, rursus prementi somno succumbunt. Hoc tempore somni Dæmon tutò seminat zizania. Somnus hic lethalis ex prauis carnis nostræ cupiditatibus proficiscitur, quæ vbi se totum illarum obsequiis tradit, actiones spiritus vehementer impedit. ipsumque lethifero somno consopit. Necesse est, vt cùm caro se totam carnalibus curis ac desideriis immergit, spiritus eo tempore dormiat: cùm nemo simul & carnalibus & spiritualibus studiis possit intendere. Vide quid potus ille lactis adumbrauit, quem Iahel sitienti Sisaræ Duci propinauit, quem somno correptum interemit. Hinc facilè colligitur, quid nobis facto opus sit, quo spiritus noster ab hoc pestifero somno excitatus, vigilare, & opera sua exequi possit. Tunc animus noster vigilat, cùm illum à corpore & sensibus, hoc est, à carnis illecebris abducimus: quorum voluptatibus perfusus, dulci illo quidem, sed pestifero somno consopitus, noctem luci anteponit, & vanis bonorum simulacris delusus, solida & expressa bona contemnit. *Qui adhæret meretrici, vnum cum ea corpus efficitur:* ita animus carnis illecebris addictus & immersus, dignitatem suæ naturæ amittit, & in carnis quodammodo naturam transformatur.

Iudic. 4.

Voluptas hominem demergit.

1. Cor. 6.

Vbi igitur hæc praua semina antiquus hostis somni tempore seuisset, eaque iam simul cum tritico adoleuissent, demirantur serui patrisfamilias nouum illud & noxium germẽ exortum, ideóque ab eo inquirunt: *Domine, nónne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania?* Iustissima planè non solùm hominum, sed etiam Angelorum admiratio. Vnde quæso, Domine, tam ingens zizaniorum, id est, impiorum hominum seges? tot infideles, tot hæretici, tot sectarij, tot Mahometis sectatores? Cur quæso tam exigua portio imperio tuo subest? & hæc ipsa adeò nostra hac calamitosa ætate tot hæresum monstris deformata? Tu enim Domine plantasti vineam electam, omne semen verum. Peccatum, cui isti colla subdiderunt, aduersus communem Dominum præcipuè militat, à quo bona cuncta percepimus, & in quo viuimus, mouemur, & sumus. Peccatum aduersus ipsum peccatorem pugnat, cùm scriptũ sit: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Peccato nihil vilius. Omnes creaturæ naturam suam tanquam vitæ ducem sequuntur, & iuxta leges ab ea præscriptas viuunt: sic hominis est, qui est rationalis, iuxta rationis dictamen vitam instituere. Aues ad volandum, equi ad cursum feræ ad sæuitiam gignuntur: ita rationalis creaturæ proprium est, iuxta rationis præscriptum vitam agere. Cur igitur homo toties peccando

Quarta pars.

Hæresis vnde ortũ habeat.

Peccatum maximum venenum.

Psal. 10.

Simile.

Miratio multorum. contra ipſam rationem atque naturam ſuam certat? Ergo Domine, ſi bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo, vnde tot zizaniis reſperſus eſt? Hæc quæſtio multos torſit: adeò vt hæretici quidam, tantam in hoc mũdo impietatem, & rerum omnium perturbationem admirati, duo rerum principia, alterũ bonorum, alterum malorum poſuerint. In hac hæreſi D. Auguſtinus ante Baptiſmum fuit. Ad hanc quæſtionem duplex reſponſio eſt, altera quidẽ Philoſophorum, altera Theologorum. Philoſophi *Manichæorum hæreſis.* reſpõdent, ſolum hominem inter omnes creaturas duplici natura valde inter ſe diſſimili conſtare, corporea ſcilicet & ſpirituali. Cæteræ enim creaturæ, cùm ſimplicis ſint naturæ, aut corporalia bona tantùm, aut ſpiritualia pro naturæ ſuæ conditione ſectantur. Hominẽm autem velut quẽdam mundi nodum rerum conditor medium conſtituit, qui vtriuſque partis naturam in ſe vno complecteretur. Quo fit, vt homo in rerum omnium veluti meditullio conſtitutus, & ſenſibilibus bonis à lacte cuniſque aſſuetus, facilè præferat abſentibus præſentia, ignotis cognita, & longè diſtãtibus vicina, & arduis atque difficilibus, blanda atque ſuauia. Qua quidem in re ſimiles mihi *Simile.* homines vidẽtur infantibus, qui cùm blandè & molliter à nutricibus educentur, maiore interdum amore eas proſequuntur, quàm parentes à quibus prognati ſunt, & quorum beneficio *Infantum ingenium.* ab ipſis etiam nutricibus aluntur. Ad hunc modum ſenſibilia bona inſtar nutricis nobis exiſtunt, à quibus videlicet alimur & fouemur, & cum quibus familiarem conſuetudinem gerimus. Deus autem præcipuus & ſummus Pater eſt, qui nos condidit, cuiúſque beneficio & prouidentia cuncta nobis ſenſibilia deſeruiunt, cuíque hæc omnia accepta ferre deberemus. Nos tamen infantum more nutrices parenti præferimus, hoc eſt, ſenſibilia bona, à quibus nutrimur, conditori noſtro, per quem & viuimus, & in lucem editi atque ſuſcepti ſumus. Hæc igitur prior cauſa eſt, cur magis corporea, quã ſpiritualia, quæ vix agnoſcimus, diligamus. Altera quæſtio cur Deus has duas *Homo cur in ſe diffideat.* hominis partes ita inter ſe contrarias cõſtituit, vt altera alteri repugnaret, cùm ita componere potuiſſet, vt altera alteri ſubderetur, & ad nutum obtemperaret, vt humani corporis membra voluntatis imperio ſubiiciuntur. Hunc nodum humana Philoſophia diſſoluere non poteſt: ſoluit tamen Chriſtiana, quæ optimum creatorem naturæ, rectum atque pacatum hominem condidiſſe profitetur, atque has eius partes inter ſe ita colligaſſe, vt in ſumma pace degerent, inferiorque ſuperioris imperio pleniſſimè ſubderetur, idque originalis iuſtitiæ

ſinguli

singulari dono ac beneficio. Hoc est enim bonum semen illud, quod à patrefamilias in agro mentis nostræ iactum fuisse diximus. Sed tamē inimicus homo, conditi hominis inuidia stimulatus, superseminauit zizania: atque ita Domini segetem alioqui puram & sinceram corrupit. Peccatum enim velut fermentum quoddam est, quod si in conspersionem maximam inieceris, totam penitus fermentat, atque corrumpit. Sic igitur primum illud peccatum tanquam lethale venenum à primo parente haustum, eius filios (tanquam eius corporis membra) infecit atque peruertit. Hinc D. Augustinus, *Genus*, inquit, *humanum totum perierat, ex quo perierat vnus in quo totū erat.*

Simile.
Peccatum est quasi acetum.

Humanū genus perijt.

Ex his quæ hactenus à nobis dicta sunt, colligere licet, primùm, vt vel hoc argumento, quanto odio summa illa bonitas peccatum detestetur, intelligamus (propter quod tantam cladem in totum genus hominū immisit) vt nos quoque simili id odio prosequamur. Quòd si quæras, quibus aduersus hāc communem generis humani pestem remediis armari debeamus, ad hoc Apostolus respondet: *Gratia Dei per Iesum Christum.* Gratia ergo aduersus peccati morbum salutare antidotum est: quam nobis Christus immaculati corporis & sanguinis sui sacrificio promeruit. Hanc nobis Sacramenta dignè suscepta tribuunt, oratio petit, bona verò opera promerentur: his igitur insistamus, vt eius gratiæ ope roborati, aduersus peccata fideliter repugnantes, & praua zizaniorum semina assidua cura ex corde nostro euellentes, copiosam meritorum segetem patrefamilias donante, in cælesti regno percipere mereamur. Amen.

Rom. 7.

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA,

CONCIO, IN QVA POST BREVEM Euangelicæ lectionis explanationem, tres potissimùm causæ assignantur, quæ nos ad strenuè in vinea Domini laborandum excitant.

THEMA. *Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit, dabo vobis.* Matth. 20.

SALOMONIS sententia est, *risum dolore misceri, & extrema gaudij luctum occupare.* Ita enim in hoc medio mundi globo, vel iniquitas nostra promeruit, vel diuina æquitas & prouidentia instituit,

Prou. 14.

vt neque omnia læta, neque omnia tristia; sed mœstis læta permiscerentur. In suprema quidem illa cœlorum regione omnia læta sunt, nec illorũ fines vlla inuadere tristitia potest: in infimo autem reproborum carcere omnia contrà funesta sunt & tristia, & omnis prorsus lætitiæ ignara. At Ecclesia nobis hactenus lætissima mysteria proposuit ob oculos, nempe nascentem de Virgine Saluatorem, & cantantes Angelos, lætúmque Euangelij nuncium Pastoribus nunciantes, & Stellam Dominicæ natiuitatis nunciam in sublimi fulgentem, & Magos adorantes, & Simeonem quadragesimo à natiuitate Domini die puerum excipientem, Deúmque laudantem: modò verò omnia inuersa sunt. Quæ enim diuinas laudes hactenus lætis vocibus personabat, nunc altaria velat, & festam illam vocem lætitiæ indicem Alleluia intercludit: ac denique inopinatis & funestis his vocibus hodie Missam ordirur: *Circundederunt me gemitus mortis, dolores inferni circundederunt me.* Quibus verbis quid tristius, quid lamentabilius? Causa est peccatum inobedientiæ primorum parentum. Illo enim homine labente vniuersum genus hominum cum illo pariter concidit. Vitiata enim radice, rami quoque omnes, qui ab ea pullularunt, vitium sensere radicis. Exhibet ergo nobis Ecclesia exilium, in quod à Deo creatore allegati fuimus. Hanc cladem (vnde tot mala) Ecclesia quotannis renouat. Comederunt illi pomum, & dentes filiorum obstupescunt. Quo argumento videre licet, Auditores, quanta sit lethalis peccati malitia quæ tantorum malorum seminarium exstitit; quod tamen nos tam facilè committimus. Quid enim apud multos frequentius, quàm peierare, inuidere, odisse, alienam rem vel vxorem surripuisse? Vnumquodque horum, non minùs lethale, quàm illud parentis nostri delictum est: nec minùs mundo nocuisset, si primum exstitisset: vt hac ratione intelligatis, quanta sit humanæ mentis cæcitas, quæ ne hoc quidem tanto fulmine ictu peccati malitiam ac deformitatem agnoscit. Ecclesia aufert vocem spiritualis lætitiæ, multò magis carnalem ac vanam lætitiam interdicit. Inuocemus opem diuinam, ac beatæ Virginis patrocinium.

Ecclesiæ moe qualis.

Peccata nobis quotidiana.

AVE MARIA.

Multa sunt & maxima inter Deum & hominem discrimina. Deus omnia facit sola bonitate inductus: homo autem ad egens & lucri cupidus est; vt vix quicquam moliatur, nisi vtilitate primùm aut necessitate ante oculos posita; quæ si desit inci

iners & plumbeus ad omnia quę agenda sunt, redditur. Ne autē impigri simus ad Dei opus, id est, salutem nostram propriam procurandam, inuitat nos ad hoc ipsum Apostolus, *Itaque*, inquit, *fratres, stabiles estote, abundantes in omni opere Domini, scientes quoniam labor vester non est inanis in Domino.* Non certè frustrà. Quisquis enim Dominum quæsierit, æterna consequetur præmia; non sanè frustrà quæret. *Oculus non vidit, auris non audiuit, quæ parauit Deus piè colentibus se.* Hinc vates Regius, vbi mādata Domini dulciora super mel & fauum, dixisset, adiecit: *Etenim seruus tuus custodit ea: in custodiendis illis retributio multa.* Quis id sequi detrectet, quod & factu suauissimum est, & præmij retributione magnificum? D. Bernardus ait: *In lege graue iugum, & vile præmium: terra enim promittitur.* At Ecclesiæ iugum suaue, & præmium sublime. Sic enim prouocat quod promittit, vt non terreat quod imponit. Multò iucundius est iugum Euangelij gratiæ, quàm legis. *Ecce*, inquit Propheta de Christo, *merces eius cum eo, & opus illius coram illo.* Hoc est, in promptu habet mercedem operis quam laborantibus tribuat. Ipsemet ait: *Mensuram bonam & confertam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Huius ergo mercedis magnitudinem idem Dominus in præsenti lectione appositissima quadam similitudine declarat: in qua cùm alia multa, tum præcipuè hæc duo insinuātur: alterum, quomodo fidelibus cunctis in vinea Domini laborare necesse sit: alterū, quomodo varia merces laborantibus tribuatur, non solùm pro mensura laboris, sed etiam pro immensa diuinæ gratiæ largitate: quæ sicut omnium superat vota, ita etiam excedit merita. Parabolam autē primo loco vobis proponam, expositionem autem eius subiiciam. *Simile est*, inquit, *regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit*, &c. Quoniā hæc parabola mysteriis refertissima est, nos pro tēporis angustia id solùm explicare tentabimus, quod ad mores nostros formandos & instituendos expedire magis videbitur. *Simile est regnum cælorum homini.* Scitis iam, Auditores, regni cælorum nomine totum salutis nostræ negotium, & omnia quæ ad illud pertinent, comprehendi. Inter ea verò, quę ad hoc regnum spectant, præsentis vitæ gratia, & futuri seculi gloria præcipuè numerantur, de quibus in præsenti lectione agitur, non in vniuersum quidem, sed qua potissimùm ratione à Deo fidelibus distribuuntur: partim quidem ex iustitia, partim verò ex immensa eius liberalitate & misericordia. Hoc ergo regnum cælorum simile esse ait homini patrifamilias. Hic paterfamilias Deus est,

1. Cor. 15.

1. Cor. 2.

Psal. 118.

Bernardus super Cantica.

Esa. 40.

Luc. 6.

Merces varia nobis proposita.

qui propter singularem quàm gerit piorum hominum curam & prouidentiam, summo iure hoc nomine appellatur. Qui sanè nobis omnibus iuuandis summo studio incumbit. *Non det* (inquit Regius Propheta) *in commotionem pedem tuum, neque dormitet qui custodit te*, &c. *Vinea meri*, inquit Esaias, hoc est, pretiosi vini, *non modò Ecclesia, sed qualibet anima fidelis est.* Qua autem cura hanc Dominus vineam custodiat, exponit protinus, cùm subdit: *Ego Dominus qui seruo eam, qui repentè propinabo ei*, id est, qui tempestiuè irrigo eam: vt vberes virtutum fructus edat, die ac nocte seruo eam. Hanc curam & prouidentiam cælestis hic paterfamilias gerit electorum suorum. Contrà verò improborum eam gerit, sicut ait: *Dispergam eos tanquam stipulam, quæ vento raptatur in deserto.* Hoc est, quoniam ipsi dereliquerunt me, ego quoque derelinquam eos, & fortunæ ludibrio, cupiditatumque suarum libidini permittam. Hinc tot malorum hominum calamitates, & innumera alia mala. Attende in committendo lethale crimen, ne ab hac excidas paterna cura & prouidentia. Hic paterfamilias tribus præest familiis siue domibus. Prima domus est cælestis, quæ mansiones multas & varias pro varietate electorum habet. Est & apud inferos alia, quæ suis etiam sedibus pro diuersitate reproborum distinguitur: in quibus scelerum suorum pœnas pendunt, & ad infinita secula pendent. Est rursus media quædam domus in harum confinio constituta: quam pij & impij, electi & reprobi simul incolunt. In prima domo nulla est commutatio. In secunda domo, omnia tetra & funesta. Hìc torquetur ille diues epulo, omnésque illi persimiles reprobi. Hìc æternum chaos, æternáque nox regnat. Domus tertia est hic mundus, qui in vtriusque medio positus est, vbi non semper nec eodem modo lucis suæ radios Dominus mundo communicauit. Hic paterfamilias vineam habet electam, hoc est, Ecclesiam selectissimam, quæ ab Abel iusto vsque ad vltimum, qui in fine mundi nasciturus est, quot Sanctos protulit, qua si tot palmites misit. Ad hanc autem vineam excolendam diligens paterfamilias (ne quod tempus cultura vacaret) summo statim diluculo operarios proposita operis mercede, conducit. Rursúmque hora tertia forum repetens, vidénsque alios ibidem otiosos ait: *Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit, dabo vobis.* Neque hac solicitudine contentus, rursum hora sexta & nona, atque adeò vndecima, Sole iã declinante, itáque reditque forũ, alios atque alios vineæ suæ cultores quærés. O bone paterfamilias, quis te tantus amor, quæ te tanta huius vineæ

Psal. 120.
Esa. 27.
Vinea Ecclesia est.
Hier. 13.
Deus quibus præsit.
Patrisfamilias prouidentia.

vineæ cura ſolicitat?quod inde tibi emolumentum captas,qui bonorum noſtrorum non eges?qui infinitè potens,infinitè diues es? Tu es fons omnium bonorum. Homines qui ex vineis viuũt,curant eas:quid autẽ eſt,quod tanto ſtudio omnibus diei horis forũ repetit,& operarios quęrit,& liberaliſſimè omnibus mercedem ſoluit Deus? Hic nos ad ſe excitat,& ad culturam vineæ,hoc eſt,ad cultum animæ noſtræ ſemper inuitat. Quod in terreno patrefamilias facit cupiditas; in te facit charitas: quod in illo amor lucri, in te amor noſtri. Hac de cauſa, Auditores,cœleſtis hic paterfamilias toties ad excolendã vineam ſuã operarios conducit. Hora tertia à primo homine vſq; ad Abraham numeratur,quem vnũ ex cunctis mortalibus elegit Deus, quem cæleſti luce,hoc eſt,præceptis cæleſtibus & circuncisionis Sacramento informaret. Hora verò ſexta ab hoc vſque ad Moyſen fuit:quo primùm tempore lex diuina hominibus lata eſt, quæ mentis humanæ tenebras ſuperno lumine plurimùm diſcuſſit; dum quid fugiendum,quid ſequendum eſſet,apertiſſima oratione oſtendit. Hora verò nona,ab hoc tempore vſque ad Chriſtum Dominum aſſignatur, cuius tempore diuinæ lucis & caloris plenitudo in totum mundum, pretioſi ſanguinis eius merito effuſa eſt. Poſt quẽ nouiſſimam horam adeſſe Ioãnes teſtatur, quæ quò magis à Chriſto iuſtitiæ Sole recedens, ad occaſum mundi appropinquat,eò denſiores tenebras offundit. Nos enim ſumus in quos fines ſeculorum deuenerunt,qui nullum aliud lucis huius incrementum præſtòlamur, imò qui appropinquante huius diei fine, vicinarum tenebrarum nocte circumfundimur. Hinc tanta non modò lucis, ſed etiam caloris imminutio: vbi enim abundauit iniquitas,neceſſariò multorum refrixit charitas. Olim homines ſibi inuicem ſuccurrebant,alter alteri ſine vſura ſubueniebat, iam pietas & charitas penè ſepulta eſt, & auari homines lucrum magis ex pecunia, quàm meritum ex benignitatis officio aucupari volunt. In ea incidimus tempora, in quibus modò clamare cum Propheta poſſimus: *Væ nobis,quia declinauit iam dies,quia longiores factæ vmbræ veſperi.* Bonus tamen paterfamilias nunquam deſtitit omnibus his horis operarios quærere, quibus Eccleſiæ ſuæ vineã excolendã committeret. Primo enim mane vocauit Patriarchas, qui primi fuerunt huius vineæ cultores. Deinde proceſſu temporis Prophetas acceſſiuit:hos ſequuntur deinde Apoſtoli,Martyres,ſancti Pontifices atq; Doctores,qui omnes ad hanc vineam verbis & exemplis excolendam à Domino conducti ſunt. Nec in omnibus ſolùm ætatibus mundi, ſed in

Aetatum ratio.

Auari homines quid ſtudent.

omnibus cuiusque hominis ætatibus vnumquenque nostrûm ad huius vineæ culturam vocare non desinit. Nec in ætatibus modò, sed in omnibus ferè negotiis, atque adeò in ipsis etiam peccatis hominibus adest, eósque à prauè cœptis omni ratione auocare contendit. Quoties enim praui homines posito Dei timore ad inconcessas voluptates rapiuntur, Deum intra se clamantem audiunt: *Peruersa est via tua, mihique contraria.* Cogita, ô homo, momentaneū esse quod delectat, æternum quod cruciat. Quî scis miser, an sis crastina die victurus? Quid tot conciones, quas passim audimus? quid tot beneficia, quæ quotidie percipimus? tot flagella, quibus incessanter atterimur, tot vicinorum ac amicorum funera, quæ quotidie cernimus, nisi vocationes Dei sunt, quibus partim verbis, partim exemplis, partim blanditiis, partim terroribus nos ad se reuocare, & in vineæ suæ culturam conducere nititur?

Homini peccanti quid Deus clamet. Num. 22.

Summo igitur diluculo consurgens, *Conuentione facta cum operariis, mittit illos in vineam.* Superuacaneum (puto) erit quærere, ad quid paterfamilias operarios miserit in vineam. Nimirum non ad ludum & otium; sed ad sudores & labores, quibus vinea colitur, subeundos. Ad hoc, Auditores, vocati sumus, in hoc opus à Deo conducti; hoc munus nostrum; hæc professio nostra est. Quo enim die salutari lauacro tincti sumus, & in familia Domini adscripti, ad hoc opus vocante Domino sumus æternæ vitæ mercede sumus conducti. Quibuscunque enim nominibus Christianæ vitæ professionem nuncupaueris, semper labores, semper sudores tibi occurrent. Siue enim militiam, siue stadium, siue cursum, siue negotiationem, siue crucis studium, siue vineæ culturam nuncupaueris, nunquam à laborum perpessione mentem diuelles. Hinc illa piorum omnium vox: *Transiuimus per ignem & aquam, & deduxisti nos in refrigerium. Modicum*, inquit D. Petrus, *si oportet contristari in variis tribulationibus, vt probatio fidei vestræ multò pretiosior auro inueniatur. Virtus* (vt omnes pij testantur & experiuntur) *mortalibus pretio laboris à Deo venditur.* Hanc S. Franciscus & omnes Sancti sudoribus & ærumnis compararunt. Videant illi qui solius ventris causa se natos arbitrantur, qui in bonis præsentis vitæ ducunt dies suos. Horum conditio in extremo iudicio erit miserrima. Paterfamilias noster, cui plurimum debemus, solita vti benignitate nunquam intermittit. Sicut enim Sol iste, quem oculis videmus, nunquā illuminandi atque calefaciendi officium intermittit: die námque per se, nocte verò per stellas, quas luce sua illustrat atque perfundit,

Laborandum nobis sedulò.

Vita nostra cursus est. Psal. 65. 1. Petr. 1. Labore regnum Dei comparatur.

Simile.

mundum illuminat: ita summa illa & infinita bonitas (quæ sese in omnia diffundit) nunquam illuminandi ac excitandi homines officium deserit: modò quidem per se, internis motibus pulsans, modò verò per ministros suos (qui sunt velut in firmamento positi Ecclesię) externis vocibus hominem ad pietatem vocans. Rectè itaque Saluator ait: *Pater meus vsq; modò operatur, & ego operor:* hoc est, ab ipsa mundi molitione ad hæc vsque tempora, nunquam Pater meus salutem hominum operari destitit, & omni ratione ad se illos adducere. Vnico verbo condidit mundum, sed omnibus seculis in hanc incumbit curam, vt quos ad imaginẽ suam condidit, felices tandẽ & beatos efficiat. Ipse bonorum nostrorum non indiget, est tamen nostræ salutis amator, vt pater sui filij. Si hic iuxta viperam periculi inscium paruulũ filium assidere cerneret, quo impetu accurreret? quibus vocibus & clamoribus compellaret, vt ab eo loco fugeret, ne à vipera illi assidente impeteretur? Cùm ergo nos sensibus paruulis simus, & huius tanti negotij põdus & periculum ignoremus: non mirum si Pater ille cælestis, qui plenissimè omnia nouit, tanta cura nos ab hoc tam ingenti periculo reuocare contendat. Talem animum se gestasse D. Paulus commemorat. Quid nouissimè conducti dixerint, audiamus: *Quid,* inquit paterfamilias, *hic statis tota die otiosi? Respõderunt illi: Quia nemo nos conduxit.* Hoc illi nõ obscurè dixerunt. Horum tamen excusatio, grauis accusatio nostra est. Quid enim expostulanti iudici respõdebimus, qui in spiritualis vineæ cultura adeò desides & negligentes fuimus? *Seruus sciens voluntatem domini sui, & non faciens, plagis multis vapulabit.* Habuimus tot Sacramenta, tot experti fuimus beneficia: quid igitur in examine districti iudicis dicere poterimus? Rectè ex persona Domini ait Propheta: *Laboraui rogãs.* Erimus planè inexcusabiles. *Væ,* inquit Apostolus, *mihi si non euangelizauero, si talenta credita in sudario reposuero. Væ,* inquit Dominus, *tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone,* &c. Nec hoc munus procuratori demãdasse dicitur, cui tamen reddendę mercedis curam commisit: sed ipse per se munus hoc obire dignatur, quo apparet optimi patrisfamilias diligentia. Sequitur enim: *Cùm serò factum esset, dicit Dominus vineæ,* &c. Serò appellat mercedis reddendæ tempus, quod quidem erit singulis in morte, omnibus in iudicio. His enim duobus temporibus merces omnibus reddenda est. Vita nostra tempus est operãdi, mors verò mercedis percipiendæ. Quod si ita est, qualis quæso illorum insania, qui vitam omnem in otio & luxu transigentes, in

Ioan. 5.

Deus salutis nostræ amator.

Simile.

2. Cor. 11.

2. Tim. 1.
Galat. 4.

Luc. 12.

Excusatio nostra vana.

Hier. 15.
Rom. 1.
Luc. 10.

Tempus mercedis quando sit.

Inertia nostra accusatur.

in morte vineam suam colere incipiunt: dum ad tempus mortis, pœnitentiæ propositum differunt? bona mors timentis Deum, non stertentis ac dormientis merces est. *Timenti Dominum*, inquit Sapiens, *bene erit in extremis.* *Venit*, inquit Christus, *nox, in qua nemo potest operari. Propter frigus*, sententia Salomonis, *piget arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei.* Sic illæ verè fatuæ virgines mendicauêre, at frustra; iam quid dicitur illis? *Amen dico vobis, nescio vos.* Domesticos operarios noui, vos autem, qui nõ fuistis in vinea, siue otiosi fuistis, non noui. *Discedite à me operarij iniquitatis.* Rectè monet Apostolus. *Operemur bonum dum tempus habemus.* Procurator autem vineæ & custos & mercedis retributor Christus est, qui à Deo Patre constitutus est iudex viuorum & mortuorum, vt reddat vnicuique secundùm opera sua. Felices illi sanè ac beati, qui ad hanc mercedem tum vocantur, tum digni sunt. Verùm qui sunt illi qui vocantur? Audite: *Voca*, inquit, *operarios, non stertentes, non genio indulgentes.* Ecce quales vocantur; operarij pietatis, non impietatis, qui Diabolo, mundo, & carni, nõ Christo operam locauerũt. Quomodo ille audebit exigere mercedem, qui vitam omnem in otio transegit? Scriptum est: *In tempore tribulationis suæ dicent: Surge libera nos. Vbi sunt dij tui quos fecisti tibi? Dij tui fuerunt venter tuus, caro tua, pecunia tua*, &c. In alterius regis castris militasti, iam à me, aduersus quem arma tulisti, stipendiũ petis? Optas regni cælestis hæreditatẽ, cogita de pretio, id est, labore. Non est, ô homo, quod tibi hîc de sola & nuda fide, qua credis te saluatũ iri, blandiaris. Hæc sine operibus mortua est & erit. *Quæ seminauerit homo, hæc & metet.* Quid dicerent illi, qui pondus diei & æstus sustinuerunt, si desides in mercedis retributione æquari sibi animaduerterent? *Nõ est iniustus Deus vt obliuiscatur operis nostri. Cùm venissent ergo primi arbitrati sunt, quòd plus essent accepturi.* Itaque in dispari labore par omnibus merces reddita est: quia in aliis plus gratia, in aliis verò plus diuina eluxit iustitia. Hic esse videtur huius parabolæ scopus. Tota enim ea huc potissimùm tendit, vt liberalitatem & libertatẽ Domini in donorũ suorum distributione demonstret: qui cùm debita laborum mercede neminem fraudet, imò verò in omnes supra condignum etiam liberalissimus sit, in alios tamen pro infinita & immensa bonitate sua largior magnificentior existit. Rectè ait Sapiens: *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt. Amice, non facio tibi iniuriam*, &c. Alij multum laborant, alij modicum. Latro vero

Eccles. 1. Ioan. 9. Prou. 20. Matt. 25. Luc. 13. Actor. 10. Hierem. 2. Fides sola nõ saluat. Galat. 6. Hebr. 6. Eccles. 11. Laboris impari merces.

confessione regnum Dei adeptus est. Magdalena fusis ad pedes Domini lacrymis, ex peccatrice Apostolorum Apostola resurrectionem Christi nunciando effecta est. Sic Apostoli vocati: sic Moyses, Dauid, Amos, Elisæus electi, nullis eorum præcedentibus meritis. Dominus non numerat annos, sed charitatem & feruorem charitatis supputat. Ea igitur nobis sit cura, vt non oscitanter, sed magno ardore Domino Deo seruiamus. Hac enim ratione breui tempore ad destinatum brauium & perfectionis culmen peruenire licebit. Præstat feruens studium atq; deuotio, quàm diuturna ac remissa diligentia. Non laudatur in Christianis initia, sed fines. *Mementote vxoris Loth,* &c. Paulus malè cœpit, sed benè finiuit, Iudæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur.

Luc. 7.

Dei dona gratuita.

Luc. 17.

TRACTATIO THEMATIS.

Ite & vos in vineam meam. His verbis nos Dominus ad excolendam vineã suam (proposita cælestis regni mercede) inuitat. Quomodo autem vinea sit excolenda, exponamus. Excolimus vineam, cùm animæ nostræ diligẽtem curam gerimus: cùm vitia extirpamus, ac virtutes inserimus. De mercede laboris causari non possumus, cùm sciamus eam merita omnia ac vota superare. Vt diligenter igitur laboremus, tria nos incitare debent: immensa Dei nos vocantis bonitas, temporis in quo nos vocat opportunitas, & promissę mercedis magnitudo. Deus non aliam ob causam mundum condidit, nisi vt essent, in quos bonitatis suæ thesauros effunderet: voluit creaturas consortes felicitatis suæ. Hac de causa humanam carnem assumpsit. Quid illis vocibus dulcius: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis? Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite.* Huic quoque adiungitur tẽporis, quo ad hoc ipsum vocamur, opportunitas. Multum in omnibus rebus opportunitas valet, quæ res natura sua difficiles, facillimas efficit. *Nox,* inquit Apostolus, *præcessit, dies appropinquauit. Quærite Dominum, dum inueniri potest, inuocate eum dum propè est.* Vterque ab opportunitate temporis, in quo gratia regnat, hortatur nos ne in vacuum gratiam Dei recipiamus. Maior nobis opportunitas sub Euangelio, quàm olim apud veteres sub lege. Quid hîc merita Christi referam quibus ditamur? quid sanguinem, quo abluimur? quid preces, quas in nomine eius quotidie fundimus? Olim Patres sub vmbra, nos sub ipsa veritate. Iam non stillæ gratiarũ, sed ingentia flumina inundare cœperunt. Vnde Esaias

Laborandum diligenter.

Matth. 11.
Esa. 55.

Rom. 13.
Esa. 61.

Opportunitas quærenda.

Esa. 33. Ecclesiam *locum fluuiorum, riuos latissimos & patentes* appellat. Superest tertium, id est, mercedis magnitudo, quæ laborantibus tribuitur: de qua Saluator ait: *Luca 6.* *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superefluentem dabunt in sinum vestrum.* Expende optimæ mensuræ circunstantias. Talis ergo mensura est illa, talísque merces, quæ fidelibus operariis in cælo reposita est. Ideóq; non immeritò denarius appellatur, quia in eo omnium bonorum summa continetur. Adsit Dominus, vt diligenter & gnauiter operemur, vt ad brauium æternæ beatitudinis feliciter perueniamus. Amen.

DOMINICA IN SEXAGESIMA CONCIO, IN QVA LECTIO EVANgelica explanatur.

THEMA. *Exijt qui seminat, seminare semē suū.* Luc. 8.

SACERDOTIBVS Veteris Testamenti præceptum fuit, vt haberent speculum in templo coram se positum, ad quod seipsos componerent, quoties ad sacra ministeria exercenda accederent. *Exod. 38.* Erat externa actio quæ iam à nostris hæreticis, scommate exciperetur: *In speculo,* inquit ille, *te ipsum contēplare.* Apostolus ait, *omnia illis in figura contigisse*: *Hebr. 10.* hoc quoque figuram esse quæ ad vitæ nostræ institutionem referenda sit, dubitandum non est. Sicut ergo illi corporeum speculum propositum ante oculos habebant, in quo se conspicerent, ne quid esset in corpore distortum aut vitiosum: ita nos spirituale speculum habere par est, in quo spiritualem animę nostræ faciem videre possimus. Hoc autem *Speculum nostrum quale.* speculū doctrina Christi & Sanctorum est, in qua cùm præcipitur nobis quid ad puritatē & decorem vitæ facere debeamus, facilè quid nobis desit, & quid sit incompositum, intelligimus. Doctrina sacra, dum rectā viuendi viam docet, omnes animæ nostræ obliquitates (vt ita dicam) quālibet sint occultæ, facilè declarat. Hinc Apostolus inter diuini verbi laudes hāc etiam *Hebr. 4.* commemorat, quòd sit *discretor cogitationum & intentionum cordis, & nulla sit creatura inuisibilis in conspectu eius.* Hoc ergo diuini verbi speculum omnia refert, omnia detegit, omnia discernit, si quis ad illud faciem mentis suæ explorare velit. Id cùm multis exemplis ostendi possit, satis ad hoc præsens

Euan-

Euangelij doctrina sufficit: ad quam si quis diligenter seipsum examinare velit, in quo anima sua statu sit;& omnes profectus aut defectus sui causas facilè deprehendet: ita fiet, vt sublatis malorum causis, ipsa quoque mala pariter auferantur. Omnia hæc cælestis Magister aptissima quadam parabola explicat. Quam vt piis & attentis auribus audiamus, cælestem opē sacratissimæ Virginis interuētu suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Parabola sic habet: *Cùm turba plurima cōuenirent, & de ciuitatibus properarēt ad Iesum*, &c. Agitur præcipuè de verbo Dei, & vt illud quod est origo nostræ salutis, diligenter audiamus, exclamādo Dominus nos adhortatur. *Qui*, inquit, *habet aures audiendi, audiat.* Quid ais Domine Iesu? Annon aures habent omnes isti qui te audiunt? Certè, si aures haberent, nequaquam Dominus sigillatim diceret: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Sic non quereretur Hieremias Propheta: *Cui loquar? aut quem contestabor vt audiat? Ecce incircuncisæ sunt aures eorum, & audire non potuerunt.* Illi sunt qui habent aures incircuncisas, qui sine vllo delectu, quæcunque dicuntur, audiunt; qui, nihil adeò fœdū & turpe est, quod ab auditu suo reiiciendum & amputādum curent: qui omnibus nugis, mendaciis, oblocutionibus aures semper patentes habent; ad diuinorum verò eloquiorum tractationem (si quis fortè de eis sermonem instituat) prorsus occlusas. *Sanam quippe doctrinam non sustinent, sed ad sua desideria coaceruant sibi magistros prurientes auribus.* Sunt nonnullæ ciuitates quæ habent portas, per quas educunt supplicio capitis destinatos, & per eas eiiciunt sordes (nihil autē purum aut sacrum per eas vel ingreditur, aut egreditur) ita per curiosorum aures nihil probū aut venustum transit: sed sermones impuri, otiosi. Hæ sunt aures incircuncisæ, quæ malis rebus oppletæ, aditum diuinis eloquiis præbere non possunt, quæ purgatæ mentis aures desiderant. Cuius autem periculi sit verba Dei audire, nec proficere, vix vlla oratio satis explicare poterit. Certè inter cætera reprobationis signa, quæ sancti Patres designauerunt, hoc in primis numeratur, auctore Paulo, qui ait: *Terra venientem super se bibens imbrem, proferens autem tribulos & spinas, iis à quibus colitur, reproba est, & maledicto proxima: cuius consummatio in combustionem.* Quid his verbis vel apertius, vel formidabilius? Non protinus de ægri salute desperamus, quamuis grauiter ægrotet, si adhuc medicamentis aliquo modo iuuatur. At cùm morbus

Hiere. 6.

Theodoretus.

Aures quales Dominus requirat.

2. Tim. 4.

Simile.

Verbū Dei frustra audire.

Hebr. 6.

Simile.

morbus indies ingrauescit, & medicamenta nihil conferunt, quæ spes salutis reliqua est? Quis autem dubitat ægroti anim medicamentum esse verbum Dei? At hoc frustra ægræ men adhibitum imminentis exitij maximum argumẽtum est. Q tidie audire Conciones, & inde nihil emendari, perinde est si quis habet instrumenta, & eis ad vitæ suæ sustentation non vtatur. D. Paulus, licèt miti esset ac placido ingenio, El mam Magum (quòd Dei verbis obsisteret) accerrimè incr pauit: *O plene omni fallacia & nequitia, fili Diaboli, non desin subuertere vias Domini bonas?* Vias Domini verbum eius ap pellauit, quòd hoc viam illi muniat qua ad mentes hominu peruenire queat. At quàm multi modò in Ecclesia sunt, qui bi ipsis Elymas Magus effecti sunt: hoc est, qui diuinis ver aures prorsus obstructas habent! Quàm multi in quos ill meritò iactari possit, quod de suis olim ciuibus idem Proph querebatur; *Ecce verbum Domini versum est illis in oppr brium, & non suscipient illud.* Quid enim nos tam multis vo bus, totque repetitis concionibus profecimus? Est in nobis p iurandi, ebriandi consuetudo, sunt dissidia, est lasciuia, cor num malis cogitationibus. Potest concionator illa verba uatoris dicere: *Vanè & sine causa fortitudinem meam con psi.* Egi quod mei fuit officij, videant illi. Verbum Dei m nominibus appellatur & comparatur, quia varios habet e ctus. Vocatur lumen, panis, vinum, medicamentum, glad malleus, ignis; hîc semen vocatur. Horum debet referre p prietatem & significationem: sin minus, nostra culpa est. omni actione siue naturali siue spirituali duo requiruntur rum quod agat, alterum quod patiatur. Et in agente qui virtutem esse oportet ad agendum: in patiente autem disp tionem ad suscipiendum. Vt enim terra fruges producat, cesse primùm est, vt & agricola semen spargat in terram, inde vt terra, quæ semẽ recipit, nouata sit atque proscissa rísque atque tribulis repurgata, quod si alterum horum de frustra agricola sementem facit. Similis res de fabro ferra qui sine ferro operari non potest. Ad rem igitur. Vt profic necesse est vt doctus adsit Cõcionator, & idoneus auditor. N debemus aurium voluptatem, sed vitæ integritatem cap *Multi plantant plantationem bonam & fidelem, sed refer germen alienum.* Audiunt Dei verbum bonum; produ germen alienum, id est, errores, mendacia. Hoc apud Ezec lem Dominus queritur de iis quibus verbum Domini ver est in carmen musicum. Non igitur hoc affectu verbum au

Salutis spes quæ sit.

Conciones audire an vtile sit.

Actor. 13.

Elymas Magi qui.

Hiere. 6.

Peccata cõsuetudine qualia.

Esa. 49.

Verbũ Dei vt appelletur.

Simile.

Esa. 17.

Concionator & auditor.

Ezech. 33.

audiendum est: sed reuerenter, sed humiliter, sed attentè atque deuotè, studióque afficiendi magis mentem, quàm erudiendi. Sic enim audienti diuina gratia præsto semper est, vel ipso Domino testante, qui ait: *Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem & mansuetum & trementem ad sermones meos?* Talis animus nisi adsit, etiamsi ipse D. Paulus, imò Saluator concionaretur, frustrà concioni intereris. Nihil à nobis boni possumus cogitare; ergo diuinum auxilium implorare oportet. Nos parum referim⁹ fructus ex verbo, quia minùs parati accedimus. Omnia impedimenta, quæ illud semen impedire possunt, debent remoueri. Quæ autem illa sint, ex hodierna Euangelica lectione adeò luculenter proponuntur, vt hæc lectio velut præfatio sit omnium aliarum cōcionum & Euangeliorum, quæ toto anno in Ecclesia leguntur. Est hæc parabola quasi initium in Quadragesima, quòd auditorum animos disponat & præparet: alioquin frustra & sine fructu audiuntur Conciones. Ab initio igitur Cōcionum deberemus Dominum orare, vt mittat digitos suos in aures nostras (vt factum est in Baptismate) vt quem nos aditum diuinis vocibus obstruximus, is gratiæ suæ virtute iterum aperire dignetur. Hoc nobis persuasum esse debet, vt sicut non satis est vt agricola semen in terram iāciat, nisi cælestis quoque adsit virtus & influxus (sine quo frustra omnis labor insumitur) ita non satis est verbi Dei semen in terram cordis nostri spargere, nisi superni Spiritus virtus adsit, cuius ope semen illud adolescat, & spiritualis vitæ fructum proferat. Terra non germinat, nisi pluuiam susceperit, nec pluuia fructificat, nisi adsit terra quæ fructum ferat. Cælestis magister parabolam suam nudè proposuit: inde discipulis eius interpretationem quærentibus, ipsemet interpretatur: *Interrogauerunt ergo eum discipuli eius, quæ esset hæc parabola.* Quæres qua ratione hoc fieri possit, vt idē homo & videat, & non videat, audiat simul & non audiat? Paucis accipe: Cedo mihi fidelem aliquem, qui cùm fidem habeat, infidelium tamen more viuat. Hic igitur an non & videt, & non videt? audit, & non audit? Hic credit omnia fidei dogmata firmissimè, & tamen in magnis viuit sceleribus. Calicem Babylonis aureum mortifero veneno plenum esse cōfitetur, & tamen ex eo bibit. *Quis*, inquit Iob, *poterit gustare, quod gustatum affert mortem?* Talis fuit Paulus ante cōuersionem, de quo scriptum est, quòd *apertis oculis, nihil videbat.* Cuius cæcitatem infelices isti imitantur, qui apertis fidei oculis ita viuunt, ac si prorsus fidei luce destituti essent. Hi vltrò cadunt in foueam. Cùm ex

Verbū Dei quomodo audiendū. Esa. 66.

Ante concionem orandum.

Semen est verbum Dei.

Homo qui videat & non.

Calicem Babylonis quis bibat.

Actor. 9.

hac vita decesserint, damnationis suæ sententiam (velut alter Vrias)in ipsa fide, quam confitentur, secum ferent. Hos notat

Iud. 1.

Iudas Apostolus. Hæc præfatus de cordis cæcitate, discipulis pio religionis studio parabolæ sensum exigentibus annuens,

Sator verbi Christus

Vos, inquit, *audite parabolam seminantis: Semen est verbum Dei.* Semen origo cælestis beatitudinis. Hoc semen quamuis ex natura sua fœcundissimum sit, pro varia tamen conditione terrarum, hoc est, auditorum, in quibus seminatur, aut nullum fructum, aut certè maximè refert varium.

Semen secus viam iactum.

Quorundam enim hominum corda sunt velut terra, quæ viæ finitima est, quæ ab omnibus teritur & calcatur, hoc est, quæ omnibus fœdis & impuris cogitationibus ac desideriis sine vllo delectu patet.

Simile.

Est enim horum cor velut commune quoddam diuersorium, quod omne genus hominum, siue illi noti, siue ignoti, siue boni, siue mali sint, admittit. Nullum enim delectum, nullum discrimen bonarum aut malarum, siue cogitationum, siue desideriorum habent: adeò vt illa Salomonis verba vsurpare queant:

Eccles. 2.

Omnia quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur.

Simile.

Est præterea velut cymba quædam vndique quassata, quæ per omnes rimulas bibit aquam.

Simile.

Est item sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu, quæ facilè ab hostibus inuaditur, & tanquam vinea sepe & maceria destituta, cuius fructus depopulantur quicunque iuxta illam gradiuntur.

Esa. 5.

Auferam, inquit Dominus, *sepem eius, & erit in direptionem.*

Cor impurũ quale.

Sublata enim cordis custodia (quæ velut animæ nostræ maceria est) non solùm diripitur quicquid in pretiosum est: sed anima etiam ipsa conculcatur atque fœdatur.

Simile.

Denique talis anima est veluti domus quædam sine seris & valuis, que prætereuntibus in sordidum stabulum & sterquilinium est. Tali anima nihil fœdius: est receptaculum Dæmonum.

Semen in petram iactum.

Altera verò seminis portio super petram cecidit, quæ nata aruit, quia non habebat humorem. Hoc autem petrarum nomine eos Dominus significare voluit, qui cùm verbum Dei audierint, afficiuntur illi quidem, & cum gaudio suscipiunt illud, qui tamen modum in charitate atque timore Domini radices iecerunt: quo fit, vt cùm tentationis alicuius vehementior æstus incaluerit, arescat protinus herba, quæ nullis charitatis radicibus nitebatur. Qui autem hi sint, paucis indicabo. Sunt inter Christianos non pauci, qui ita Christianæ vitæ mores & instituta sectantur, vt quidam Philosophiæ studium amplectebatur,

Cicero.

qui (vt Cicero ait) solitus erat dicere: *Philosophandum esse, sed paucis.* Nolebat enim se totum Philosophorum

studi

studiis dedere: sed summis tantùm (quod dicitur) labiis Philosophiam degustare. Huic ergo similes sunt multi nostrorum, qui non tota mente ac studio, sed leuiter atque oscitanter Christi Philosophiam attingunt. Atque, vt communi exemplo rem omnem aperiam, qua mensura aqua benedicta dum tẽpla ingrediuntur, lustrari volunt, qui exigua guttula contenti, molestè ferũt si quis eos plurima aqua consperserit: eadẽ isti disciplinam Christi & instituta eius sectantur, vt vna aut altera eius particula contenti, cætera fastidiant atque repudient. Ea instituunt, quæ & factu facilia, & facientibus honori sunt; quæ verò difficultatibus pluscùlum, honoris verò minus habẽt, tanquam ad se minimè pertinentia, respuunt. Radices istæ sunt timor propositum fixum perseuerandi. Has iecerat Propheta, cùm diceret: *Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.* Sic Apostolus altas egerat radices in animo, cùm ait: *Quis nos separabit à charitate Christi?* &c. Qui has radices figere in animo cupit, præstet quod in primo Psalmo est. *In lege Domini voluntas eius.* Vt enim aqua honore suo vitali arborem educit & confirmat: illamque lætissimorum copia fructuum exornat: ita piorum animus meditatione rerum diuinarum alitur ad æternitatem: vberrimosque virtutum fructus, & illos quidem tempestiuos edit: idemque semper virebit, nec vllos vnquam æstus formidabit. Si his radicibus semen destituitur, facilè arescit ad Solis æstum. Altera verò seminis portio cecidisse dicitur in terram spinis obsitam. Vnde id consecutum est, vt simul exortæ spinæ fruges suffocarent. Spinas autem Dominus appellat vitæ voluptates, solicitudines seculi, studiumque diuitiarum. Hæc enim omnia ita quorundam hominum corda occupãt & opprimunt, vt cælestis verbi semen in eis ad frugem peruenire nequeat. Cuius rei causam non erit difficile assignare. Constat enim diuitiarum studium ab Apostolo malorum omnium radicem appellari. *Quid enim non mortalia pectora cogit Auri sacra fames?* Iam verò voluptatem malorum omnium escam esse, veteres rectissimè senserũt: quarũ cupiditatum vtra sit humano generi nocentior ac pestilentior, nemo satis explicare potest. Curarum verò examina mentẽ ita pungunt & lacerant, vt nihil eam, nisi quod eos abigere possit, cogitare sinant. Ita fit vt partim sceleribus, partim aculeis curarũ mens nostra oppressa, nullum ex verbi Dei semine fructum germinet. Rerum omnium conditor sibi vni sedem atque domicilium in humano pectore destinauit. *Nemo potest duobus æquè dominis seruire. Nemo vnquam ad bonam mentem peruenit occupatus.* Quod

Simile.

Radices quæ pietatis.

Rom. 8.

Psal. 1.

Simile.

Semen inter spinas.

1. Tim. 6.

Virgilius.

Curæ perniciosæ.

Matth. 6.

Seneca.

non de necessariis iustisque occupationibus, sed de immodicis & vanis intelligendum est: quas non vsus vitæ, sed libido & cupiditas hominum excitarunt. Hæc enim velut tribuli & spinæ sunt, quæ totam hominis mentem ebibunt, atque ita diuini verbi semen suffocant. *Nihil iniquius, quàm amare pecuniam. Auaro nihil scelestius.* Similes isti iis qui tibiarum cantu maximè delectantur, & adeò huic modulationi sunt intenti, vt verba quæ interim fiunt, minimè aduertant, dum tibicinem audiunt modulantem: maiorem enim capiunt voluptatem ex eo sono, quàm ex præsenti actione. Voluptas quam parit tibiarum numerus, eam labefactat actionem quæ in oratione versatur. Hac ergo ratione spinæ istæ cupiditatum, cælestis verbi semen suffocare dicuntur.

Eccles.10.
Simile ex Aristotele.
Diuitiæ spinæ sunt.

Hactenus ex tribus cælestis seminis partibus nihil tulimus, non tamen ab opere cessandum est, adeò enim messis hæc pretiosa est, vt si vel vna eius portio ad frugem peruenerit, bene nobiscum actum sit. Ideò námque Sapiens monet: *Mane semina semen tuum, & vespere non cesset manus tua: quia nescis quid magis oriatur, hoc an illud: & si vtrumque simul, melius erit.* Superest ergo quarta seminis pars, quæ cecidisse dicitur in terram bonam, ac protulisse fructum centuplum. Huius verò terræ nomine eos intelligi Saluator ait: *Qui in corde bono & optimo verbum retinent.* Bonum autem & optimum cor illud est, quod ab iis (quas suprà diximus) spinis purgatum est: quale à nobis Propheta requirebat, cùm diceret: *Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas.* Quo in loco certum est nō de agrorum, sed de animorum spinis Euangelico more Prophetam loqui, quæ radicitùs de corde euellēdæ sunt, si iactum in eo verbi semen fructum ferre debeat. His autem nouissimis Dominus verbis omnia ferè, quæ ad bene operandum adiumenta requiruntur, complexus est. Nam quod ait, *in corde bono*, pertinet ad vim intelligēdi, vt quàm attentissimè & auidissimè tanquam cælitùs missum nuncium audiamus. *In corde bono & optimo*, vt pro illius dignitate & maiestate afficiatur. Retinent in corde vt quoties opus fuerit, ad vsus accommodent necessarios: quomodo Dominum in Euangelio discimus, qui ad Diaboli tentationes semper sacræ Scripturæ tela protulit, cùm ait: *Scriptum est, Non in solo pane viuit homo.* Quibus animæ viribus, vim postremò addit operandi, cùm ait: *Fructum adferunt in patientia.* Quid est, in patientia? Nimirum in perpessione variorum laborum, quos exantlare necesse est, vt bonorum operum fructum proferre valeamus. *Maledicta* erat *terra à Domino, quæ*

Eccles. 11.
Seminis portio quarta.
Hiere.4.
Verbum Dei quomodo audiendum. Bonauent.
Matth.4.
Genes.3.

tribu

tribulos & spinas germinabit: at ista maledictio vtinam non solùm terram, quæ tum sua sponte fruges ferebat, attigisset, atque non etiam ad mentium interiora permeasset. Humana natura ante peccatum, sine vllo labore omnia virtutum germina proferebat; at post illam maledictionem caro insurgit in spiritum, & non nisi magno labore in officio contineri potest. Vitia sunt domestica & in promptu; virtutes aliunde importandæ. Itaque terra cordis nostri ad tribulos & spinas vitiorum proferendas, sponte sua, sine cultore fœcunda est: ad harum autem virtutum germina adeò sterilis & inepta est, vt sine Dei gratia & hominis insuper industria nihil salutare, atque æterna vita dignum proferre queat. Experimur verum quod Apostolus ait: *Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato.* Sine labore nihil fit in vita egregium. Orare, ieiunare recusamus. In patientia & labore igitur possidenda anima nostra. Oportet in lacrymis seminare, vt in gaudio metamus. Dominus Deus det gratiam vt possimus. Sit illi honor semper. Amen.

Terra maledicta quid.

Roman. 8.

DOMINICA IN QVINQVAGESIMA, CONCIO: IN QVA EVANGELICA lectio explanatur, & quòd sub Christi passionis ignominia gloria diuinitatis delitescat.

THEMA. *Cæcus quidam clamauit, dicens: Iesu fili Dauid, miserere mei.* Luc. 18.

HODIERNA Sancti Euangelij lectio duas complectitur partes, quarum altera summam Dominicæ passionis: altera miraculum continet, quo Dominus petenti cæco amissum lumen restituit. Historia sic habet: *Assumpsit Iesus discipulos suos secretò, & ait illis*, &c.

AVE MARIA.

Optimi Imperatoris officium est, Auditores, milites suos ante cõgressum armis munire & instruere. Cùm verò hæc ipsa vita quã degimus, tot casibus & periculis obnoxia sit, vt ea vel militia, vel tentatio in literis sanctis appelletur: magna Christianæ Philosophiæ pars est, salutaribus præceptis pectora no-

Iob. 7.

ſtra armare, quibus ab impendentibus vndique malis immu-
nes eſſe valeamus. Hac ergo de cauſa cæleſtis Imperator diſci-
pulos ſuos malorum omnium, quæ illis impendebant, frequen-
ter admonere ſolitus erat. Quæ vbi latiùs expoſuiſſet, tandem
ait: *Hæc locutus ſum vobis, vt non ſcandalizemini: abſque Sy-*

Ioan. 18.

nagogis facient vos, &c. Hac ergo impendentium malorum
prædictione, nihil diſcipulis nec mirum, nec nouum, nec im-
prouiſum poterat accidere. Hac ergo de cauſa in præſenti le-

Iaculæ præuiſa nocẽt minus.

ctione Dominus paſſionis ſuę labores & certamina illis prędi-
xit, ne ad hoc tantum fulmen rudes & imparati inuenirentur.
Itaque ait: *Ecce aſcẽdimus Hieroſolymã & conſummabũtur*, &c.
Si hæc diſcipuli intellexiſſent, & intellecta animo cõdidiſſent,
cùm ea quæ illis prædicta fuerant, impleri cernerent, non vti-
que turbari, ſed mirari potiùs debuiſſent, cùm vel hoc argu-
mento præceptoris ſui ſapientiam, virtutem atque diuinita-
tem intelligere potuiſſent, ad quem ſolùm pertinet futura prę-
dicere. Circumſpiciamus & nobis, vt cõtra omnia pericula ar-
mati incedamus. Cùm nonnulli hoc non cogitant, more pecu-
dum in grauiſſimos tum corporis tum animi incidunt languo-

Vita noſtra qualis.

res. Sæpè animo voluendum. Aequo animo ferendum quod
mutari non poteſt. Ante languorem adhibe medicinam. Qu[æ]
ſit vitæ huius conditio, audi: *Quæ eſt vita veſtra? Vapor eſt a[d]*

Ecclеſ. 18.
Iacob. 4.
Eſa. 40.

modicũ parẽs. Quid vapore leuius, quid inſtabilius? Talis vi[ta]
noſtra eſt. *Omnis*, inquit Propheta, *caro fœnum & omnis glori[a]*
eius quaſi flos agri. Quæ cùm ita ſint (quod negare non poſſu-
mus) quid miramur, ſi quotidie noſtrarum rerum ſtatus aliam
atque aliam ſubinde faciem commutat? Huius inſtabilitatis &
mortalitatis noſtræ conſideratio ad calamitates & incommo-
da vitę moderatè ferenda, magnũ adiumentum adfert Summ[a]
eſt, vt illud cõſiliũ Eccleſ. ante oculos proponamus, vt ſcilicet

Eccleſ. 18.

in die bonorum non ſimus immemores malorum. Hoc conſ[i-]
lium vulgus hominum repudiat. Quærẽdum nobis cui Eccle-
ſia hoc Euangelium, in quo Dominicæ paſſionis fit mentio
hoc tempore nobis ante oculos ponat. Cauſa, quòd fideles ho[c]

Ieiuniis vacãdum quando.

tempore ieiuniis, orationibus, & lacrymis vacare, & omnib[us]
vitiis valedicere debent. Quid enim aduerſus peccati odium
accendere magis animum poteſt, quàm mortis Chriſti conſi-
deratio, quam ille propter peccata hominum diluenda pertul[it]
Dominus maieſtatis pro ſceleribus noſtris diluendis tot ſuſ[ti-]

Exod. 15.
Crucis ſignificatio.

nuit labores. Vide quid illud lignum, quod amaræ aquæ im-
miſſum eſt, & ex amariſſimis fecit dulces, quid velit. Quid co[n-]
uenientius hoc in loco, quàm vitalis ligni atque ſalutiferi vi[...]

tus designatur? Hoc enim est lignũ quod amaras laborũ atque dolorum aquas in dulcedinẽ vertit:hoc est quod virtutis amaritudinem suauem facit:quod asperitatem pœnitentiæ mollit: quod calamitates & ærumnas huius vitæ mitigat. Hoc enim Sanctorum Martyrum,hoc Virginum, hoc Monachorum labores miro modo leniit & tẽperauit.Ille fons innocentiæ,pro alienis sceleribus indigna pertulit: tu qui reus es,sustines pro tuis criminibus. *Si*, inquit ille, *passio saluatoris ad memoriam reuocetur,nihil est quod non æquo animo toleretur.* Opportunè ergo hoc sacratissimo ieiuniorum & pœnitentiæ tempore, Dominicæ passionis memoriam Ecclesia refricauit, vt hoc exemplo nos ad pœnitentiæ labores inuitaret.Sicut enim elephantibus (vt est in lib. 1. Machab.) sanguis vuæ mori ostendebatur,quo sanguineo colore inspecto, ad prælium acriùs incitarẽtur:ita planè sanguis Christi oculis nostris exhibitus,ad spiritualia cum antiquo serpente certamina acuere debet, ne eius iterum seruituti subiiciamur, à quo nos ipse pio cruore suo misericorditer liberauit. Nostra intemperantia,qui fræna ventri laxamus,valde taxatur : *Non in comessationibus & ebrietatibus viuendum.* Cùm ergo varia passionis suæ probra atque supplicia breuiter discipulis Saluator proposuisset,subdit protinus Euangelista :*Et ipsi nihil horum intellexerũt,& erat verbũ istud absconditum*,&c. Quid est quòd discipuli tem adeò cõspicuam non intelligebant? Quibus enim verbis hoc apertiùs exprimi potuit? Nimirum quia rudes adhuc in schola Christi, nec mysteriorum redemptionis, nec Dominicæ passionis gloriam agnoscebant. Et quia magistrum suum impensè diligebant,mortẽque eius molestè ferebant : ideò,quod nullo modo esse volebant,non intelligebant. Amor enim & odium,& quicunque alius impotens affectus,rationis iudicium excæcat,ne verum despicere valeat. Christus aliquando dixit:*Oportet exaltari Filium hominis* (de crucis videlicet supplicio agens.) Iudæi discipulis non dissimiles, apertè rem de qua agebat intellexerunt,& ad rem appositè responderunt, dicentes : *Nos audiuimus ex lege,quia Christus manet in æternum* , &c. Itaque prolatam de morte Domini sententiam, quia nec vitam eius diligebant,nec mortem oderant,facilè intelligere potuerunt: quod tamen discipuli assecuti non sunt, quoniam longè aliter erga magistri vitam & mortem affecti erant. Sic multi sunt qui aliorum fragilitatem & mortalitatem bene intelligunt & diiudicant,suam minimè agnoscunt. Est quædam tacita latens intus persuasio, quæ nos bono esse animo iubet, quæ diutur-

Augustin.

1. *Macha.* 6.

Roma. 13.

Ioan. 3.

Discipuli rudes.

Ad Nepot.

nam vitam ſibi pollicetur D. Hieron. *Quotidie*, inquit, *morimur, quotidie commutamur, & tamen æternos nos eſſe credimus.* Hinc fit quòd ſexagenarij domos amplas erigimus, quòd pecuniis cõgregandis auidiſſimè inhiamus, quòd multis annis in ſceleribus, odiis, & libidinũ cœno iacemus: quod certè non faceremus, ſi mortẽ in foribus adeſſe crederemus. Iſti homines cõputreſcunt in ſtercore vt iumẽta, donec mors inter flagitia ſua imparatos eos deprehẽdat. Aliter quidã pius vir ſentiebat, cũm iam ſenex ab amico in craſtinum vocaretur ad cõuiuium: *Cur me*, inquit, *vocas in craſtinum, qui à multis iam annis craſtinum non habui: ſed mortis aduentum in ſingulos dies exſpectaui?* Omiſſis diſcipulis, ad cæcum tranſeamus.

Mortem homines nõ cogitant.

Guido Bituricenſis.

Factum eſt, inquit Euangeliſta, *cùm Dominus appropinquaret Hierico, cæcus quidã ſedebat ſecus viam mẽdicans*, &c. Habemus hoc loco, Auditores, quid mundus faciat, cùm homines eo relicto, ad Chriſtum conuertuntur: quidque contrà hoc tempore nos ipſi facere debeamus, cùm à mũdo impetimur. Vetus mos eſt mundi, cõfictis nominibus & virtutes obſcurare, & illuſtrare vitia: vitiis dat honorifica, virtutibus ignominioſa nomina. Quid igitur nos hoc tempore facere par eſt? Nimirum cæci huius conſtantiam imitari, qui vocibus populi interpellatus adeò à clamandi & orandi officio non deſtitit; vt multò etiam magis clamaret: *Ieſu fili Dauid, miſerere mei.* Cur enim mundi vocibus fidem adhibere, aut ab inſtituto pietatis curſu reuocari debeamus? Annon eius teterrima vox illa fuit: *Non hunc, ſed Barabbam?* Hæc enim furentis mundi poſtulatio fuit, qui ſeditioſum Barabbam innocentiæ fonti & auctori vitæ antetulit. Quomodo ergo ei fidem habeas, quem adeò mendacẽ expertus es? Has ergo voces omnes velut Syrenarum cantus ſurda aure tranſire debemus, quos cõtemnere magis, quàm timere nos decet. Videmus generoſum canẽ ſiue equum, qui quod nihil curet latratus catellorum, ſecurus graditur. Mundi eſt impiis bellum inferre: tuum eſt animam tuam ſtrenuè ac fortiter tueri. Officij noſtri eſt, Dei magis, quàm ſtultorum hominum offenſam pertimeſcere. Vinolenti iniuriæ loco ducunt, ſi in comparationibus ſuis à vino abſtinere velis, & nõ reſponderis. Nónne ſtultè hic cæcus egiſſet, ſi mundi vocibus deterritus abſtinuiſſet à clamore? Vtrũque enim lumẽ & corporis & animæ, quod clamoribus ſuis impetrauit, amiſiſſet. Ad clamorem cæci Dominus ſtetit. Videmus deuotionem & fidem, diſcimus vt & nos perſeueremus. Sumamus exemplum amici intempeſta nocte petentis. Perſeuerãtia meretur. Oratio eſt quaſi qu[...]

Mundi ingenium.

Simile.

Mundi ingenium quale.

Cyprian. in epiſtol.

Simile.

Luc. 11.

dam sagitta;non potest non aures diuinas mouere,si assiduè fe-
fiat. Orationis perseuerantiam, velut certissimum quendam
diuinæ misericordiæ obsidem existimate.Pete ergo,& iterum
atque iterum fores diuinæ misericordiæ pulsa,sciens quia om-
ni pulsanti aperitur. Moyses iussus à Deo,virga petram percus-
sit:quæ cùm primo ictu aquam non fudisset,secundo copiosis-
simam vndam sitienti populo propinauit. Non est ille durus,
sed tenerrimus; suo tempore fundet aquam. Iussit Dominus
cæcum ad se adduci;& qui priùs increpabant, iã fauent, & cõ-
solãtur. *Animo æquior esto,ecce vocat te.* Ita vsu venire solet,vt
cùm quis mundum contemnere cœperit, multos habeat con-
tradictores: at si perseuerauerit, iam sibi eos paulatim conci-
liat,qui antè reprehendebant. *Inimici hominis, domestici eius.*
Videbant discipuli Christum supra mare ambulantem, puta-
bant phantasma esse;at iam verò cognoscentes Christum,iam
non spectrum, sed summo sibi solatio credunt, meliùs instru-
cti. Vbi ergo cæcus hanc turbæ vocem audiuit,proiecto vesti-
mento(vt Marcus ait)exiliens venit ad Iesum. Tanto enim lu-
cis desiderio tenebatur, vt omnis ei celeritas in mora esset, &
ipsam quoque vestem properanti grauem esse putaret.Facultas
videndi inter omnes corporis sensus maximè diligitur Si igitur
hic cæcus tanta celeritate ad corporeum lumen accipiendum
properabat; quid nos facere par est,vt spirituale mentis lumen
à Domino consequamur? Illud fidei lumen est nobis cum An-
gelis commune; at corporeũ cum formicis & canibus. Prope-
rat ad Iesum: at nos quàm tardo gradu repimus, vix etiam in
extrema ætate. Clamemus ex corde: *Domine ne moreris: ad
adiuuandum me festina, accelera vt eruas me.* Vide quàm se-
dulò illa mulier, quæ Elisæum hospitio excipere solita erat,
mortuo filio quęrebat vitam. Considera tu mortem animę tuę,
& quęre illius salutem. Mors latet, tu igitur tot morandi causas
nectis? Quid mundus, quid consanguinei dicent, si veterem
cõsuetudinem viuendi deseruero?O te infelicem! Habes ocu-
los ad mundum,ad lucra tua:non habes vt damna æternæ vitæ
conspicias.Ioseph adolescens maluit relinquere pallium,quàm
pudicitia carere.Monemur vt omnia quæ salutem nostram vel
impedire,vel remorari aliqua ratione possunt,quàm ocyssimè
relinquamus: ne incomparabilem animæ nostræ thesaurum
hac tam leui occasione amittamus. Cùm ergo cæcus ante Do-
minum adstitisset,interrogauit illum Dominus: *Quid tibi vis
faciam?* Cur quęso,Domine,hoc ab illo requiris?Quid cæcus à
fonte lucis,nisi lucem quærat?Hæc Domini interrogatio con-

Oratio perseuerans.

Num. 20.

Mich. 7.
Matt. 14.
Vide religiosè.

Marc. 6.

Lumen mẽtis ambiendum.

4. Reg. 4.

Mundus est belua.

Gen. 39.

ſilio non vacat. Filij exponunt parentibus calamitatem : ita &
nos confugere debemus in noſtra neceſſitate ad Deum. *Reue*
la, inquit Propheta, *Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ip*
faciet. Et illud item Hieremiæ : *Conſurge in nocte in princip*
vigiliarum, & effunde ſicut aquam cor tuum ante Dominum
Sic olim Ezechias rex fecit, qui literas minarum & blaſphe
miæ plenas à Sennacherib Rege Aſſyriorum acceperat aſcen-
dens in templum, expandit coram Domino. Sic Dauid in om-
ni ſua calamitate fecit : *Effundo*, inquit, *in conſpectu eius ora-*
tionem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronun-
cio. Non ſunt illi moleſtæ preces noſtræ, imò ipſe eas ſumm
ſtudio à nobis requirit : *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vo*
tua in auribus meis, vox enim tua dulcis. Inter flores enim
fructuſque virtutum, non in plateis habitãs fidelis anima, ſan
ctos Angelos habet auſcultãtes eam ; qui libẽter adſtant ora
tibus & meditantibus. Oportet nos ſuppliciter petere quæ m
ſericorditer impetraturi ſumus. Ad Hieremiam dicitur: *Clam*
ad me & exaudiam te, & annunciabo tibi grandia & firma q
neſcis. Ad cęcum Dominus ait : *Quid tibi vis faciam?* *Cui ille*
ſpondit: Domine vt videã. Ait illi Ieſus: Reſpice. Quo vno verb
ita eius oculi illuminati ſunt, ac ſi non oculis captus, ſed à ſom
no excitatus videretur, nec corporis tantùm oculi, ſed anim
etiam fidei lumine irradiati ſunt, quando ei protinus dicitur
Fides tua te ſaluũ fecit. Quæ videlicet anteà quidẽ imperfecta
modò verò noua luce illuſtrata & aucta eſt. Nec ſolùm ocul
ſed etiam os apertum eſt: dum Chriſtum ſequitur, magna vo
laudes eius prædicãs, populumque exẽplo ſuo ad eaſdem præ
dicandas inuitans. Ponamus hunc cæcum nobis in exemplu
orandi, atque ita ſimili fide, auiditate, & perſeuerantia hoc p
tamus, quod ille petiit: nempe internam animæ noſtræ lucem
Cæci ſumus. *Illumina*, ait Propheta, *oculos meos, ne vnqua*
obdormiam in morte. Tenebræ meæ ſunt cupiditates & aff
ctus mei, innumeri errores huius mundi. Aurora conſurgen
tenebræ fugantur, ita lux tua Deus mentis noſtræ oculos illu
ſtrat, vt id diligamus quod diligendum eſt; id contemnamu
quod meritò contemnendum eſt, vt bonus ordo procedat.

Iam quod ſecundo loco propoſuimus, breuiter docebim

Sub Chriſti paſſionis ignominia, diuinitas eius latet.

In Exodo habem⁹ quomodo expoſitus fuerat à matre iux
fluminis alueũ in fiſcella ſcirpea, paleis & luto obſita, pulch
rimus infans Moſes: quò vbi Pharaonis filia veniſſet, aper
que fiſcella, elegantiſſimum infantem reperiſſet, eximio e
amore pulchritudinis capta, adoptauit in filium. Quod igit

Pſal. 56. — *Thren. 2.* — *Deus quærendus in tribulatione.* — *Pſal. 141.* — *Cant. 2. ad ſponsã.* — *Hiere. 33.* — *Orationis veræ exemplum.* — *Pſal. 12.* — *Tenebræ noſtræ.* — *Exod. 8.*

illi sese oculis primùm offerebat, vilissimum atque deforme erat: quod verò intus conditum latebat, speciosum atque pulcherrimum. Hanc igitur duplicem nobis formã exhibet Christus Dominus: extrà quidẽ cruci affixus, plagis liuidus, flagellis cæsus, spinis coronatus, deformẽ leprosi speciẽ & imaginem præferens: qui tamen erat candor lucis æternæ, speculum sine macula diuinę maiestatis, & imago bonitatis illius. Hisce oculis contemplari debuissent discipuli Christum; his & nos illum contemplari debemus, ne scandalo crucis offendamur: sed potiùs imperuestigabiles diuinæ bonitatis & misericordiæ diuitias in ea latentes admiremur. Principiò illud ante omnia statuendum est, quòd cùm Deus immensa quædam & infinita virtutum omnium & perfectionum abyssus sit, nihil tamen in eo iudicio nostro gloriosius & magnificentius eius bonitate & misericordia esse putatur. Ipse Dominus omni laude cumulatissimus, nulla re magis quàm in bonitate ac sanctitate gloriatur. Sic in cælis hanc vocem perpetuò repetunt: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Alia omnia omittunt, & hanc vocẽ vnã sanctitatis sine intermissione repetũt, vt qui intelligant, hãc supra cæteras laudes conditori omniũ esse gratã.

Christus quibus oculis contemplandus.

Prima propositio.

Esa. 6.

Si ergo hæc sanctitatis & bonitatis laus Deo gratissima est: consequens etiã est, vt qui omnia propter nominis sui gloriam operatus est, insigne aliquod opus ederet: quo hãc tantã suam laudem potissimũm ederet. Maximum autem inter cętera hoc est quod Propheta regius postulabat: *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.* Omnibus operibus suis ita mentes affecit, vt cum Propheta dicere possimus: *Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis.* Et, *Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.* Si ergo tantopere oblectasti oculos nostros in factura tua, quantum quæso delectabis ostensa in operibus bonitate & misericordia tua? Cæterę laudes tuę sunt: hæc verò ita tua est, vt nostra quoque sit, quando ea nobis beneficiis conferendis & communione bonorum tuorum præcipuè declaratur. Opus igitur quod in nos declarauit, nobis maximam attulit vtilitatem, sibi verò maximum peperit laborem. Hoc sanè regium est, de hominibus bene mereri, non modò sine vllo emolumento, sed cum maximo damno & dedecore. O si quis nunc eos oculos haberet, quibus pendentem in cruce Dominum contemplari dignè posset! quàm pulcher intus appareret is, qui tot confossus scissuris, atque vulneribus, extrà deformis apparet. Omnia illa quæ in eius corpore patent vulnera, plagæ illæ omnes atque liuores,

Secunda propositio.

Psal. 84.

Psal. 138.

Psal. 91.

Dei opera mirabilia.

Tertia propositio.

Regium quid.

Christi passio cui nos admonet.

res,

res,quid aliud quæso sunt, quàm scissuræ vestis sericæ, quæ latentem auri speciem pandunt? quid nisi pietatis opera, benignitatis indicia, misericordiæ argumenta, & veluti vitreæ quædam fenestræ, per quas reconditam in sacratissimo illo pectore bonitatem & charitatem cernere datur? Dissimulatio ergo maiestatis, declaratio quædam fuit & manifestatio bonitatis, quæ quidem in hac vita commodiùs alia ratione manifestari non poterat. Tunc eum mundus primùm & cognoscere & amare cœpit, quem anteà non amabat, quia non sic agnoscebat. Quod Dominus ipse ita futurum confirmauit, cùm dixit: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Hoc Esaias præuidit: *Et reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro salutare Dei nostri.* Tunc enim potissimùm Dei gloria reuelata est, cùm maiestas obscurata, & salus hominis data est. Crucem igitur Christi non patibulum, sed regalem thronum: clauos illos, adamantes; liuores illos, smaragdos; vulnera illa vernantes ac fragrantes rosas; illam denique spinarum coronam, inæstimabilis decoris diadema esse iudicat anima fidelis. His D. Bernardus oculis Christum in cruce contemplans aiebat: *Contemnat Herodes; ego tanto magis eum non contemnam, quanto se contemptibilem ostendit Herodi. Quantus quantus est, à capite ad calcem vsque totus amabilis & desiderabilis vbique pulcher.*

Ioan. 5.
Esa. 40.
Crux Christi pretiosa.
Bernardus super Cantica, Serm. 61.

Hîc iam fides in Dominum Christum confirmatur; & feruens in illum charitas, quæ totius diuinæ legis summam continet, mirabiliter accenditur. Quis his tam stupendis conditoris beneficiis non incitaretur ad reclamandum? Monet tum Apostolus, tum Ecclesia Catholica: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Non vulgaris offertur laboris & patientiæ materia. Ipsa quoque temporis conditio nos monet carnem affligere, vigiliis & orationibus insistere, & bellum acre vitiis indicere, & prauas cupiditates resecare, & omnes peccandi occasiones declinare, vt sic tandem per veram pœnitentiam ad æternam mereamur peruenire lætitiam. Amen.

2. Cor. 6.

TOMVS SECVNDVS DE TEMPORE.

Quæ Quartis & Sextis Feriis, & diebus Dominicis Quadrageſimæ in Eccleſia haberi ſolent Conciones.

FERIA QVARTA CINERVM CONCIO, QVÆ POST EVANGELICÆ lectionis explanationem, ad veteris vitæ pœnitentiam hortatur, ob vitæ breuitatem & incertitudinem.

THEMA. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio & fletu, & planctu.* Ioëlis 2.

INTER omnia mala, Auditores, quæ fingi animo & cogitatione poſſunt, ſummum & maximum eſſe conſtat lethale peccatum: quo & Dei furorem prouocamus, & benigniſſimum parentem in ſeueriſſimum iudicem commutamus. Inter omnia verò huiuſmodi peccata, nullum eſt ad ſuperandum difficilius, quàm quod diuturna conſuetudine firmatum eſt, Sic enim Dominus per Hieremiam ait: *Si poteſt Æthiops mutare pellem ſuam, & pardus varietates ſuas: ita & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malè.* Quæ quidem ſententia non ita accipienda eſt, vt hoc prorſus impoſſibile eſſe dicat, ſed vt rarum eſſe oſtendat. Hoc igitur Eccleſia diligenter aduertens, cùm intelligat quanta ſit peccati malitia, quantáque prauæ conſuetudinis vis & potentia; ſtata tempora annis ſingulis deſtinauit, quibus pœnitentiæ remedio his peccati incommodis mederetur. Vera enim pœnitentia, & peccata è me

Hiere. 13.

Pœnitentia fructus.

è medio tollit, & prauæ consuetudinis filum præscindit, ne vlteriùs malum serpat, maioréſq; indies vires colligat. Hanc autem virtutem Ecclesia non vocibus solùm, sed rebus etiam ipsis, atq; omni ratione commendat. Inuitantur omnes omnium ordinum homines ad ieiunium & lacrymas; ad pœnitentiam vocantur. Iam si ad cultum templorum, cæremoniásque oculos conuertas, nihil planè cernes, quod pœnitentiam mœrorémque non præ se ferat. Quid cineris conspersio, quid sacræ imagines velatæ, nisi mœrorem testantur? Quia verò magna pœnitentiæ pars est ieiunium, ad vtrumque ieiunij obseruatio valet: vtpote quòd & carnem cruciat, & eius lasciuiam atque superbiam media comprimit. Indicitur igitur ieiunium, & quomodo obseruari debeat, præscribitur ab Ecclesia. Vt commodiùs rem tractemus, cælestem opem beatissimæ Virginis interuentu imploremus.

Cineris cæremoniæ quæ.

AVE MARIA.

Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, &c. Quoniam sacrum hodie ieiuniorum tempus auspicamur, apposité nobis Euangelica lectio proponitur, quæ nos salutaré ieiunādi formam docet. Non enim ad veræ pœnitentiæ rationem satis est si ieiunes, nisi sanctè etiam, quod sanctum est, exequaris. Sic lectio Ioëlis non ad ieiunium modò, sed etiam ad ieiunij sanctificationem inducit. Summus enim ille puritatis amator discretórque cogitationum & intentionum cordis, non tam manum, quàm animum contemplatur. *Cùm*, inquit Saluator, *ieiunatis*, &c. Consulit ieiuniū, quod hęretici abhorrent & dissuadent. Puerorū vermes, qui intestinis hærent, nisi acri medicina non curantur: ita frequenter peccata, quæ in penetralibus animæ infixa sunt, nisi acrimonia ieiunij non pelluntur. Esset sanè hîc locus aliquid dicendi cōtra hypocrisis vitium, verùm in præsentia nihil ob aliorum locorū tractationem de ea proferetur. Scire tamen debemus, ne faciles simus ad iudicandum, dum videmus quosdam piè & simpliciter viuere in Christo, dum illud hypocrisis vitium videmur carpere, innocētes condemnemus. *Nolite ante tempus iudicare.* Virtuti soli debetur honos: tunc vel maximè homini Dæmon insidiatur, cùm aliquod virtutis opus molitur. Ieiunandi religio à priscis summo studio obseruabatur, vt videre licet tam in veteri quā in nouo Testamēto, cùm in aduersitatibus, non aliter quàm ad sacram anchoram, ad ieiunium & orationem se conuertebant. Attendendæ autem ieiunandi causæ & intentio. In nobis enim

Ieiunium suadetur. Simile.

1. Corin. 4.

Deut. 9. 1. Paral. 20. Actor. 13. Actor. 14.

rumque contingit quod in Pharisæis, qui tãtùm opera Patrum adspiciebant, ac imitari gestiebant, non cõsiderata fide eorum ac intentione: sic & nos faciamus. Sunt qui ieiunant, sed tãtùm statutis diebus, aliis diebus genio luxuique indulgent, ac ventrem pro Deo colentes, quasi ad horam tãtùm nobis cum carne pugnandum sit, cùm tota vita pugnare debeamus. *Assiduè cum carne domestico hoste confligendum, ne crapula saginatus spiritus præualeat. Exterminant enim facies suas.* Sunt feminæ quæ variis artibus faciem reddere pulchriorem student, vt forma atque pulchritudine auram popularem, hoc est, inanẽ famam aucupentur. Sunt alij qui faciem deformant, vt sicarij, & hæretici. Vbique superbia damnatur. *Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum.* His verbis ad Palæstinorum morem alludit, qui his indiciis animi iucunditatẽ declarabãt, vt quàm lõgissimè arcẽdam esse hypocrisin ostendat. Quid iuuat te ab hypocrisis vitio immunem esse, si cæteris criminibus sis obnoxius, cùm vnumquodque eorum ad damnationem tuam sit satis? Sit ita planè: non damneris vt hypocrita, dãneris autem vt fornicator, vt auarus, vt superbus, vt mendax, vt omnium denique diuinarum legum cõtemptor: quid tum putas te apud inferos solatij habiturum, si minùs fueris hypocrisis vitio constrictus, cùm propter alia scelera sempiternã pœnam luas? Dictum nobis: *Sic luceat lux vestra, &c. Sit opus*, inquit D. Gregorius, *in publico, quatenus intentio maneat in occulto.* Viri iusti & carbones sunt ardentes, quia sibiipsis lucent: & lampades etiam, quia virtutum splendore aliis quoque prælucent. Nihil debet esse in toto homine quod diuinæ legis sanctitatem non spiret. Vide quid duæ illæ tabulæ, quæ vtrinque erant scriptæ digito Dei. Hæc ad eos pertinent qui Quadragesimale ieiunium, qua debent integritate seruare decreuerunt. Quid verò de illis dicendum, qui cùm præstare idem possent, nulla cogẽte necessitate, ieiunia soluunt, nec vlla corpus suum molestia afficere parant? Similes sanè Esau, qui propter vilem escam vẽdidit primogenita. Quid in cæteris faciet ad peccandum incitatus stimulis, qui tam leui occasione Dei odium incurrere non veretur? Ieiunia ad hoc potissimùm sunt instituta, vt petulantiam carnis, & procliuitatem ad peccandum inedia cohiberent. Sic diebus festis etiam abutimur ad vanitates nostras. Olim qui non ieiunarent hos dies, præsertim per Quadragesimam, aut deponebantur qui erant Sacerdotes, aut à communione arcebantur cæteri fideles. Hæretici in hoc tempore in contemptum Ecclesiæ carnibus sese ingurgitant: viderint illi. Summa est, vt hoc sacro

tem

Luc. 21. Roma. 13. Caro nostra domesticus hostis.

Damnationis causa quæ.

Matth. 5. Gregorius.

Simile ex Ezech. c. 1.

Ieiunij cõtemptores.

Genes. 25.

Hæreticorum ingenium.

temppre pœnitentiæ lacrymis,ieiuniis & orationibus vela pan-
damus;& qui hactenus carni,ſeculo,& cupiditatibus militaui-
mus , nūc demùm Imperatori noſtro Chriſto militare incipia-
mus,relaturi ab eo mercedem dignam.Reponamus illic labo-
rum noſtrorum theſaurum , vbi merces eſt noſtra collocata.
Si enim theſauros noſtros,hoc eſt,opes noſtras,& bona omnia
noſtra non in terra,ſed in cœlo collocamus,conſequens eſt,vt
ibidem omnis amor, omnis cura & cogitatio noſtra poſita ſit.
Quo planè fiet , vt mentem à terrenis rebus abductam, ad cæ-
leſtia transferentes , ipſi quoque cæleſtes homines efficiamur.

TRACTATIO THEMATIS.

INVITAMVR ad pœnitentiam ; verùm prudentia carnis
& veteris vitæ conſuetudo reuocant:contrarias igitur rationes
huc adducemus.Prima cauſa,diuinæ miſerationis magnitudo
eſt ; *Quia*,inquit Propheta,*benignus eſt & miſericors ; patiens
& multæ miſericordiæ.* Verè illius magna miſericordia,[?]
quam nihil homini (ſi modò ad ſe redire velit) ad ſalutem
deeſſe poterit.Verè ſanè magna illa miſericordia eſt,quę cum
iure ſuo ſumere de reis poſſet vindictā,ipſe tamē qui læſus e[?]
pacem & amicitiam cum eo qui læſit,ſancire deſiderat:imò
hoc ipſum rogat:nec rogat modò,ſed etiam ſupplicia minatur
ſi oblatam vltrò pacem reiiciat. Tam pater nullus,tā pius n[?]
mo,ſicut Deus in nos. Huius rei gratia ipſe Ionas fugit,qu[?]
ſciret Dei inexhauſtam miſericordiam.Ob ſuam nimiā pie[?]
tem à Phariſæis malè audiit, quòd cum peccatoribus man[?]
caret & biberet. Hac allectus ille prodigus filius , reuertitur[?]
recipitur in gratiam.D. Ambroſius Nouatianorum miratur
ſaniam,qui pœnitentiam negarent;quos planè diuinæ boni-
tis naturam penitus ignoraſſe ait. Videndum ne nos Dei be-
gnitate abutamur, vt improbi faciunt, qui dum obſtinato a[?]
mo in peccatis perſeuerāt,à Dei miſericordia animos ſum[?]
Quos igitur diuinæ miſerationis magnitudo minùs fort[?]
mouet, moueat ſaltem humanæ vitæ breuitas, inanitas & f[?]
gilitas, quā Eccleſia cineris conſperſione, & mortis cōme[?]
rationē nobis hodie proponit ſpectandam. Vitæ námque b[?]
uitas & incerta mortis hora conſiderata , ad pœnitentiam
impellit:ne nos eius hora imparatos deprehēdat,fragilitas
tę ab amore mundi reuocat. Vita noſtra vmbræ,fumo,aran[?]
rum telis,floribus comparatur.Rectè ait ille:*Veruntamen v[?]
uerſa vanitas omnis homo viuens : veruntamen in imagine
tranſit homo,ſed & fruſtrà conturbatur.*Etiam arborum fo[?]
qu[?]

Prima ratio.
Ioel.2.
Tertullianus.
Ionæ 4.
Luc. 5. & 6.
Ambroſius in li. de pœnit.
Miſericordia Dei magna. Secunda ratio.
Vita noſtra fragilis.
Pſal.38.

quibus nihil instabilius, homo comparatur. Rectè etiam mors falce armata depingitur. *Breues dies hominis sunt*, &c. Curemus Domini sententiam: *Vigilate itaque, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Nihil autem aliud est vigilare, quàm opportunè pœnitentiam agere: quod hoc tempore exigitur. Super omnia verò hæc, maximè nos ad huius virtutis studium illa eiusdem Domini sententia impellere debet: *Nisi pœnitentiã egeritis, omnes simul peribitis.* Nemo enim nostrûm perire vult; nemo à spe vitæ cælestis excidere: nemo autem sine pœnitentia hanc vitam consequi potest. Impœnitenti nec ipsa virgo sanctissima salutem impetrare potest; imò nec ipsum Dominus, quamdiu ita permanserit, beare potest. Aut pœnitendum aut ardendum, illa manet sententia. Quòd si nulla alia damnatos nisi sola ignis pœna maneret; ánnon omnes huius vitæ cruciatus, quàm vnam illam pœnam subire satius esset? Væ illis, qui hæc lugenda in posterum, ridenda nunc deputant. Væ quibus hæc priùs experienda sunt, quàm credenda. Ideóque hæc omnia, quæ illic finiri non poterunt, hîc redimi possunt per emendationem prioris vitæ, per eleemosynas, per exercitia iustitiæ atque misericordiæ. Inter has vias pœnitentia velut regia via est, sine qua (vt antè diximus) nulli patet aditus ad salutem; à qua tamen homines aduersarius noster Diabolus mitis artibus auocare conatur. Vt enim cætera sileamus, illud in primis iactat, quòd quãuis necessaria sit pœnitentia, non tamen statim agenda sit; sed eam vel in posterum, vel ad horam etiam mortis differri posse. Monet Ecclesiasticus quasi à facie colubri fugiẽdum esse peccatum. Elisæus mittens puerum suum ad hospitæ filium à morte excitãdum, voluit eum celerrimè pergere. Sic peccatis animæ mortuæ succurrendum ocyssimè. Tota hominis vita agendæ pœnitentię destinata est, attamen hoc tempore aptissimè. Murus disruptus in pace, nõ in bello reficiẽdus. Arma etiam ante pugnam, non in pugna, præparanda. Sic igitur pœnitentia non ad extremam mortis horam reseruãda: sed opportunè, cùm rectè valemus, agenda est. Dominus contemnentibus se filiis Israël respondit: *Dereliquistis me, & coluistis deos alienos: idcirco non addam vt vltra vos liberem*, &c. Improborum autem hominũ Dij, quibus tota vita seruierunt, partim filij & vxores, partim opes atque honores, partim corporis voluptates, cæteráque terrena bona fuerunt, in quorum studio vitam omnem consumpserunt. Auxilium Dei minimè deest, sed aliter recentes, aliter inueteratos peccatores iuuat. Sicut enim eadẽ ignis scintilla aliter arida ligna, aliter viridia

Apoc. 14.
Iob. 14.
Matt. 25.
Tertia ratio.
Luc. 13.
Damnatorum pœna maxima.
Bona opera necessaria.
Ecclesi. 21.
4. Reg. 4.
Simile.
Iud. 10.
Dij alieni qui sint.
Simile.

& humentia vrit (illa enim faciliùs, ista verò longè difficiliùs absumit) ita planè auxilium illud aliter quidem recenter lapsos (vt Petrum negantem, & Dauidem adulterantem) aliter verò diuturna peccandi consuetudine obduratos mouere solet. Hęc omnia eò spectant, Auditores, vt omnibus iis antiqui hostis fraudibus detectis, opportunè pœnitentiæ propositum arripiamus. Iam est tempus acceptabile, modò potissimùm inuitamur ad pœnitentiam. Dominus ipse ad hoc ipsum vocat: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, &c.* Addamus & audiamus illam Prophetæ vocem: *Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas.* Qui enim modò multus est ad ignoscendum, posteà multus erit ad vlciscendum: quia vt multa eius misericordia, ita multa eius iustitia est. D. Augustinus in pœnitentiæ laudem ita ait: *Pœnitentia languores sanat, leprosos curat, mortuos suscitat, vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit & roborat, omnia sarcit, omnia redintegrat, omnia lætificat, temperat successus, moderatur excessus, constringit impetus. Ignorans se, per hanc se recognoscit: quærens se, per hanc se inuenit. Hæc est quæ homines ad Angelos ducit, & creaturam reddit creatori. Hæc errabundam ouem monstrauit quærenti: & drachmam perditam obtulit anxianti. Hæc dissipatorem filium ad parentem reduxit, & vulneratum latronibus, custodi curandum reseruauit.*

Pœnitentia agenda maturè.

Esa. 55.

Augustinus.

Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris. Pœnitentia est motus quidã quo à morte ad vitam, à peccato ad gratiam, à vanitate ad veritatem, ab amore mundi ad Dei amorem proficiscimur. Recedendum nobis à vanitate, vt ad veritatem perueniamus. Cinis quidem primùm arbor fuit viridis, nemorosa, & multis frondibus & fructu oculis grata atque iucunda. Quæ tamen vbi abscissa, siue reuulsa est, protinus pulcherrima illa specie ac decore marcescente exsiccatur, & in ignem coniecta, in cinerem vertitur. Qua ergo alia imagine vitæ nostræ conditio magis exprimi potuit? Hac autem diuinus Vates illam expressit, cùm ait: *Recordatus est quoniam puluis sumus: homo sicut fœnum, dies eius tanquam flos agri, sic efflorebit.* Sic enim homo qui specie & pulchritudine corporis, atque omnibus, siue naturæ, siue fortunæ opibus ornatus & instructus, pulcherrimæ arboris speciẽ referebat: vbi morte interceptus est, & tumulo conditus, quid aliud post exiguum temporis spatium nisi puluis & cinis est? Quid enim aliud modò sunt Principes gentium? quid inclyti Cæsares Romani

Pœnitentia quid.

Simile.

Psal. 102.

Homo cineri similis.

Homo puluis & cinis.

rum? quorum potentia iisdem quibus mundus finibus continebatur? Quid igitur omnia hæc? Si tumulos eorum effoderis, quid nisi puluerem ac cinerem deprehendes? Videtis ergo quàm conuenienter arboris & cineris natura, vitæ rerumque nostrarum imaginem repræsentet. Imò verò si rem ipsam diligenter inspicias, inuenies planè ipsam minùs adhuc stabilem atque constantem, minusque diuturnam esse. Vide quid nouo creato Pontifici Romano fit. Adsunt enim qui leuem stupam ante illum comburentes, dicunt: *Pater sancte, sic transit gloria mundi huius.* Itaque vt proposito exemplo apertiùs hoc ostendam, apparet sanè, ætatem nostram, instar Imperij Romani paulatim decreuisse, & in angustum valde spatium cõtractam esse. Octauiani enim Cæsaris temporibus ad extremos penè Oceani fines Imperium populi Romani pertingebat. Deinde extremis Phocæ Imperatoris temporibus magna portio huius amplitudinis (Persis Romani Imperij Prouincias occupantibus) detracta est. Processu verò temporis sic paulatim decreuit, vt latissimum illud Imperium, quod vniuersum ferè mundum ambiebat, vix angustis Germaniæ finibus contineatur. Ita hominis vitæ spatia contrahuntur. Iam miraculi instar est, si quis nostrorum hominum ad centum perueniat annos. Sicut qui pauper & seruus natus est, paupertatis & seruitutis damna minùs sentit, quia melioris vitæ cõditionem non agnouit: ita qui in hoc breuis æui curriculo nati sumus, hanc ætatis degendæ breuitatẽ minùs nouimus. Quo fit, vt angustia cordis & ignoratio nostra longam nobis faciat vitam, quæ ex se momenti instar est. Cur itaque præsentibus sumus addicti, vt futura nullo modo prospiciamus? Quid inter hominem & beluam interest, nisi quòd hæc præsentibus tantùm rebus capitur; homo verò ratione præditus, & præterita respicere, & longè posita atque futura præuidere debeat? Cur igitur in naturam propè degenerauimus pecudum, dum præsentia solùm spectamus, futura verò non attendimus? Sapiens nos mittit ad formicam. Si ergo tam vile & minutum animal præsentibus non contentum, futuræ prospicit ætati; cur tu, qui ducem qui principem, qui præceptorem Deum habes, qui mẽtem fideique lumen ab eo percepisti, in futurum non prospicis? O miser & amens! Verè enim confundetur, seque ipsum extremæ dementiæ perpetuò accusabit, cùm à cælesti & sempiterna hæreditate, propter exiguam voluptatis & vitæ huius vsuram fuerit irreuocabili sententia abdicatus. Tunc illi eueniet, quod idem Salomon rursus ait: *Propter frigus arare piger noluit: mendicabit ergo æstate, &*

Simile. *Romanum Imperium contractũ.*

Simile.

Præsentibus cur tãtopere delectemur.

Prouer. 6.

Prou. 20.

Mendicare quando miserum. Matt. 25. *non dabitur ei.* Quàm multi erunt eo tempore, quos inanis & puerilis metus à ieiuniis & pœnitentiæ labore, & confessionis pudore auocauit; qui tamen mēdicabunt in æstate, id est, reddendæ rationis tempore (quemadmodum fatuæ illæ virgines sponso adueniente fecerunt) & non dabitur eis: quia nihil tunc eis sera diligentia proderit, quando non iam semina iaciendi, sed messem colligēdi tempus aderit. Videtis, Auditores, quàm efficaciter nos cōsiderata vitæ nostræ breuitas ad mundi contemptum & salutare pœnitentiæ remedium vocet? Quamobrem meritò Ecclesia ad hoc nos studium inuitare volens, hæc toties hodie verba repetit: *Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris.* Poteram hoc tempore multis modis ad pœnitentiæ studium inuitare: poteram vobis ob oculos ponere asperrimam multorum Sanctorum pœnitentiam, Martyrum exempla, Monachorum ieiunia, damnatorum supplicia, beatorum gaudia, extremi iudicij honorem, Christi sanguinē: omissis omnibus, perpendite vitæ breuitatem, quæ pulueri & cineri comparatur, vt vobis per pœnitentiæ remedium consulatis: hæc erit vnica salutis tabula, qua ad portum salutis appellere valeatis. Cur Dauid in tantum prolapsus scelus, vt fœdissimo adulterio homicidium copularet, nisi quòd otio indulgebat? Demus nos, Auditores, operam, vt hoc tempore peccata nostra ieiuniorum studio redimentes, & fructus dignos pœnitētia facientes, æternæ tandē vitæ præmium verè cōsequamur. Amen.

Exempla pœnitentiæ.

2. Reg. 11. Dauid otiosus.

FERIA SEXTA POST CINERES

CONCIO, DIGNA SANE LECTV, QVA tum Euangelium explanat, tum de aliis rebus tractat necessariis & salutaribus.

THEMA. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Matth. 6.

PRAESENS Sancti Euangelij lectio pars quædam est celeberrimi sermonis, quem in monte Dominus ad discipulos habuit: qui totam penè Euangelicæ doctrinæ summam miro ordine atque ratione explicatam continet. Deus enim qui multifariè, multisque modis locutus olim fuerat Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, qui voluntatis suæ arcana lon-

Hebr. 2.

longè apertiùs nobis & copiosiùs patefaceret. Ex aliis verò sermonis huius documentis, hodierna Sancti Euangelij lectio illud continet, quod est de dilectione inimicis exhibenda, deque inani gloria in bonis operibus vitāda. Vt autem Euangelicam lectionem piè & vtiliter tractare possimus, cæleste opem sacratissimæ Virginis interuentu suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Audistis, inquit Dominus, *quia dictum est antiquis*, &c. Quid hîc priùs dicam, quid priùs mirer? An doctrinæ nouitatem, an doctoris sanctitatem? Vtrumque certè mirabile est. Nec enim ab illo inexhausto bonitatis & misericordiæ fonte doctrina alia manare poterat: neque hæc rursus doctrina benignitatis & charitatis plena, ab alio erat tradenda doctore. Huius doctoris lectiones Ecclesia, quæ tota est in vtilitatem nostram intenta, hoc potissimùm tempore tractandas proponit, quæ nobis ad pœnitentiam adiumenta præbeant & omnia impedimenta, hoc est, peccata, remoueant. Inter omnia verò huiusmodi peccata, ea quæ diuturna sunt, maius præstant impedimentum: inter quæ capitalia odia atque dissidia numerantur: quæ diu multorum animis infixa hærent, & à quibus pauci admodùm immunes sunt. Sicut enim vix vllum mare adeò tranquillum est, quod non frequenter aduersis flatibus infestetur: ita vix vllum pectus adeò pacatum est, quod non aliqua vel iræ vel odij perturbatione exagitetur. Quis enim sic vitam instituit, quis vtilitates & res suas ea æquitate & moderatione tractauit, vt neminem aliqua ratione aut verbo aut facto læserit, vel læsus ipse fuerit? Hinc igitur causæ irarum, hinc odia, hinc priuata publicáque dissidia (vt nihil addā amplius) concitantur. Ad huius autem morbi curationem vix vlla commodior medicina excogitari potest, quàm quæ nobis in lectione Sancti Euangelij hodierna die proponitur. Quare adestote, Auditores, quicunque hoc medicamento egetis, cælestique nunc medico vulnera vestra curanda detegite: is enim non herbis aut pharmacis, sed salutarib⁹ doctrinæ suæ monitis opem vobis & incolumitatem affert. Iā agnoscat quilibet morbū suum, expendat vitę rationem; non dubium agnoscet odium se habuisse in fratrē. Nunc quid pro charitate & lenitate cælestis dicat magister cōtra fraterorum odium, audiamus. *Audistis quia dictū est antiquis: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicū tuum.* Doctrina hæc est perniciosa, & non dubium quin ex schola Pharisæorum prodierit. In lege habemus: *Non quæres vltionem, neque memor*

Matth. 5.

Ecclesia quid proponat.

Odium peccatum lethale.

Simile.

Dissidia vnde sint.

Leuit. 12.

Exod.23. *eris iniuriæ ciuium tuorum.* Alibi: *Si occurreris*, inquit, *boui inimici tui*, &c. Videmus quòd hic *stylus mendax*, *mendacium* Hier. 8. *sit operatus*, vt Hieremias ait. Sic & alibi diuinos sensus scripturarum ad cupiditatem & auaritiã detorserunt. Orãdus Deus, vt incorruptæ volũtatis sinceritatem nobis tribuat: quo intellectus noster sinceram semper & sanam doctrinam retineat. Corrupta enim & prauè affecta voluntas, magna vi mentem ad ea dogmata pertrahit, quæ ipsius voluntatis cupiditatibus obsequuntur. Vnde enim tot hæresum prodigiosa monstra nostro seculo manarunt? Hæreticorum referunt ingenium illi pseudoprophetæ, de quibus Ezechiel queritur, quòd peccantibus puluillos subiiciunt sub omni cubito manus: ea tradunt dogmata, quibus flagitiosi homines innixi, in sceleribus suis, suppositis carnalium doctrinarum puluillis, sine vllo pungentis conscientiæ sensu blandiùs & molliùs requiescerent. Quo minùs mirandum est, si Pharisæi, huius diuini præcepti occasione, *Diliges amicum tuum*, illud etiam intulerint, *Odio habebis inimicum tuum*: ex altero videlicet contrariorum alterius naturam perperam colligentes. Sed quid Dominus contrà ait? *Ego autẽ dico vobis, Diligite inimicos vestros: benefacite*, &c. Ego inquit Christus, *dico vobis*. Hæc verba Christi magnã habent emphasim. *Ego sum qui præcipio vobis*, inquit ille Absalon.

Scriptura corrupta.

Hæreses vnde.

Ezech. 13.

Inimicus odiendus.

2. Reg. 13.

Simile.

Vult igitur Dominus, vt vir pius frugiferæ arboris naturam imitetur: cuius hoc proprium est, vt quæcunque eius radicibus apponuntur (siue aquam, siue terram, siue quæcunque alia purgamenta) in flores conuertat amœnissimos: ita vir iustus, quæcunque in illum contuleris, siue laudes, siue cõtumelias, in bonum omnia transferat, & ex omnibus eandem bene faciendi & bene precandi ansam arripiat. Hoc præstiterunt Apostoli: *Maledicimur, & benedicimus; persecutionem patimur, & sustinemus.* Sicut enim ignis vehementer incensus, quæcunque in illum ieceris, siue ferrum siue ligna, siue etiam aquam, vertit in ignem: ita cùm charitatis igne iusti hominis pectus vehementer flagrat, omnia quæ aduersus illum siue improbè, siue rectè fiant, hunc ipsum charitatis ignem magis incẽdere & inflammare solent. Talis fuit & Ignatius discipulus S. Ioãnis, qui de hostibus suis ait: *Illi beneficiis nostris sæuiores fiunt, & ego nequitiis eorum magis erudior.* Videtis quid ardentissima faciat chatitas. De quadam pia Virgine legimus, de cuius familiaribus fuit dictum: vt si quis orationum eius suffrãgia velet impetrare, oporteret eum in illam iniurium & contumeliosum esse. Hunc charitatis ignem Christus Dominus à nobis exig-

Viri pij natura qualis.

1. Cor. 4.

Simile.

Ignatius.

Persecutionis vtilitas.

exigit: hunc ipse factis priùs ostendit, quàm verbis proderet. Præclarum enim docendi genus est, quando quod doctor ipse verbis præcipit, moribus & exemplo confirmat. Qua enim is lenitate hostium suorum calumnias & varia pertulit opprobria? Cùm Samaritæ illum excipere in vrbem noluissent, & discipuli iniuriam hanc cælesti igne plectendam esse iudicarent, ille contrà: *Nescitis*, inquit, *cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* Sic Malcho sanauit auriculam, sic pro crucifixoribus orauit. Hanc lenitatem Domini D. Bernardus, & multi pij viri demirantur. Hoc exemplum Diuus Stephanus imitatus est.

Actor. 1.

Luc. 9.

Ioan. 18.

Actor. 9.

Sed ais: Sit ita sanè: sed numquid non mihi fas erit, alia dilectione amicum, alia hostem, alia etiam meipsum diligere, vt pro varietate personarum dilectionis quoque ratio & mensura varietur? Respondetur: Christiana charitas appositissimè per illam Saluatoris tunicam adumbratur, quæ erat inconsutilis desuper contexta per totum. Sicut igitur hæc sacra vestis vniformis erat (nec enim aliud in ea textile, aliud adsutū erat) ita dilectio nostra non pro affectibus varia, sed eadem in omnes esse debet: quamuis non abnuam in hac ipsa dilectione, pro varietate tum meritorum, tum personarum, gradus quosdam esse debere. Pergit Dominus hoc salutare consilium hominibus persuadere, mercedis magnitudine proposita, dicēs: *Si enim diligitis eos qui vos diligūt, quā mercedē habetis?* Dilectio parentum atque fratrum, vt magis debita, ita maioris virtutis atque meriti est. Dominus tamen ostendit quoddam maius ac diuinius esse, inimicos diligere quàm amicos. Qui amicum diligit, potest diligere ob mutuam dilectionem & recompēsationem: qui autem inimicum diligit, & qui de te malè meretur, quid hîc te nisi sola charitas mouet? Quò autē charitas sincerior & purior, eò & meritum eius maius atque diuinius est, vbi cætera paria sunt. Hoc enim nomine Saluator ne diuites & potētes ad prandium aut cœnam, sed pauperes & debiles, qui beneficio beneficium pensare nequeunt, inuitemus admonet. Semper tamen habenda ratio. Quò autem beneficētia purior, eò etiam est merces ex hoc capite vberior. Quæ similitudinis ratio in ea dilectione, quæ inimicis exhibetur, manifestè locum habet. Ideoque perfecti officij hoc munus esse Dominus decernit, cùm hanc tandem doctrinā claudit dicens: *Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est.* Inter omnia bona ad quæ humana mēs adspirare potest, nullum maius esse constat, quàm filiorum Dei dignitatem adipisci, cœlestisque paren-

Dilectionis modus qualis.

Amor qualis esse debeat.

Luc. 14.

Matth. 5.

tis imaginem (qua primus homo conditionis suæ decoratus fuit) vita & moribus referre. Deus est perfectus veritate, æternitate, bonitate; sic & nos perfecti simus fide, spe, & charitate. Quid hîc obgannient, qui sibi hęc nō esse dicta asserunt? Nónne audis: *Vt sitis filij Patris?* Si filius non cupis esse, nihil ad te quod hîc dicitur. *Qui solē suum oriri facit super bonos & malos,* &c. Cū immensa diuinæ bonitatis largitas in hoc maximè cernatur, quòd non solùm amicos sibique obsequentes, sed impios etiā atque imperio suo aduersantes, à bonorum suorum participatione non excludat: quisquis hac eadem animi magnitudine præditus fuerit, ánnon hic perinde ac germanus & legitimus filius, sanctissimi Patris mores & imaginem refert? Ad hanc paternæ pietatis indulgentiam nos summus Pater inuitat, vt non solùm in amicos, sed in inimicos etiam & persecutores benignitatis officia conferamus. Quod quidem aquilarum exemplo discimus: quas D. Ambrosius ait pullorum suorum indolem ad solis radios ita explorare; vt quorum oculos ad lucem caligare viderint, tanquam nothos & se indignos fœtus extrudant à nido: quos verò inconuenientibus oculis solem suspicere conspexerint, tāquam ingenuos magna cura & sollicitudine nutriunt. Hoc ergo exemplo intelligere licebit, Auditores, qua dilectione cælestis ille parens eos homines prosequatur, qui hanc eius in omne genus hominum liberalitatem generoso pectore imitantur: dum charitatis suæ imaginem ad viuum expressam in illis contemplatur. Hac virtute plurimum enituit Dauid, & ob hanc vir secundùm Dei cor dictus est.

Perfectio quæ esse debet.

Simile. Ambrosius.

1. Reg. 26.

Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedē, &c. Simplicissimis verbis grauissimā rationem Dominus, si quis eam diligenter excutiat, complexus est. Quantum enim discrimini inter Ethnicum & Christianum hominem interesse putatis? Ille quidem nulla ad rectè viuendum Sacramenta: nisi liberum arbitrium diuina gratia destitutum, obscurámque naturalis rationis scintillam habet: at tu præter has naturæ vires, quàm multa gratuita dona & auxilia percepisti? Annon æquum est vt arbor iuxta perennes gratiarum aquas in Ecclesiæ paradiso consita, totque diuinis beneficiis irrigata, vberiores proferat fructus, quàm quæ in montibus Gelboe nata est, supra quā nec ros neque pluuia è cœlo, descendit? Vtere armis tibi datis. Deus diligit suos inimicos, dum solem suū & pluuiam eis impartitur. Nemo potest scire verùm amore an odio dignus sit: inter omnes amoris huius coniecturas, vix vlla firmior quàm charitas erga inimicos reperitur. Hac virtute primò delictorum veniam

Christiani & Ethnici discrimen.

Simile.

Augustinus

Eccles. 9.

veniam consequimur, dum aliorum delictis ignoscimus. Hac innumera rursus peccata vitamus, quæ à fœcunda odij & simultatis radice pullulant. Hac etiam innumeras curas à nobis excludimus, & placidam nobis atque iucundam vitam omni felle carentem efficimus. Ne autem putemus gratis esse malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum, ait Augustinus: *Omnis malus aut ideò viuit vt corrigatur: aut ideò viuit, vt per eum bonus exerceatur. Propositum optimi viri & ingentis animi est, tamdiu ferre ingratum, donec gratum feceris.* Nunc, Auditores, vos admoneo, vt qui sanabiles estis, vt qui aduersus mala inferentem furore concitamini, vt animos vestros ab his quæ illum irritant & exulcerant, ad ea quæ lenire furorem possunt, transferatis. Hoc enim est vasculum igni admotum, non qua parte vrit, sed qua friget, extrahendum. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, &c.*

Ignoscētiæ peccatorũ quid cōsequimur.

Augustinus.

Seneca.

Simile.

Roma. 12.

Iam ad posteriorem lectionis Euangelicæ partem veniamus, quæ rationem nobis & modum bene operādi tradit. Quia enim Ecclesia hoc tempore non solùm ad rescecanda vitia, sed etiam ad bonorum operum studium ac præcipuè eleemosynarum hortatur (quibus peccata maximè expiari Daniel testatur) ideò cælestis magister qua ratione huic benignitatis officio, cæterisque vacandum sit similibus, in secunda lectionis huius parte docet his verbis: *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus.* Paucis verbis Dominus insignem Christianę Philosophiæ partem, maximeque ad salutem necessariã complexus est, quam tamen paulò latiùs explicare constitui. Principiò igitur illud statuendum est, summum hostis antiqui studium esse, fideles ab omnium virtutum & bonorum operum exercitatione auocare. Sicut enim sues variorũ florum odore non capiuntur, sed olido cœno solùm delectantur: sic Diabolus suaue olentium virtutum fragrantia offenditur, soloque vitiorum fœtido cœno pascitur & oblectatur. Cæterùm si hoc assequi non possit, vt bona opera quæ molimur, vel intentionis deprauatione, vel superbia, aut inani gloria, aut quauis alia ratione corrumpat; his potissimùm rationibus, aliisque nō dissimilibus, opera nostra Dæmō vitiare conatur. Vt enim aliquid verè bonum sit, ita ex omni parte perfectum & absolutum esse debet, vt si qua illi circũstantia desit, boni nomen tueri non possit. Id D. Gregorius cōmodo exēplo Pharisæi & Ezechiæ regis confirmat: quorum vterque bona opera sua ante Deum commemorans, ille damnatus, hic probatus & exauditus est: quòd alia mente ille, alia iste bona sua commemorasset. Cùm igitur

Daniel. 4.

Matth. 6.

Simile.

Dæmon quid requirat.

Gregorius.

callidus serpens hoc intelligat; dat operam, vt alicuius debitæ circumstantiæ omissione bonum opus corrumpat; sicque parum cautos variis modis eludat.

Inter varios autem eius astus hic præcipuus est, boni operis intentionem auaritiæ aut ambitionis labe inficere & inquinare. Hac enim ratione draco iste magnus non quidem omnes, sed tertiã tamen partem stellarum traxisse dicitur in terrã. Qui sunt autem qui stellarum nomine censentur, & quónam modo isti deiiciuntur in terram? Audi D. Gregorium: *Stellas, inquit, in terram detrahere est, eos qui videntur studio vitæ cælestis inhærere, ex amore terreno iniquitate inuoluere. Quidam enim mirabiles exteriùs apparent, quorum opera à mundo corde non prodeunt.* Hoc autem Ecclesiasticus notat, cùm ait: *Væ duplici corde, & peccatori terram ingredienti duabus viis.* Qui sunt autem qui terram hoc modo ingrediuntur? Audite eundem Gregorium. *Illi, inquit, duplici corde sunt, & terram duabus viis ingrediuntur, qui bonum opus non bono fine exequuntur: quoniam & Dei est, quod opere gerunt; & mundi, quod per cogitationem quærunt.* Huius ergo periculi nos hodie cælestis magister admonet, cùm ait: *Attẽdite ne iustitiã vestrã faciatis, &c.* Hoc est, prouidete diligenter, ne bona opera, quæ ad Dei gloriam referenda sunt, aut auaritia, aut popularis auræ cupiditate inquinetis. In quo crimine Pharisæi erant, *qui,* teste Domino Saluatore, *omnia opera sua faciebant vt viderentur ab hominibus,* hoc est, vt sibi opes, & gloriam, & sanctitatis opinionem apud imperitam multitudinem virtutum suarum ostentatione aucuparentur. Quàm multi hodie his sunt similes! & hæc inter homines est admodùm frequens. Huiusmodi opera Diuus Augustinus notat his verbis: *Virtutes quas sibi mens habere videtur, per quas imperat corpori & vitiis, si ad quodlibet adipiscendum, nisi ad Deum retulerit, ipsa vitia potiùs sunt quàm virtutes.* Ait quidam sapiens: *Malus est putandus, qui sui causa est bonus.* Licet quidem ad mercedem respicere, ea tamen lege, vt non solam mercedem respicias, sed eam ipsam in Dei laudem & gloriam conferas. Vnde est illud Augustini: *Minus te Domine amat, qui totum aliquid amat, quod non propter te amat.* Audistis quot modis bona opera nostra callidus serpens vitiare conetur. Nunc huiusmodi operum mercedem excutiamus: *Amen dico vobis, receperũt mercedẽ suã.* Nulla ergo operibus his merces in altera vita à Deo exspectãda est iis, qui hanc mercedem ab hominibus expetierũt. Satis hoc ad cumulum pœnarũ erat, cælesti & æterna mercede priuari. Gregor

Apoc. 6. — *Gregorius.* — *Eccles. 2.* — *Hypocritæ qui sint.* — *Matt. 23.* — *Ambitionis spiritu multi ducuntur.* — *Augustinus.* — *Merces speranda.* — *Augustinus.* — *Gregorius.*

ait: *Qui pro virtute quam agit, humanos fauores desiderat, rem magni meriti vili precio venalē portat.* Sic Pharisæi inglorium sibi futurum existimabant, fabri filio (vt illi putabant) se in disciplinā tradere, & discipulis eius, qui ex infima fortuna erāt, se socios adiungere. Hac de causa Nicodemus clàm nocte venit ad Dominū: hāc videlicet ignominiā mundi veritus. Rursumque Ioānes multos ait Iudæorum credidisse; sed *propter Pharisæos*, inquit, *non confitebantur, ne de Synagoga eiicerentur.* Vidistis, Auditores, & morbum & periculum nostrum: nunc consequens est, vt remedium audiatis. Periculorum enim expositio timorem ingenerat: remediorum verò labentem animum in spem erigit atque confirmat. Principiò igitur illud ante omnia curādum est, vt in omni opere, quod molimur, in summū illud bonum, ad quod omnia referenda sunt, oculos coniiciamus. Quod præceptum non à Christiana solùm Philosophia, sed ab humana etiam accepimus. Sic enim Seneca ait: *Proponamus oportet finem summi boni ad quem nitamur, & quod factum nostrum dictumq; respiciat: veluti nauigantibus, ad aliquod sidus dirigendus est cursus.* Quod sit autem hoc summum bonū, non à Seneca (qui illud solo honesto, atq; virtute definiebat) sed à D. Augustino accipiēdum est, qui sic ait: *Si gratiam ideò tibi dedit Deus, quia dedit gratis, gratis ama: noli ad præmium diligere Deum: ipse sit præmium tuum. Nimis autem auarus est*, inquit Hieronymus, *cui hæc tanta merces, satis non est.* Cùm igitur bonum aliquod facere proponimus, prima cura sit, vt quod agimus, ad summi Dei gloriā conferamus: nec in terrā mentis oculum deflectamus. Hoc nobis persuasum esse debet, in humanis actionibus tātum habere momēti finem ad quem opus dirigimus, vt non aliud nomē aut speciē opus nostrū, quàm ipsius finis sortiatur. Quod ex illis Domini verbis apertè colligimus: *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus simplex fuerit, totū corpus tuū lucidū erit, &c.* Quibus verbis apertè indicat, totū boni operis corpus, ex intētionis oculo esse aut lucidum, aut obscurum. Verbi causâ: Si eleemosynam propter inanem gloriam contuleris, hoc opus nō eleemosynæ, sed inanis gloriæ est: si verò propter Dei gloriam & obedientiā idem feceris, hoc veræ & propriæ eleemosynæ & liberalitatis nomē retinet. Deus nō aridis muneribus, sed piis affectibus delectatur. Sponsa in Cantic. commendatur, quòd habuerit columbarum oculos, non vulpinos, hoc est, simplices & sinceros, non duplices aut fallaces. Dominus Deus det nobis eum animum & spiritum, vt possimus illi seruire & placere. Amen.

Ioan. 5. *Ioan. 3.* *Ioan. 12.* *Seneca.* *Augustinus.* *Hieronymus.* *Finis operis nostri Deus.* *Luc. 11.* *Cant. 1.*

DOMI

DOMINICA PRIMA IN QVADRAGESIMA, CONCIO, IN QVA lectio Euangelica explanatur; & hostis nostri quæ sint artes, quibus remediis & armis eis resistendum sit, tractatur breuiter.

THEMA. *Ductus est Iesus in desertum à Spiritu, vt tentaretur à Diabolo.* Matth. 4.

QVICQVID hoc sacratissimo tempore agit Ecclesia, siue cùm ieiunia instituit, siue cùm sacras nobis lectiones ex Euangelicis literis proponit: non dubium quin ea omnia ad salutem nostram moliatur. Credit autem pia mater, nos tanquam veros obedientiæ filios operam dedisse, vt sacri huius temporis religioni studia quoque nostra aptaremus. Credit insonuisse iam auribus nostris vocem illam, qua nos primo sacri huius temporis die compellauit, dicens: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu & planctu.* Credit nos hac cælesti voce monitos bellum indixisse vitiis, propositúmque vitæ melioris arripuisse. Cúmque hac ratione intelligat, acies Dæmonum contra nos veluti transfugas à regno suo, instrui atque parari; opportunè satis nos huius periculi admonet, disciplinámque huius militiæ cælestis edocet. Ad hoc autem proponit nobis hodie ducem nostrum velut in acie cum aduersario nostro dimicantem: vt in altero pugnandi artem, in altero superandi rationem addiscamus. Prodeunt igitur ad pugnam, ex altera quidem parte malitia; ex altera Dei sapientia: ex altera Princeps huius mundi, ex altera cælestis Imperator, suis quique armis instructi: ille prauitate, hic innocentia: ille mendacio, hic veritate: ille odio & contemptu Dei, hic pietate & reuerentia. Vt deinde pro temporis ac loci ratione agamus, oremus ad Deum.

Ecclesiæ studium erga nos quale.

Christus & Dæmon ad pugnã prodeunt.

AVE MARIA.

AIT igitur Euangelista: *Tunc ductus est Iesus in desertum à Spiritu,* &c. Hoc in loco illud primùm annotari solet: Dominum post sacrum Baptisma & cæleste Patris testimonium, à Dæmone tentatum fuisse: vt hinc discamus, omnẽ Dæmonis rabiem & furorem aduersus eos maximè sæuire, qui Dei filij non-

nantur & sunt. Eius est enim illa Holofernis vox: *Ego nunquam nocui viro, qui voluit seruire Nabuchodonosor Regi.* Itaque repugnantibus maximè aduersatur, obsequentes deserit. Cur enim impugnet non repugnantes? Pios igitur præcipuè insectatur, iis insidias tendit, horum præcipuè ruinis pascitur; qui arentia & inaquosa perditorum hominum corda dedignatur, & eas potissimùm sedes infestat, in quibus Deum habitare cognoscit. Esca enim eius nō vulgaris & vilis, sed electa est. Vnde tunc potissimùm B. Iob euertere tentauit, cùm illum à Domino commendari vidit. Quemadmodum enim Piratæ his potissimùm nauibus insidiantur, quas auro aut pretiosis mercibus onustas esse intelligunt: ita Dæmon his potissimùm laqueos tendit, quos spiritualibus diuitiis abundare cognoscit. Sic vas electionis Paulum vehementer impetebat: aduersus quem, *Angelum* (hoc est, scelerum incentorem) *destinauit, qui eum continenter vexaret*; ea enim eius superbia est, vt ne illum quidem desperaret posse superari, qui iam in Paradisum cōscendisset. Vix dum Christus Dominus natus erat, cùm Diaboli satelles & minister Herodes illum ad necē parricidali odio quærebat. Quod quidem spiritualiter quotidie in Ecclesia fit, cùm in fidelis alicuius pectore nascitur Christus. Illum enim Dæmon (tanquam alter Herodes) priusquam adolescat, extinguere, & à pio virtutis instituto auocare conatur. Cuius rei imaginem illa mulier (quæ est Ecclesia) in Apocalypsi refert, quæ erat paritura. Planta quæ recens adhuc & nouella est, leui impulsu è terra excutitur. Vtinam, Auditores, hoc nostro malo quotidie non experiremur! Illa sententia Ecclesiastæ esset nobis quotidie ante oculos habenda: *Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in timore.* Quæritur à quo Spiritu Dominus sit in desertum ductus? Gregorius dicit, non à spiritu nequitiæ, sed à Spiritu sancto in desertum adductum, vt singulare hoc certamē cum Diabolo iniret. Qua ex re magnam capere consolationem poterunt, qui variis à Diabolo tentationibus infestantur: cùm & Saluator ipse tentatus sit, & à Spiritu sancto in desertum ad hoc ipsum ductus. In tentatione homo virium suarum imbecillitatem agnoscit: quæ res illum in humilitate (quæ virtutum omnium radix & fundamentum est) potissimùm conseruat. Sic Paulus tentatus, probatus & clarus euasit tandem. Plerique homines maris ingenium imitantur, quod cùm adeò procellosum & infidum sit, tamē si ventis non imperatur, placidum atque mitissimum sese oculis exhibet: ita planè quidam, si non vrgeas, placidissimo ingenio esse videntur:

Iudith 12.

Dæmon quos infestet.

Simile.

1. Cor. 11.

Apoc. 12.

Simile.

Eccles. 2.

Gregorius

Tentatio vtilis.

Simile.

tur:si verò eos vel leuissima in re læseris feri prorsus, & intra-
ctabiles apparent. Ex quo facilè perspicitur, neminē nec aliis,
nec sibi etiam ipsi satis notum esse, nisi cùm violentior aliqui
tentationis æstus de sua virtute periculum fecerit. Dixit ill
rectè : *Proba me Domine & tenta me.* Mendicorum nonnull

Psal.25.
Simile.

qui hominibus vulnera ad eleemosynam impetrandam oste
dunt, sanari nolunt etiamsi possint, ne hac mendicandi ration
sublata, solitam stipem qua aluntur, amittāt: ita sancti viri no

Tentationes pij optant.

omninò tentationibus carere volunt; ne fructibus, quos ex ill
Domini beneficio percipiunt, hac ratione fraudētur. Quæ cū
ita sint, nihil mirum, si Dominus à Spiritu sancto ducitur i
desertum, vt tentetur à Diabolo. *Et cùm ieiunasset quadragi*
ta diebus & quadraginta noctibus, posteà esuriit. Ecce, Audit

Ieiunij origo & auctoritas.

res, origo atq; dignitas Quadragesimalis ieiunij, quæ non
lùm ab Ecclesiæ, sed à Christi auctoritate manauit. Vn
quemadmodū is Iordanis aquis tinctus, cōtactu suo aquas o
nes sanctificauit, eisq; vim regenerandi tribuit, ita ieiunio
ieiunium Quadragesimale sacrauit, & cælestem ei virtutē
que dignitatem contulit. Ecclesia ad ieiunium in omnibus
rè orationibus, quæ ieiunium sonant, prouocat: pudor est
transire, pudor est aliorum fidelium mores audire, & nihil
tum exemplo facere. Ecclesia nihil supra vires exigit, sed in
vires. Longus risus, perpeti fletu pensandus est. A maritud

Contraria contrariis curantur.

ac dolore curātur, quæ deliciis & voluptatibus commissa s
Esuriit Dominus, esuriit nimirum quod in cruce sitiuit. T
esuries qualis sitis. Nos esurienti Domino pro esca more t
tatoris lapides (hoc est, obdurata corda) porrigimus. Sed v
sic porrigeremus, vt is ea virtute sua in panem verteret, vt
ritò nos quoque illi dicere possemus: *Domine, dic vt la*
isti panes fiant: atque quod Dæmon callidè moliebatur, no

Ezech. 36.

& religiosè faceremus. Simile enim quiddā ipse per Prop
tam pollicitus est, cùm dixit: *Auferam à vobis cor lapideum*
dabo vobis cor carneum. Accedēs, inquit, *tentator.* Vide quo

Diabolus vocator tentator propriè.

mine Euangelista Dæmonem appellet. Tentatorem vocat
modo quo nos dicimus pictorem, scriptorem, aut aliud si
artificis nomen. Ex quo planè intelligere licet, quòd sicut
iusmodi artifices perpetuò instāt operibus suis (vtpore ex
rum vsu victitāt) ita hostis hic noster, ac tentādi artifex nō
fungitur officio, non aliud captat lucrum, non alteri cura
negotio intentus est, sed huic vni operi dies noctésq; per
incumbit. Et illi quidem artifices, sacris festísq; diebus o
sui laborem intermittunt: hic nullum tempus, nullámque

tandi occaſionem prætermittit, nec ipſis quidem ſacris diebus parcit: ſed tunc maximè ſacrorum dierum otio in noſtrã abutitur perniciem. Hic non dormit; hic Dominum Angelorum aggreſſus eſt: nobis minimè erit parciturus. Tentauit Dominum cùm eſuriſſet. Captauit opportunitatem famis: vt ex altera parte naturali fame incitante; ex altera, ipſo etiam ſtimulante, edendi irritaret appetitum. Qua quidem arte frequentiſſimè in animarum noſtrarum perniciem vtitur. Circuit enim atque luſtrat omnes animi noſtri affectus incredibili vigilantia: nõ aliter atque calidiſſimus hoſtis explorat arcis muros, vt ea potiſſimùm parte oppugnationẽ aggrediatur, qua ſenſerit infirmiora eſſe præſidia. Quem ergo in nobis affectum ad vitium aliquod procliuiorem viderit, hunc ille ſuggeſtione ſua exſuſcitat & inflammat. Sicut enim qui è ſilice per frequentem æris colliſionem ignem excutere volunt, diligenter attendunt, qua parte ſilex commodior ſit ad æris ictus percipiẽdos, vt faciliùs ſcintillam excutiant, qua fomenta ignem concipiant: ita callidus tentator, explorato hominis ingenio atque natura, affinem vitiis affectũ tentationis ſuæ ferro acriùs pulſat, vt ita tandem praui conſenſus excuſſa ſcintilla, peccati flammam omnia deuorantem incendat. Talis ille parricida Catilina, qui vnicuique abundè ſuppeditabat, ad quæ propenſum quemque intelligebat. Itaque aliis ſcorta, aliis equos, aliis canes ad venandũ præbebat, prout vniuſcuiuſque mores & ingenium ferebat. Hic noſter Satanas ita quorundã animos inuaſit, vt ſe nullo modo continere poſſe aſſeuerẽt. Auis cum laqueo capta, & eſca in eo reperta & oblectata, ibidem ſpontè manet, vincula non ſentit; at vbi iam ſatiata auolare nititur, tunc demùm ſtringentis laquei vim agnoſcit. Sic igitur cùm homines vitiorum voluptatibus ineſcati, in eiſdem ſponte ſua manere volunt, non vim quidem aliquam patiuntur, ſed voluptatem magis percipiunt. At cùm periculi huius magnitudine perſpecta, emergere inde atque auolare conantur, ibi primùm & carnis ſuæ tyrannidem & Diaboli potentiam agnoſcunt. Quod cùm non faciunt, quid tentatio ſit prorſus ignorant. *Eſuriẽte Domino, accedens tẽtator, dixit ei, Si Filius Dei es, &c.* Ex hoc acceſſu colligit Caietanus, Dæmonẽ, qui ſub imagine ſerpentis primùm fœminã decepit, modò ſub imagine hominis, ac fortaſſe religioſi viri, ad tentãdum Dominum acceſſiſſe. Acceſſus quippe, loquutio hominis propria eſt. Hac autem prima tentatione, vel ad diffidentiam de diuina prouidentia, vel ad inanem gloriam pellicere Dominum voluit: vt is videlicet magnum de ſe aliquid conciperet,

Dæmõ nõ quieſcit.

Simile.

Saluſtius. Catilinæ ingenium callidum.

Simile.

Tentatio quid ſit. Caietanus.

Tentatio Christi prima difficilis.

peret, qui tantus esset, vt ab eo hoc tam insigne miraculum pe-
teretur. Est difficile intellectu, quid in hac prima tentatione
tortuosus ille coluber intenderit. Quidam dicunt eum voluisse
explorare veritatem illius cælestis oraculi, quod in Baptismo
sonuerat. *Hic est Filius meus dilectus*, &c. Alij referũt ad inanem
gloriam, alij ad vitium gulæ, alij ad diffidentiam illum impel-
lere voluisse asserunt. Quid autẽ horum intenderit, difficile a[d]
intelligendum est. Dominus appositè respondet: *Non in solo pa-
ne viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Ho[c]
est, ne putes diuinam potentiã ita esse constrictam & quasi alli-
gatam, vt sine panis ministerio vitam hominum sustẽtare ne-
queat: sunt enim multa alia, quibus ipse mortalium vitã tue[ri]
possit. Olim citra panis cõmeatum (quod humano iudicio im-
possibile videbatur) populum suum Dominus tot annos in de-
serto pauit. Christus suo exemplo monstrat arma, quibus ho-
sti resistamus, orationem, fugam seculi, abstinentiam. *Non*
solo pane viuit homo. Terrenis cibis terrenũ alitur corpus; a[ni-]
ma verò rationalis diuino verbo ad bonam Spiritus virtut[em]
roboratur. Infideles maximè mortui sunt. Dominus, inquam,
hunc tentatorem potuit vno nutu abigere & compescere; [sed]
scripturarũ gladio aggredi & superare placuit. Nos paululũ l[æsi]
ad furorem statim prouocamur. Cùm igitur aduersarius h[ic]
scripturæ testimonio repressus fuisset, ad alia callidus mach[i-]
namenta conuertitur. Nec enim semel tentasse contentus, [sed]
atque alia aggreditur via. Cùm enim ex pertinaci & assidu[o]
tentandi vsu tentator appelletur: vix vnquam hoc intermi[ttit]
officium, nullásque homini præbet inducias, sed infatigab[ilis]
in hoc opere persistit. Superbia enim illi præbet audaci[am],
odium verò in nos eius acuit sæuitiam; tot autem anno[rum]
experientia fiduciam illi vincendi præstat. Mille modis ar[tifex]
vocatur. Quare nemo post victoriam securum se esse iam c[re-]
dat. Hac igitur via repulsus Dæmõ, alia aggreditur. Adsum[it]
quippe illo; & supra pinnaculũ templi posito, ait: *Si Filius [Dei]*
es, mitte te deorsum. Scriptũ est enim, &c. En secundus cõgre[ssus]
ducis nostri. Non tibi indignũ videatur Christum sic à Dia[bo-]
lo hinc inde ductum; sed memento quòd serui formã ass[um-]
pserit, & per omnia fratribus adsimilari voluit: omnia e[nim]
propter nos. Quid enim mirum, si à Diabolo ductus fuit, q[ui à]
membris ipsius crucifigi voluit? Quemadmodum enim a[ucu-]
pes variis escis vtuntur, pro varia auium natura quas illaq[uea-]
re cupiunt: ita callidus hostis diuersis malorum irritame[ntis]
ad illaqueãdas animas pro variis hominum ingeniis vti[tur].

Hosti quomodo resistendum.

Ephes.6.

Diabolus mille modis artifex

Philip.1.
Hebr.2.

Simile.

Adducit falsò scripturam, quod omnes Hæretici ab hoc artifice didicerunt. Cùm ergo hac via tētator Dominum aggressus esset, ille contrà respondit: *Scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum.* Dominum autem tētare, est nouo miraculo velle perficere, quod aliis rationibus fieri potest. Quum ergo via pateat, qua ex hoc loco descendere possim; quorsum attinet vt me deorsum præcipitem? Potuisset quidem fractus ac victus hac responsione Dæmon ab officio impugnandi cessare, cùm in tam strenuum & insuperabilem pugilem incidisset: sed libido & auiditas nocendi faciebat, vt nihil intētatum relinqueret.

Hæretici imitantur Diabolū.

Adsumit itaque Dominum in montem excelsum valde, &c. O vocem execrabilem! ô vocem ea mente dignam, quæ olim Dei sedem & gloriā affectauit! A qua insania (quam semel imbibit) nunquam destitit, quando hodie quoque adorationis cultum vni Deo debitum sibi tribui optat. *Quemcunque superbum videris,* ait Augustinus, *filium Diaboli esse non dubites.* Omnis superbus præesse vult; at Christi Spiritus mansuetus & humilis. Diabolus institit semel atque iterum in Christum: ita sanè & nunc nocendi auidissimus in nos. Quæ causa mihi esse videtur, vt totus ferè mundus, hoc maximè tempore, in maligno positus sit: in quo tot hæresum monstra atque portenta, totque ambitionis, auaritiæ, luxuriæ pestes vbique inundarunt. Neque verò me spes vlla cōsolatur, quin potiùs omnia in peius ruitura vehementer timeo: quandoquidem licentia licentiam parit, & corruptio corruptelam inducit, nec vllus iam deliciarū aut modus, aut finis est. Vitet initia malorum, quisquis à maioribus liber esse velit. Videmus impudentissimum Dęmonis mendacium, qui omnia mundi regna promisit, cùm nec porcorum gregem inuadere potuerit, nec formicā quidem sine Dei permissū habeat in sua potestate. Ideò dicitur mendax esse, atque mendacij pater. Dominus, qui artes eius adeò probè tenebat, acerbissimo illum verbo retudit, *Vade,* inquit, *Satana. Scriptum est enim: Dominum Deum,* &c. Sicut cætera omnia tentationis iacula clypeo sanctarum Scripturarū exceperat: ita hoc quoque postremum simili ratione refutaui. Nititur ille mendaciis; vtamur nos veritate. Veritas in libris sacris, quos meditari diligēter debemus, latet. Fugite sordidos hęreticorum libros, eósque flammis consecrate. *Reliquit eum Diabolus, & ecce Angeli,* &c. Quid hoc est? Nempe hoc Angelorum ministerio Dominus, quæ præmia victoribus reposita sint, indicare voluit. Horū autem illud vnum est, quòd superata tentatione, Diabolo animus detrahitur, & victoribus additur: minus enim iam timēt, quàm

Augustinus.

Superbus Diaboli filius.

Initia vitanda.

Libri hæreticorum cōburendi.

antè ſubegerunt. Alterum verò eſt, de hoſte ſubacto gratiarum actio atque lætitia. Qualis eſt lætitia, tam ingens periculum euaſiſſe? Quale tripudium apud Iſraëlitas Pharaone demerſo

CONCIO ALIA BREVIS, SIVE ALTERA PARS.

Si nobis ea eſſet felicitas, vt in quo diſcrimine ſalus noſtr verſaretur, intelligeremus; eſſet omnis admonitio noſtra ſ peruacanea. Erit igitur noſtrum & huius periculi magnitudi nem detegere, & remedium, quod nobis ſpiritus ſancti mag ſterio collatum eſt, explicare. Apoſtolus Paulus indicat per culum in iis verbis: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carn & ſanguinem*, &c. Hîc quatuor commemorãtur. Primum h ſtium fortitudo. Secundum poteſtas & imperium quo viger Tertium eſt calliditas & aſtutia magna. Quartum locus vnde aduerſus nos pugnant. Omnibus igitur modis ſuperio nobis exiſtunt, & omnia illos ad victoriam adiuuant. Adiu enim naturalis fortitudo, quia Angeli: adiuuat imperium, q Principes & Poteſtates: adiuuat naturalis aſtutia, quia & ſpi tus, & in his certaminibus ab origine mundi verſati: adiu denique locus ipſe ſublimis, vnde maiori noſtro incommo & minori ſuo periculo lethalia aduerſum nos tela conto quent. Neque enim, vt Diuus Chryſoſtomus ait, vna nobis p gnæ ſpecies parata eſt: ſed bellum varium ac multiplex prop ſitum, variis aduerſariis inſtructum. Hi non iiſdem vtuntur mis, nec vno artificio nos adoriri meditantur. Eum opor qui cum illis omnibus prælio decertaturus ſit, omnium a notas habere. Iam, Auditores, quò magis vobis periculi h magnitudinem declaraui, hoc magis ad ſalutarem metum eſt remedium optimum) & vigilem veſtri cuſtodiam excita in qua ſummum noſtræ ſalutis præſidium conſtitutum Arma ne ad finem vitæ quidẽ deponere debemus. Proxim remedium eſt, carnis noſtræ caſtigatio, & aſſidua ad Deũ o tio. Illud Apoſtoli ad mentem reuocare debemus: *Depone omne pondus & circunſtans nos peccatum.* Quemadmod qui in regione frigidiſſima tempore hyemis, in domo ali ventis & frigori expoſita habitaret, ab igne ibidem acce vix diſcederet: ita nos à Dei noſtri præſentia (qui ignis con mens eſt) quatenus fieri poſſit, diſcedere non debemus. C hæc cæleſtis ſpiritus fortitudo ſemper ſit imploranda, vel maximè petenda eſt, cùm ab hoc hoſte praua aliqua c tatio

Epheſ. 6.

Adiutoria Diaboli.

Chryſoſtomus.

Remedia cõtra Dæmonem.

Hebr. 12. Simile.

ratione aut cupiditate pulsamur. Videmus quòd lepores, cæteráque infirma animantia à venatoribus agitata, ad latibula sua confugiunt: ita nos, vbicunque calamitas vel tentatio ingruerit, ad latibulum, id est, Dei præsidium confugiamus, & in eo condamur: ibi enim pios Dominus abscondit in abscondito faciei suæ. Christi vulnera sunt latibula nostra. Vt autem deuota oratio & diuinarum rerum meditatio; ita etiam sacra lectio, miro modo conducit. His igitur armis septi atque muniti, de communi generis humani hoste victoriam reportantes, sempiternæ gloriæ palmam ab huius militiæ Principe Christo Iesu percipiemus. Ipse námque est & certaminis nostri inspector, & certantium adiutor, & superantium coronator, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

Latibulũ nostrum quale.

FERIA QVARTA POST PRIMAM DOMINICAM IN QVADRAGESIMA, Concio, qua prior, inde qua & secunda pars Euangelicæ lectionis explanatur.

THEMA. *Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei.* Matth. 12.

INITIO sacræ huius lectionis illud primo loco quærendum esse videtur, cur Pharisæi tot inspectis signis, quæ passim Dominus edebat, non solùm in perfidia sua obstinatis animis perstiterint, sed etiam modò signum petant, quasi nullum signum vidissent. Tot enim inter illos Dominus fecit signa, vt idem ipse diceret: *Si signa non fecissem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, &c. Quin & ipse rudis populus hoc intelligebat, cùm diceret: *Christus cùm venerit, num plura signa faciet, quàm iste facit? Accedunt igitur Pharisæi ad Dominum; Magister, inquiunt, volumus à te signum videre.* Ante hanc lectionem legimus, quòd Domino fuerat oblatus homo quidam à Dæmone obsessus, idemque & cæcus, & surdus, & mutus. Dominus expulit Dæmonem; cæcus visum, surdus auditum, & mutus loquendi facultatem recepit. Hoc autem insigne miraculum, vt in multorum cõuentu editum fuit; ita multos habuit iudices, qui de eo variè pronunciarent. Nemo ita

Ioan. 15.

Ioan. 1.

Calumniæ vnde veniant.

mores suos ac vitam potest instituere, quin multos patiatur caninos maledicorum dētes. Sicut vestis vna variis corporibus non potest aptari: ita nec idem opus, quamlibet rectum sit, ab omnibus ex æquo probari potest. Ad Pharisæorum respondeamus curiositatem. Hi enim virtutis & integritatis testimonio carebant, imò multis vitiis liuoris, ambitionis & auaritiæ inquinati erant: sic nihil mirum si aduersam moribus suis Christi doctrinam non reciperent, & inter tot clarissima signa, nouum adhuc signum peterēt, quia internum illis signum rectæ vitæ, diuiniq; auxilij deerat: quo præsente, nullo alio signo ad fidei cōfirmationem opus erat; eo verò deficiente, nulla signa quamlibet maxima & illustria satis erāt. Cùm ergo infidelitatis causam in pectore suo moribúsque gestarent, quid ad hoc malum curandum remedia externa proficerent, cùm intus in visceribus malum serperet? Habebant illi perfidiæ suæ fomitem, id est, odium, ambitionem, ac inueteratam malitiam (quæ omnia Christi doctrina valde insectabatur) nihil illis externa signa ad fidem conferebant. Quibus tamen Dominus aptissimè, prout erant meriti, respōdet: *Generatio mala & adultera signum petit, & signum non dabitur ei*, &c. Hoc in loco quærendum est, cur Dominus tam acri obiurgatione in tota huius Euangelij lectione Iudæos feriat? Petebant signum: quod olim fecisse constat Abraham, Gedeonem, Ezechiam regem, & Zachariam Ioannis Baptistæ patrem. Quamuis hoc ita sit, nihilominus tamen meritò obiurgantur: quoniam duplici nomine hac in re peccabant. Primùm quòd cæteris Domini signis detrahebant, quasi vel signa non essent, vel quòd vilia & abiecta essent, cùm de cælo signum quasi sublimius aliquid postularent. Sic cùm Apostoli Spiritu sancto in die Pētecostes magno sonitu repleti essent, musto eos plenos esse clamabant. Pharisæi sui similes omnia calumniabantur. Erat eorum animus corruptus, qui causas inquirebant, quibus aliqua rationis specie perfidiam suam velare possent. Nemo enim ferè obfirmato animo in sceleribus perseuerat, qui non aliquo iustitiæ colore improbitati suæ patrocinium quærat. *Peccator homo*, inquit ille, *vitabit correptionem, & secundùm voluntatem suam inueniet comparationem*. Quot signa Pharao vidit? Qui tamen obfirmato animo aduersus Deum pugnare parabat. Eadē quoque miracula filij Israël non in Ægypto solùm, sed etiam in deserto viderunt, quibus tamen ductor Moyses dixit, nunquam eos mentem, nec oculos habuisse, quibus ea spectare prudenter possent. Quam quidem cæcitatem apertissimè testati sunt, cùm aureum

Simile.

Christi doctrina aberat Pharisæis.

Pharisæi reprehenduntur.

Actor.2.

Ecclesi.32.

Signis qui non mouentur.

Exod.32.

lum fabricarunt, illique liberationis suæ beneficium acceptum retulerunt. Vide qua cæcitate laborauit ille rex Ochozias, qui bis terue Principem quinquagenarium, & milites ad capiendum Eliam misit, & tamen non credidit, licèt igni illi essent consumpti. Nulla ergo externa signa (nisi interiùs Dei lumen affulgeat) ad veram de diuinis rebus fidem concipiendam sufficiunt: in quo tamen isti toto cœlo errabant, qui miraculis tribuebant, quod diuinæ gratiæ munus est. Ideóque iure à Domino audire meruerunt: *Generatio mala & adultera signum quærit*, &c. Cur vocat adulteram? Magno certè consilio. Adultera enim est femina, quæ deserto legitimo viri toro, alios sequitur amatores. Legitimus autem animæ nostræ vir Deus est, ipso eodem testante, qui ait: *Ergo saltem amodò voca me vir meus & dux virginitatis meæ*. Hoc legitimo viro suo deserto, generatio illa aliis, nempe seculo, ambitioni, libidini, & auaritiæ nupserat; ideóque tam durè à Domino arguitur. Petebat tamen temeraria hæc generatio signa, non alia nisi externa: hæc frequenter oculos tantùm mouent; at interna signa, quæ sunt Spiritus sancti opera, non oculos, sed mentem flectunt & illuminant. *Hæc autem sunt charitas, gaudium, pax, patientia, bonitas, benignitas*, cæterique Spiritus diuini fructus, qui carnis operibus aduersantur, mentemque miris modis afficiunt & illuminant. Cùm homo se à carnis operibus manumissum, & supernaturalibus iis donis atque deliciis affluẽtem sentit: multò magis huiusmodi signis, quàm miraculis omnibus in fide solidatur. Sentit diuinos amplexus, gaudet illa pace quæ exsuperat omnem sensum, fastidit quæ anteà deperibat, imperat affectibus, execratur peccatum cui anteà seruiebat, semper anhelat ad cælestia. Iudæi internum signum amiserant, cùm cælestis sponsi amore relicto, rebus aliis per amorem copulati essent, hoc in loco adulteræ generationis nomine traducuntur. Hoc enim spirituale adulterium effecit, vt conscientiæ suæ testimonio spoliari, externa à Domino signa peterent.

4. Reg. 1.

Adultera quæ sit.

Hierem. 3.

Signa duplicia.

Galat. 5.

Philip. 4.

Quibus tamen ipse respondit, se non daturum eis signum, nisi signum Ionæ Prophetæ. *Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus*, &c. Petebant signum de cælo, Dominus autem profert eis signum de terra, hoc est, mortis & sepulturæ suæ. Ex omnibus enim rebus gestis Domini Saluatoris, in illud solùm oculos cõiecerunt, quòd passus, quòd mortuus, quòd sepultus fuit, vnde illum solùm hominẽ crediderunt: atque ita in cruce eius scãdalum passi sunt. Sicut ergo sanctarum Scripturarum mensa, ita crux ipsa Dominica facta eis est in laqueum, & in retri-

1. Corin. 1.

butiones,& in scandalum:vnde ipsorum ruina,& vastatio consecuta est. Tale signum Iudæorum impietas merebatur, quæ ad signa Domini cæca,& obstinata,signum modò postulat è cælo,vt non iam miraculis,sed plagis erudita,agnoscat è cælo ferientem,quem in terris miracula edentem non agnouit. Nos felices,qui Christi sacram cum diuinitate humanitatem confitemur,& interno fidei lumine contenti, nullum ad fidem roborandam signum petimus. Verùm quando nutamus in fide, in religione, Iudæis non dissimiles sumus. Vacamus quidem ieiunij & misericordiæ operibus; verùm quando ad primũ tribulationis motũ concidimus,& animũ deponimus;signũ quærimus,nos derelictos à Deo querimur.Iam illi qui diuitiis affluunt,& aliquid aduersitatis patiuntur,signum quærunt è terra: cùm rebus aduersis premuntur,à Deo se derelictos esse arbitrantur: hi fidem non amittunt,sed tamen fiduciam languidam retinent,ac planè imbecillem.Pergit deinde Dominus,& à Niniuitis,quibus Ionas prædicauerat,argumenta sumit,quibus eorum perfidiam,qui noua signa petebant,coarguat. *Viri*, inquit,*Niniuitæ surgẽt in iudicio cũ generatione hac,& cõdẽnabunt eã,quia pœnitentiã*,&c. Hoc est,cõparatione fidei & pœnitentiæ Niniuitarũ,patefiet in extremo iudicio adulteræ generationis huius incredulitas. Illi enim ad vnius ignoti hominis vocem,nullis comprobatã miraculis,acerbissimã pœnitentiã egerunt: vos verò tot miraculis & testimoniis comprobatam contempsistis. Historiam Ionæ,cuius hîc Saluator facit mentionem,vide in illius Prophetia.Historia non debet leuiter prætergredi,cùm ea variis vitæ documentis & exẽplis referta sit.Vbi iactis sortibus,fugitiuum Prophetam sors prodidit,magno illi quidẽ metu & religione inobedientem Prophetã in mare proiecerunt.Illicò autem stetisse mare dicitur à furore suo.Quã apertè hoc in loco Dominicę passionis fructus & efficacia adũbratur? Quantus quæso erat ante hoc placationis sacrificium diuinæ indignationis furor? Hic tantus furor in vniuersum genus humanum, Iona nostro in mare misso stetit à feruore suo:quoniam innocẽtissimus ille agnus totum in se diuinæ indignationis impetum sustinuit. Ait Esaias: *Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrûm.* Ecce fideiussor noster pœnas omnes in se pertulit,quas nos commeruimus. Agamus igitur illi gratias, cum Propheta dicentes: *Confitebor tibi Domine,quoniam iratus es mihi*, &c. Nec modò gratias agamus,sed gratiam quoque Domini huius sacrificij merito nobis conciliare studeamus. Cùm iratum contra di-

Felices nos quare.

Impatientia nostra arguitur.

Cap. 11.

Ionas figura Christi.

Esa. 53.

Esa. 12.

diuinum numen intellexerimus, hunc Ionam mediatorem & aduocatũ nostrum, cælesti Patri offeramus, & per illum nobis propitiari postulemus. Hunc Pater minimè reiiciet. Postulemus autem, qua isti religione & metu petierunt, qui se totos diuinæ voluntati deuotissimè submiserunt, promptissimósque ad illi parendum exhibuerunt. Quod si hac religione & pietate fecerimus; non dubitamus quin mare conquiescat protinus à furore suo, & diuinæ indignationis furor in lenitatem & clementiam conuertatur.

Mirabile est, quòd cùm Dei Filius non vno die, sed tribus annis pœnitentiam & regnum cælorum prædicauerit, omnibus tamen his rebus adeò parum profecerit, quibuscum versatus fuit, vt illi aduersus eum furentes, tanquam facinorosum & maledicum hominem, multis vexatum suppliciis, in crucem tandem egerint. Hoc quis non miretur? Seruus leui opera multum effecit; Dominus tot verbis & miraculis parum profecit. Quid dicere aliud poterimus, nisi quod Propheta ait: *Iudicia Dei abyssus multa?* Gentiles (vt aliquid coniiciamus) magis ignoratione, quàm malitia: Iudæi verò magis malitia, quàm ignorantia deliquerũt. Ignoranti faciliùs veniam dari, declarat Apostolus, cùm ait: *se quidem blasphemum & persecutorem fuisse; sed veniam tamen consecutum, quòd ignorans deliquerit in incredulitate sua.* Vnde colligitur, aliter infideles, aliter fideles in extremo illo examine esse iudicãdos: cùm illi ex ignorantia, nos autem veritate percepta, ex malitia delinquamus. Quare, Auditores, cautiores nos quæso adulteræ generationis damnatio reddat: & qui de fide iam percepta gloriamur, omni studio contendamus, vt digna fidei opera Niniuitarum more faciamus. Nemo verò de nuda & informi fide sibi blandiatur. Sola enim ea fides iuuat, quę hanc Niniuitarum fidẽ imitatur. Sic enim legimus: *Et crediderunt viri Niniuitæ, & prædicauerunt ieiunium,* &c. Itaque fidei lumine eruditi, totos se lamentis dediderunt, asperrimæ pœnitentię propositum arripuerunt, & omnibus in rebus perceptæ semel veritati sese totos accommodarunt. Hæc est autem fides quam sacræ literæ commendant: quæ vincit mundum, quæ peccatores iustificat, quæ ad regnum cælorum viam parat, quæ Christo nos consociat. Hãc fidem imitari studeamus, quæ ad omne opus bonum exsuscitat; hæc est, quæ nos ad cælestem patriam, sine vlla erroris offensione, perducit. Amen.

Seruus plus effecit quàm Dominus.

Psal. 35.

1. Tim. 4.

Opera fide digna facienda.

Niniuitarum pœnitentia.

ALTERIVS PARTIS EVANGELICÆ LECTIONIS explanatio.

Quicunque fecerit voluntatẽ Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Matth. 12.

Si quis diligenter sacram Euangelij historiam euoluerit, inueniet planè Dominum vbique maledictis & conuiciis petitum, molli responsione maledicorum voces fregisse. Sciebat enim scriptum esse: *Responsio mollis frangit iram.* Vnde cùm à furente populo audisset: *Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & Dæmonium habes?* Ille contrà blandè leniterque respondit: *Ego Dæmonium non habeo.* Cumque illorum non tam verbis quàm lapidibus illum petere decreuissent, ille contrà: *Multa*, inquit, *bona opera ostendi vobis ex Patre meo*, &c. Cæterùm cùm blanda oratione illi adulari volebant, tunc fallacem illorum blandiloquẽtiam grauissima auctoritate retundebat: *Quid*, inquit, *me tentatis hypocritæ?* Hi quoque vbi eum magistrum compellant, acri eos responsione diuerberat: *Generatio mala*, &c. Cur igitur hoc ita faciebat? Nimirum quòd hac ratione declarare volebat, quãtò sit adulatoris, quàm conuiciatoris lingua nocentior: præsertim ea quæ hominem immodicis laudibus onerat: & quæ vitiis virtutum nomina imponit: quorum altero necessariam sui cognitionem homini eripit, altero eundem in turpi & flagitiosa vita confirmat. Conuiciator coronam tibi contumelia sua fabricat, dum patientiæ materiam ministrat: adulator subdolus laqueum tibi & muscipulam blandiloquentia sua tendit. Iudæi generatio mala & adultera vocantur. Hoc adulterij genus vtinã in mores quoque hodie nostros non inuasisset. Video tamẽ nos quoque ab Apostolo Iacobo adulteros nominari, *Adulteri*, inquit, *nescitis quoniam amicitia huius mundi inimica est Dei?* Si quis enim multorum fidelium mores diligenter examinet, intelliget planè, in nos quoque nomẽ hoc quadrare. Cõfitemur Christũ caremoniis externis, frequẽter tamen animus noster in auaritia, ambitione, fraterno odio, & impudico amore totus est. *Et*, inquit Vates Regius, *dilexerunt eum in ore suo, lingua autem mentiti sunt ei.* Extimescamus fratres in malis diu perdurare, & peccata peccatis addere, & pœnitentiæ remedium pro-

Prouer. 15.

Ioann. 8.

Ioan. 10.

Matt. 22.

Conuiciatoru & adulatoris discrimen.

Iacob. 4.

Psal. 77.

nastinare. Pœnitentiæ dilatio & peccatorum repetitio Christiano homini valde est formidanda. Confiteris, inquis, quotannis Quadragesimæ tempore, & sacram sumis Eucharistiam, & vetera detestaris flagitia, & prauæ item consuetudinis funem abrumpis, bene facis: veruntamen quem fructum hoc studium habuerit, sequens vita declarat. Si eadem crimina quæ euomuisti, resorbes, quid prodest? *Nemo mittens manum ad aratrum, & adspiciens retro, aptus est regno Dei.* Adducit exemplum vxoris Loth. *Melius erat illis, non cognoscere viam iustitiæ, &c.* Sed improborum hominum periculum relinquẽtes, ad piorum felicitatem, quæ in extrema lectionis huius Euangelicæ parte continetur, veniamus.

Pœnitentia dilatio periculosa.

Luc. 9.

2. Petr. 2.

Quicũque fecerit volũtatẽ Patris mei, qui in cælis est. Hęc pauca verba, tãtam habent vim ad animos nostros pietatis amore inflammandos, vt cætera omnia, quæ sanctis literis continentur, his comprehensa esse videantur. D. Chrysostomus stupet, dum considerat abiectissimum vermiculum eò dignitatis & celsitudinis esse venturum, si pietatem & iustitiam colat, vt verè de eo dici possit, quòd vnigeniti filij Dei & frater, & soror, & mater sit. Quibus nominibus quid coniunctius? Videmus quo Christus flagret desiderio, vt eò omnes curas dirigat, vt quisquis voluntatem Patris implesset, ille frater, ille soror, ille mater sibi esset. Hoc est enim quod ait: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Quasi dicat: Non alios fratres, nec aliam matrem agnosco, nisi eos, qui se totos Patris mei obsequio tradiderunt. Hoc item illud est, quod alio loco discipulis cibum offerentibus dixit: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Cibus enim meus est, vt faciam voluntatem Patris mei qui me misit, vt perficiam opus eius.* Vide quanta sit hominis in gratia Dei cõstituti, felicitas, quem Dei Filius his tam arctę consanguinitatis titulis sibi deuincit, vt illum matrem, fratrem & sororem appellet. Aestimemus hãc dignitatem pro meritis. Saluator alia creaturarum nomina assumit sibi, vtpote panis, mentem hominis reficiens, & vitam animæ defendens. Vocatur item propter mansuetudinẽ Agnus, ob fortitudinem Leo, ob vim illuminandi Sol, & Ignis, quòd rubiginem malorũ nostrorum absumat, & in æternitatis amorẽ algentia pectora incendat. Cũm igitur virum pium Dominus sese & fratris & sororis, & matris loco habiturum ait, significat hac necessitudine nihil arctius, nihil optabilius esse. Vide quanti nos faciamus principis mortalis gratiam. Sed est & aliud adhuc nomen sublimius atque diuinius, quo illos Dominus appellat: cùm eos

Matt. 12.

Chrysostomus.

Dignitas humana quæ.

Ioan. 4.

Nomina Christo conuenientia.

quidem filios,se verò eorum patrem facit.Ratio huius nomi-
nis perfectissimè post parentē carnis,in Deo reperitur. Si enim
pater is habendus est,qui filium sibi similem forma & spe-
gignit: cùm Deus in animis hominum piorum formæ suæ si-
militudinem (quæ iustitiæ sanctitate continetur) ingenerat:
quem alium excellentiùs possumus patrem appellare? Hic e
Princeps ac parens generis nostri.Hic nobis sator est, hic a-
tor,hic educator, vitæ custos hic,salutis vindex. Quòd si fi
Dei sumus,non humanis opibus firmati,sed diuinis exculti
mus. *Quos fecit filios, eosdem sibi hæredes constituit, & ad*
uinitatis patrimonium euocauit. Nunquam cælestis ille Pa
eos quos Spiritu suo genuit (quamdiu in debita fide perma-
rint) abdicabit. Aequitatis ratio postulat, vt seruis opera
egregiè functis iusta persoluatur merces: si leges præscribu
amicitiæ,vt omnia bona sint amicis cōmunia: si iure statutu
est,vt legitimi filij in paternorū bonorū possessione colloce-
tur; non obscurum est,iuris sempiterni rationem flagitare
summus ille omnium Dominus,qui bonorum amicus & P
ter est,vel seruis diligētibus,vel amicis fidelibus,vel filiis ch
rissimis,sempiternæ gloriæ fructum largiatur.Iure igitur c
Propheta clamare possumus: *Deus noster refugiū & virtus, a*
iutor in tribulationibus, &c. *Plures* (inquit Propheta Elisæ
inermis ab exercitu Syriæ obsessus) *nobiscum quàm cum i*
Nobis dicitur: *Iacta curam, siue cogitatum tuum in Domi*
& ipse te enutriet. Hac autem de causa toties literæ sanctæ
in vno Deo lætari atque gloriari hortantur. *Lætamini,* a
ille, *in Domino, & exultate iusti, & gloriamini om-*
nes recti corde. Ille est noster protector & pa-
rens beneuolentissimus. En, Auditores,
quàm magnificum præmium illis
propositum sit,qui iustitiam
& pietatem colunt.Faxit
autem Deus vt in bo-
nis perseueremus.
Amen.

Deus pater noster est.
Roman. 8.
Amicorū omnia cō-munia.
Psal. 45.
4. Reg. 6.
Psal. 54.
Psal. 31.

FERIA SEXTA POST PRIMAM DOMINICAM IN QVADRAGESIMA,

Concio, in qua lectio Euangelica explanatur: & quid nos facere oporteat, quo beneficij Christi participes efficiamur.

THEMA. *Qui primus descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate.* Ioan. 5.

INITIO sacræ huius lectionis non obscurè nobis sanctus Euãgelista insinuat, quid potissimùm ad sacras cõciones vtiliter audiendas necessarium sit. Erat Hierosolymis piscina: in hanc descendit statis temporibus Angelus. Hæc piscina, quæ est Ecclesia, nõ erat salutaris, nisi motus Angeli adfuisset, Ecclesia sola instrumenta salutis ægris mentibus confert: nemo tamen hoc satis esse ad salutem æstimet, nisi cælestis quoque virtus adsit, quæ diuinis eloquiis vim tribuat, qua mentes nostræ ad pietatem per illa moueantur. Sicut enim quo terra fruges producat, nõ satis est vt agricola semen iaciat, nisi cælorum etiam fluxus, & cælestis pluuia adsit, quæ terram irriget ac fœcundet: ita in hac spirituali animarum cultura non satis est vt diuini nos verbi semina in terram cordis vestri iaciamus, nisi superni virtus adsit, quæ mentem interiùs illuminet, excitet, & fœcundet. In quo quidem opere cùm vtrumque necessarium sit; longè tamen excellit, quod diuina gratia, quàm quod humana præstat industria. *Ego plantaui*, inquit Apostolus, *Apollo rigauit; Deus autem incrementum dedit. Lingua nostra calamus est scribæ velociter scribentis*, hoc est, instrumentum, quo Deus pro meritis Auditorum vti solet. In hac Euangelica lectione duo nobis insignia miracula referuntur: alterum vetus, alterum nouum, alterum quod diuina virtus olim sub lege, alterum quod operata est releuatæ tempore gratiæ. De vtroque igitur nobis in præsenti concione agendum erit, quoniam vtrumque magnis mysteriis refertum est. Oremus Deum.

Ecclesia continet salutem.

Simile.

1. Cor. 3.
Psal. 44.

Diuisio Euangelij.

AVE MARIA.

Est, inquit Euãgelista, *Hierosolymis probatica piscina, quæ*, &c. In hac ægrotorũ multitudine, quæ piscinæ circũfusa salutem

exspe

exspectabat (quam tamen non omnes simul, sed vnus tantùm assequebatur) humanæ vitæ labores, inanes conatus, & spes fallaces velut in speculo & imagine quadã intueri licet. Non dubium quin magna ibidem esset ægrotorum multitudo, quando & ex Hierosolyma vrbe, & ex finitimis cæterísque regionibus magna ægrotorum turba, spe recuperandæ salutis eò confluret. Hi autem omnes ibidem diu noctúque, aquæ motum exspectabant, tam longa patientia, vt quidam ibi paralyticus aliquis esset, qui octo & triginta annos hanc captandæ salutis opportunitatem præstolaretur. Ecce quantus ardor recuperandæ salutis. Vehemens aliquando imponit desiderium, at fallit. Hæc tam magna ægrotantium turba, alteram multò maiorem grauioribus morbis laborantem nobis repræsentat. Constat homo corpore & anima. Corpus habet vitam & mortem, morbos, sanitatem: ita & anima. Virtus est sanitas & bona valetudo animę, vitiũ est aduersa eius valetudo. Multi maximo vitio, id est cupiditatis laborant. Hi sunt qui ardentissimo studio peritura opes, honores, inanes voluptates ita insectantur, vt nullum propter ea adipiscenda laborem recusent. Inde contingit quod anima ex hoc spirituali morbo grauissimè laborat, fitque quicquid ardenter animus desiderat, etiam fidenter exspectat. Hoc ergo fallaci desiderio deceptus animus ea aggreditur, quæ per impotentiam peruenire non potest, atque ita vana sollicitudine & casso labore consumitur. Vt enim Salomon ait: *Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos, & idem ipse sequitur aues volantes.* Adeò enim auarus est mundus, adeóque tenax suarum tenax, vt quamuis omnibus omnia polliceatur, & omnes ad spem & amorem sui prouocet, vix tamen vni aut alteri tribuat quod concupiscit. Terrenarum rerum conditio est, non habitæ desiderentur; habitæ verò sæpe nauseam pariunt. Quod D. Augustinus expertum se fuisse testatur his verbis: *Ad quodcunque me conuerto, vilescit adeptum, quod accenderat desideratum. Aliud enim mihi res nondum habita pollicebatur, aliud verò habita & possessa monstrauit.* Summa hæc est. Qui diues est, penuriam formidat ignobilem. Qui pauper est, nihil timet, nihil potest perdere. *Qui volunt diuites fieri,* inquit Apostolus, &c. Oportet cupiditatibus nostris frænum iniicere; oportet nostra sorte esse contentos. Itaque vt quietus possit esse animus, non est iactãdus, nec multarum rerum fatigandus. Inter omnia cupiditatis nostræ medicamenta summum illud est, ad quod nos Propheta inuitat, cùm ad viuam spem in Deum vocat, & omnes curas & cogitationes nostras

Vanitas humana proponitur.

Anima quãdo morbo laboret.

Prou. 10.

Mundus iniquus.

Augustinus.

Pauperum cõditio felicior quã diuitum.

1. Tim. 6.

Tranquillitas mentis vbi.

in ipsum iactare præcipit. Hîc enim veram felicitatem & requiem inueniri testatur, cùm ait: *In pace in idipsum dormiam & requiescam. Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Ad hanc transgressionem nos induxerunt verba Euangelij, quòd *omnes expectabant, & vnus sanabatur.*

Psal. 4.

In hac ergo magna ęgrotantium turba, quæ iuxta piscinam adstabat, *Erat ibi homo triginta & octo annos habēs in infirmitate sua.* Mira profectò res, tāto tēpore nec salutē assecutum fuisse, nec tamen sperare desisse. Magnus enim salutis & vitæ amor, tam longę exspectationis & patientię huius causa exstitit. Quo exemplo, Auditores, multorum fidelium pusillanimitas & inconstantia iure reprehēditur, qui si, cùm aliquid à Deo postulāt, non citò exaudiuntur, vel si spirituali dulcedine cùm orant, minimè recreantur; animum illicò abiiciunt, séque à Deo derelictos arbitrantur. Videmus hîc & experimur nostram negligentiam. D. Augustinus admodùm diligens fuit, non tantùm maiora peccata eiiciendi, verùm etiam remanentes in anima sua veterum delictorum radices euellere conabatur, qui illas ante diuinę maiestatis oculos detegens, aiebat: *Tu scis Domine, hac de re ad te gemitum cordis mei, & flumen oculorum meorum.* Vult etiam Dominus paruas illas radices in nobis remanere, vt homo infirmitatis suæ secum argumenta circumferat, & in paruis, quæ superare nō potest, apertè discat, cuius ope & virtute maiora superauerit. *Qui,* inquit Apostolus, *existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit.* Ob hanc de se opinionem quidam à Deo deseruntur, vt sibi ipsis relicti, protinus labantur & ruant, & ruina sua eruditi, de se humiliter sentiant, quod Apostolorum Principi videmus contigisse. Vide quanta sit humilitatis virtus. Cùm ergo misericordiæ parens hunc paralyticum tam diuturno morbo conflictantem, inter alios vidisset, ait ad illum: *Vis sanus fieri.* Cui ille: *Domine,* inquit, *hominem non habeo, vt, cùm turba, &c.* Apparet ex his verbis paralyticum hunc in vultu ac verbis Domini miram quandam misericordiam & lenitatem (quæ in eo semper elucebat) intuitum fuisse: vnde facilem eius animum ad opitulandum paratū intelligere potuit. Itaque rectè atque modestè, & causam tantæ miseriæ, & remedij modum subindicauit: si fortè illi Dominus adesse, cúmque ad piscinam baiulare vellet. Itaque quod palàm erubuit petere, tacitè atque dissimulanter insinuauit. Libet cum paralytico paucis agere, & illa Domini ad Samaritanam verba imitari: *Si scires,* ô paralytice, *donum Dei, & quis est qui dicit tibi, vis sanus fieri, fortasse non dubitares,*

Inconstantia nostra arguitur.

Augustinus.

Galat. 6.

Homo sibi relictus.

Ioan. 4.

tares, an is te ad piscinam vsque humeris impositum portare vellet. Hic enim Dominus ferendis humani generis oneribus natus, hoc est, omnes omnium peccatorum pœnas & suppli- cia in humeris suis portat. *Dominus* siquidem *posuit in eo ini- quitates omnium nostrûm*: adeò, vt nullum siue leue, siue gran- de delictum ab origine mũdi commissum sit, quod ille hume- ris suis non portauerit, & pro quo non doluerit. Hic nos inte- omnia pietatis ac clementię suæ incommoda præcipuè porta- uit omnes, cùm ad crucis patibulum nostri gratia præcessit. Ill- enim *peccata nostra portauit in corpore suo super lignum*, *vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus.* Regia enim aquila est, quæ expandẽs alas suas, assumit filios suos, & in humeris suis porta- illos. Denique si dubitas an te ad turbidam istam piscinam, i- qua taurorum & hircorum sanguis effunditur, perferre veli- scias esse eam clementiæ eius magnitudinẽ, vt in ipso corp- re suo quinque tibi piscinas nõ aquæ, sed sanguinis nec sang- nis taurorum aut hircorũ, sed pretiosissimi sanguinis sui ap- rire paratus sit: in quibus non à corporis morbis, sed à lethife- animi vulneribus sanandus sis. Sed est & aliud quod nobis h- paralytici verba innuunt, cùm ait: *Hominem non habeo.* Du- enim hominem se habere negat, tamdiu dilatæ salutis & rem- dij causam indicat. Hic enim paralyticus salutis quidem s- desideriũ habebat: sed quoniã internis & externis viribus de- tutus erat, quia nec ipse per se, ad piscinã currere poterat, n- hominem habebat qui celeriter eum deferret, longissimo h- temporis spatio eodem morbo tenebatur. O quàm multi su- Auditores, in Ecclesia, qui ob similem hominis (hoc est, viri- animi) defectum, in sordido vitiorum lecto velut mortui- cumbunt: non quia piis desideriis careant, sed quia virili a- mo & fortitudine destituti sunt, qua, quod rectè deside- exequantur. *Sicut ostium*, inquit Salomon, *voluitur in card- suo, ita piger in lecto.* Rursus idem: *Dicit piger, leo est in vi- medio platearum occidendus sum. Vult & non vult piger.* Hu- modi effeminatos appellat, quoniam virili animo destituti, v- tutem tãquam rẽ horrendã & inaccessam refugiunt. Vide q- modo necesse est vt hominẽ habeas, vt scilicet sis virili an- præditus. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiũt ill-* Cùm ergo hanc tã diuturni mali causam paralyticus expo- set: ait illi Dominus: *Surge, tolle grabatum tuum, & amb-* Quẽ cùm ille sustulisset: qui eum sabbatho contra legis pra- ptum ferentem onus viderũt prohibebant, dicẽtes: *Sabbat- est, non licet tibi tollere grabatũ tuum.* Quibus ille respondit:

Esa. 33.

Christus quid nobis contulerit.

1. Pet. 1.

Deut. 32.

Inertia nostra reprehenditur.

Prou. 26.

Prou. 12

Prou. 15.

Prou. 18.

Homo quis habendus.

Matt. 14.

me sanum fecit, ille mihi dixit, tolle grabatum tuum, & ambula. Quod perinde est ac si diceret: Qui ea potestate præditus est, vt me à tam diuturno & immedicabili morbo, non herbis, aut medicamẽtis, sed vnius verbi imperio subitò liberaret, ille vtique potuit mihi præcipere, vt tollerẽ grabatum meũ, & ambularẽ. Huius ego auctoritatẽ, contra vestrã auctoritatem, huius sententiam, contra vestram omnium obiicio sententiã. Verè paralyticus hic non corpore solùm, sed mente quoque & animo sanatus fuit, qui adeò sapienter Philosophatur. Qua quidem Philosophia scutũ nobis impenetrabile aduersus omnia mundi tela, & humanæ prudentiæ argumenta præbuit. Quicquid enim illa aduersus Christi Philosophiam protulerit, hoc clypeo facilè retundemus. Si illa suadeat vt omni solicitudine congerendæ pecuniæ studio incumbamus, ne nos posteà egere & mendicare contingat, huic protinus respondeamus: *Qui me condidit ac redemit, ille mihi dixit: Nolite solliciti esse in crastinum, dicentes: Quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur?* &c. Sic de reliquis quæ solet caro suggerere, agite. Si suadeat ad hæresim succurrat tibi Ecclesiam esse audiendam; extra illam nullam esse, sicut nec extra Noë arcam, salutem. An non stultissimus & amentissimus sit, qui Dei magisterio, atque doctrina deserta, antiquo serpenti (cuius mendacio totum genus hominum pessundatum est) fidem habeat? Hoc est autem quod D. Petrus Apostolus monet, cùm *in fide resistendum Diabolo* docet: quod facimus cùm mẽdaciis illius, quibus nos decipere tẽtat, fidei veritatem & dogmata opponimus.

Paralyticus Philosophus.

Matth. 6.

Genes. 8.

1. Petr. 5. Diabolo resistendum.

Ad hæc paralytici verba illi respõderunt, *Quis est ille qui dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula?* Videte, quæso, quomodo calumnia verborũ consequentiam inuertat. Nobis erit orãdus Deus semper, ne aut odij, aut inuidiæ virus animum nostrum inficiat: his enim pestibus ita mentis oculi obscurantur, vt in splendida etiam vita nihil nisi næuum aliquem (si fortè adsit) cernere possint. Sic enim muscæ dorso iumenti alicuius inambulantes, vlceri, si quod fortè deprehenderint, insident, cætera quæ sana sunt deserentes: sic & Scarabæi pretiosa vnguenta fugiunt, & ea, quæ putida atque olida sunt, amplectuntur. Cæterùm vbi paralyticũ nostrum Dominus in templo inuenisset; non contentus prioris salutis beneficio, adiecit & aliud, nempe salutarem cautionem & admonitionem, dicens: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Quod perinde est, ac si diceret: Hactenus quidem vna te cura

Simile.

ra solicitum reddebat: quia verò ea Dei beneficio solutus es, altera nunc cura pro illa à te substituēda est, nempe quomodo partum salutis beneficium tuearis. Qua quidem cautione admonemur, Auditores, vt quicūque hoc sacro tempore spiritualem animæ salutem pœnitentiæ medicamento consecuti sumus, nouam curam & solicitudinem suscipiamus: quomodo videlicet perceptam semel gratiam & iustitiam retineamus. Nisi enim hac in re studium & diligentiam adhibuerimus, vehementer timendum est, ne fiant nouissima nostra deteriora prioribus. Ingratus námque animus, & percepti beneficij immor, deteriorem ingrati causam facit, dum cæteris criminibus vitium adiicit ingratitudinis. Ex his autem Domini verbis apertè colligimus, diuturnum illum paralytici morbū propter admissa crimina illi obuenisse. Cùm enim ait: *Iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat:* peccatis imputandū docet, & quod antè contigerat, & si quid aduersi posteà illi contigisset. Sæpe enim Dominus corpus verberibus cædit, vt dormientem animam excitet, vel debitam pœnam sceleribus inferat. Quod facilè ostendit Asa regis morbus, qui vehementissimo dolore pedum ægrotauit, quoniam Prophetam eius correctionem missi pedes ligno constrinxit. *Propter iniquitatem*, inquit Dauid, *corripuisti hominem. Cùm iudicamur, à Domino corripimur.* Fuit hic homo valetudinarius, paralyticus corpore effœto: poterat tamē corde & lingua peccata committere. *De corde*, inquit Saluator, *exeunt cogitationes malæ.* In corde radices iaciunt, superbia, ambitio, auaritia, & alia vita. Habeamus semper ante oculos illud Sapientis: *Omni custodia serua cor tuum.* Vt enim hortorum cultores omne studium suum in excolenda arborum radice ponūt, quam & aquis irriguis, & stercore, & molli terra fouent (hac enim diligenter culta, latis frondibus & fructibus arbor procera consurgit) sic vir pius cordis puritati summa cura inuigilare debet. Quod faciet, si quanta maxima celeritate poterit, sordidas ex eo malarum cogitationum muscas in primo statim limine abegerit, & piis ipsum cogitationibus impleuerit. Paralyticus triginta octo annorum spatio decubuerat; & tamen Dominus comminatur, si deterius quid committeret, aliquid deterius illi accessurum. An quid grauius illi contingere poterat? Quod autem grauius comminatur, intelligendum de igne gehennæ: quod quidem malum infinitis partibus grauius esse constat.

Iam quid nos facere oporteat, vt Christi beneficij participes esse possimus, Christus designat per Noe, qui per lignum

Vita bona tenenda.

Peccata quid mereantur.

3. *Reg.* 15.

Psal. 38.
1. *Corin.* 11.

Matt. 15.

Prouer. 4.
Simile.

Cogitationes malæ expellendæ.

Genes. 3.

uauit mundum, quem malitia hominum euerterat. De hoc enim vbi primùm natus est, parentes eius diuino Spiritu acti dixerunt: *Iste consolabitur nos ab operibus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Ipse enim Christus est, qui maledictionem vertit in benedictionem; qui per felicissimum crucis lignum seruauit, quos prior parens per prohibitionis lignum perdidit. Clamans Ioannes ait: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Torcular* enim *ipse solus calcauit*, quia solus ipse labores & dolores nostros portauit: solus ipse omnia peccata mūdi deleuit, gratiamque passione sua promeruit, qua à peccati morbo sanaremur. Piscina, Auditores, typum gerit diuinæ legis, quæ ad curanda hominum vitia, & sanandos mentis humanæ morbos à Deo lata fuit. Iuxta piscinam adstabat magna multitudo languentium, qui curari cupiebant: ita ad Christum ægroti confugiant, vt salutem animæ consequantur. Hic est ille pius Samaritanus, qui vulneribus suis vulnera nostra sanauit, quique nos supra iumentum suum (imò supra humeros suos tanquam pastor errantem ouem) imponens, in stabula æternæ felicitatis adducet, quod lex nullo modo facere potuisset.

Ioann. 1. *Esa. 63.* *Salus nostra vnde.* *Luc. 19.*

Iam quid sit quod nos huius beneficij faciat participes, excutiamus. Exspectabant omnes, sed vnus accepit sanitatem. Illi qui iam cogitant esse tempus acceptabile, qui vocem Domini interiùs monentis audiunt, parent, & vocanti cum Paulo respondent: *Domine quid me vis facere?* hi planè sunt qui salutis huius beneficium consequuntur. Hac igitur obedientiæ promptitudine participes Christi fiunt. *Ipse* nàmque, vt idem ait, *factus est omnibus obedientibus sibi, causa salutis æternæ.* Vide obedientibus, non stertentibus. Quoniam pauci admodùm sunt, qui simili ardore atque celeritate, ad cælestia dona festinent; ideò vnus tantùm ex tam numerosa ægrotorum multitudine sanabatur. *Arcta enim est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui ambulent per eam.* Ipse ille magni consilij Angelus venit in hunc mundum, vt mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum, vt nos ad cælum eleuaret. Euangelium Christi sufficientia nobis salutis remedia proponit: in quo tot Sacramentis, tot exemplis, tot diuinis beneficiis & stimulis homines ad pietatem iuuantur. His nàmque rebus miro modo & infirmitas nostra roboratur, & ignorantia eruditur, & charitas in Deum accenditur, & odium aduersus peccatum inflammatur. Verùm quid hæc omnia salutis adiumenta cessantibus, & nihil curantibus con-

2. Corin. 6. *Actor. 9.* *Hebr. 5.* *Matth. 7.* *Christus magnus Angelus.* *Tit. 2.*

Simile. ferunt? Quid refert si magnus aliquis ad te curandum medicus veniat, si tu præceptis eius parere recusas? Quæramus igitur Dominum, dum inueniri potest, inuocemus eum dum prope est: & facilem & clementem inueniemus medicum. Amen.

DOMINICA SECVNDA IN QVADRAGESIMA, CONCIO, IN QVA lectio Euangelica explanatur, nempe quæ est Matth. 17. de Transfiguratione Christi, quæ Sabbatho Quatuor temporum proponi solet. Inde secundo loco Euangelium de Cananitide muliere, quod in quibusdam Ecclesiis prædicari solet, explanatur. Tractatur in vtrisque Concionibus de rebus valde necessariis.

THEMA. *Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit eos in montem excelsum seorsum.* Matth. 17.

IN lectione sancti Euangelij transfigurationis Christi mysterium iucundissimè describit historia. Ante Euangelium hoc nobis confessio Petri de Christi diuinitate describitur. Inde quoque Dominus passionis ignominiam discipulis iam in fide confirmatis declarauit. Cumque Petrus carnali adhuc sensu præpeditus non assequeretur, & ab hac intentione Dominum reuocare conaretur, audiuit: *Vade post me Satana, scandalum mihi es.* (*Matt. 16.*) Ille non patiebatur scandalum, sed Petrus sua oratione eum à salutis nostræ opere reuocabat. Ex Christi verbis nos Domini flagrantissimam erga genus hominum charitatem animaduertimus. Repulit à se Christus ipsum Satanam iniqua suadentem, vbi ait: *Vade Satana,* &c. (*Matth. 4.*) Modò eodem fulmine verbi discipulum ferit, quem antè beatum pronunciauerat. Flagrantissima salutis nostræ & paternæ gloriæ sitis, in causa exstitit, vt consilium hoc adeò molestè ferret. Alia sunt consilia Dei à consiliis hominum. *Numquid*, ait Iob, *oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo & tu videbis?* (*Iob. 10.* *Studia secularium hominum qualia.*) Seculi enim homines bona omnia vtilitate metiuntur: verùm propter so-

Dei gloriam, varios labores & certamina pro pietate subire, id summę est dignitatis. Hoc Petrus tunc temporis ignorabat, qui in schola Christi paruos adhuc progressus fecerat. Colligimus, non protinus ab iis qui virtutem profitentur, omnem perfectionem exigendam. Affectus omnes non tam citò possunt deponi: quare qui derident inchoantes, illi iniquè agunt in eos. Humanum est labi. Contra tales momos, & aliorum insectatores, qui trabem in suis oculis non considerant. Sapiens ait: *Ne quæras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius: septies enim in die cadit iustus, & resurget; impij autem corruent in malum.* Itaque non est viri iusti non cadere, sed non corruere in malum, hoc est, in malo perdurare. Hinc in Psalmo ille *beatus* esse prædicatur, non qui aliquando non cecidit (quis enim de hoc gloriari poterit?) sed, *qui in via peccatorum non stetit.* Cadere enim atque labi hominum est: in via autem peccatorum stare, improborum. Vt autem Dominus Petrum & cęteros discipulos ab externorum bonorum dilectione auocaret, & ad supernorum studium accenderet, ait illis: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Via ad veram felicitatis gloriam est, vt toleremus labores & ignominias, & sic Christum sequamur. Hæc quidem via est difficilis & molesta carni; at eius præmium longè est excellentissimum. Moyses misit ad explorandam terram Cananæorum promissam à Deo, qui ex fructibus terræ eius insignis magnitudinis botrum, quem duo homines ligno impositum circumferebant, & similes alios fructus adduxerunt, vt eo indicio magnam eius fertilitatem agnoscerent; ita Dominus hanc cælestis gloriæ portionem, quæ de fulgentissimæ eius humanitatis aspectu processit, discipulis hodie proposuit: vt hoc argumento qualis esset illius immensæ & increatæ pulchritudinis aperta cōtemplatio, intelligerent: quando talis erat illius terrenæ, mortalisque substantiæ conspectus.

Errare humanum.
Prou. 24.
Psal. 1.
Beatus quis dicendus.
Luc. 9.
Christum sequi debemus.
Simile.
Num. 13.
Christi diuinitatis specimen.

Atque vt hanc promissionem impleret, post sex dies, *Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit eos in montē excelsum seorsum, & transf.* &c. Qua quidē specie formam eis futuræ resurrectionis & claritatis, in qua non corpus solùm, sed Sāctorum eius corpora glorificanda essent, hac imagine ante oculos proposita, ostendere voluit. Sciendum Christum Dominum comprehensorem pariter & viatorem secundùm duplicem animæ suæ portionem fuisse: ita enim & ad gloriam eius, & ad salutem nostram expediebat, vt videlicet sacra illa humanitas, quæ Verbo Dei vnita erat, Verbum ipsum

videret, cui vniebatur: &, quia ad salutem nostram operandam assumpta erat, dolores quoque pati posset, quibus nos redime- ret: atque ita in altero comprehensor & beatus; in altero viator & doloribus obnoxius erat. Quocirca diuina dispensatione & singulari miraculo factum est, vt summa illa animæ gloria in sacrum corpus minimè redundaret: quo & pati, & doloribus subiici posset, vt passionis & obedientiæ suæ merito mundum redimeret; quem inobedientia & voluptatis illecebra captiuum fecerat. In isto miraculo trãsfigurationis tota externi hominis species sic immutata est, vt facies eius splendesceret vt Sol, ve- stimenta verò fierent alba sicut nix. Splendor hic infirmos dis- cipulorum oculos nõ perstringebat, sed potiùs diuina quadam voluptate oblectabat. Qua in re summã eius bonitatem, cha- ritatemque spectare licet, qui cùm hac tãta gloria fulgere sem- per potuisset, ipse tamen sponte sua propter nos splendoris huius influxus, radiósque compressit, vt acerbissimos pro no- bis dolores perpeti, & pro peccatis nostris læsæ maiestati sa- tisfacere posset. Quis igitur, dum hæc considerat, non totus in huius tanti Saluatoris amorem exardescat? Nec sola tamen Christi gloria discipulorum oculos oblectauit, sed etiam Eli[as] atque Moysi: qui simul cum Domino visi sunt in maiesta[te], hoc est, mirabili gloria & claritate perfusi. Fuerũt hi inter om- nes veteris testamenti Patres maximè insignes: alter quidem legislator, alter verò acerrimus latæ legis æmulator, vt à leg[e] simul & Prophetis humanitas Christi acciperet testimonium. Quæ autem vis orationis consequi possit, qua lætitia duo il[li] clarissimi Prophetæ completi fuerint, vbi Dominum in ma[ie]- state videre meruerunt? Non dubium, quin horum gaudiũ ex- cellentius fuerit, quàm Simeonis. Qualia autem & quàm fe- stiua fuerint colloquia illa, quæ hîc in ista festiuitate hab[ita] sunt, quis enunciare poterit? *Loquebãtur*, inquit Lucas, *excess[um] Domini, quem cõpleturus erat in Hierusalem*: hoc est, loqueba[n]- tur de passione, de morte, de cruce, de opprobriis, quæ passu[rus] erat in Hierusalem. Sũmus ille arbiter mundi Deus, humanu[m] genus à Diaboli captiuitate liberaturus, hoc potissimùm à [re]- demptore pretium exegit, vt acerbissimã mortem, & igno[mi]- nia plenissimam, propter eius redemptionẽ illi offerret. Qu[od] quidem munus & sacrificium adeò illi gratũ fuit, vt illius m[e]- rito omnia omnium seculorum peccata cõdonaret, & cæle[stis] regni fores, ad illud vsque tempus clausas, redemptis aperi[ret], mundumque in gratiam suam, & antiquam dignitatem re[uo]- caret. Offenderat culpa, verùm hæc obedientia placauit. In[tel]- ligi[...]

Christus vt doloribus obnoxius.

Christi benignitas in nos.

Elias & Moyses quales fuerunt.

Luc. 2.

Luc. 9.

Christus quid nobis promeruerit.

ligimus sanè materiam colloquij nihil ab huius festi dignitate abhorruisse. Verum est quod Poëta ait: *Trahit sua quemque voluptas.* Christus nihil tam ardenter optabat, quàm hac occasione placare Patris iram. *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur?* ait ex magno desiderio. Hoc est illud gaudium, de quo Apostolus ait: *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta.* Iacob seruiuit septem annis pro Rachel, & videbantur pauci præ amoris magnitudine, quomodo non pauci huic tam nobili amatori omnes cruciatus, quos sustinuit, leues viderentur? His cruciatibus dilectam sponsam Ecclesiam redemit, eam lauacro sanguinis sui emundauit, & formosam sine vlla ruga & macula reddidit. Vbi ramis palmarum populo acclamãte excipitur, illacrymat, considerans mala nostra: in hoc verò festo mirabiliter exultat, recolens mala sua. Quis huic tanto amori vicem nõ rependat? Si tot ille labores nõ pro se, sed pro te vili vermiculo adeò spontè suscepit; cur tu propter illius gloriam non aliquid perferas? Dum hæc igitur tractantur, & Moyses & Elias abire pararent, Petrus, ne hac tanta suauitate, talique contubernio destituere-tur, ait: *Domine bonum est nos hic esse. Si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum,* &c. Nullius enim mundanæ rei memor erat, non cibi, non potus, non vitæ, non mortis; verùm rerum omnium oblitus, & totus illius torrente voluptatis ebrius, illam vnam optabat, illam sitiebat, in illáque perpetuò manere cupiebat. Sicut enim qui profundo somno aliquo velut ebrius iacet, nihil audit, nihil videt; & si ab aliquo importunis vocibus excitetur, grauiter indignatur, nec animũ aduertit ad ea quæ illi dicuntur, ne ab illa soporis voluptate abducatur: ita planè Petrus adeò huius admirandæ voluptatis sopore depressus erat, vt nihil aliud nisi ea frui, seque totum illi tradere desideraret. Ideóque velut fugiẽtem reuocare cupiens, dicebat: *Domine, bonum est nos hic esse,* &c. nesciens quid diceret. *Amanti animæ,* inquit D. Bernardus (vt in pluribus erramus) *verti non potest vitio, nec imputãdi errores.* Errabat Petrus, quòd priùs de retributione cogitabat, quàm de labore. *Oportet nos,* inquit Scriptura, *per multas tribulationes introire in regnũ Dei.* Neque enim decet alia via ingredi mẽbra, quàm ea qua caput incessit. Hoc enim ordine per ora Prophetarum prænunciauit Spiritus sanctus, eas quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias. Hunc autem ordinem humana natura laboris inimica, & felicitatis auida, inuertere nititur. Sic olim Iacobus & Ioãnes sedes sublimes in regno Christi ordine inuerso flagita-

Virgilius. *Luc. 12.* *Hebr. 12.* *Genes. 29.* *Matt. 21.* *Simile.* *Bernardus super Cãt. 5.* *Actor. 14.* *1. Petr. 1.*

bant,quos tamen Saluator in ipsum ordinem reuocat,dicens:
Potestis bibere calicem,quem ego bibiturus sum? Suas quisque
partes agnoscat, nec alienum munus inuadat.

Matt. 20.

Via ad cælũ quæ vera.

Sed tamen in hac Petri petitione eius modestia considerãda
est, qui quamuis permanere in monte illo vehementer cupie-
bat,hoc tamẽ desiderium diuinę voluntati subiiciebat,dicens:
Si vis,faciamus hic tria tabernacula. Quo argumento summæ
humanę voluntatis cũ diuina cõsensio intelligitur:quæ in bea-
tis mentibus pręcipuè viget.In quibus etiam mira cũ hac virtu-
te charitas regnat.Quod idem quoque Petrus indicauit, cum
sui oblitus,de aliorum tabernaculis solicitus erat: non enim si-
bi,sed Domino,Moysi,& Elię tabernacula construi volebat.In
quo etiam pia mentis eius simplicitas designatur : qui defun-
ctos Mosen & Eliam in illo monte vitam esse perducturos ar-
bitrabatur.Sequitur : *Adhuc eo loquente,ecce nubes lucida obum-
brabat eos,*&c.Hic est filius meus non adoptiuus,sed proprius.
Hic hanc felicitatẽ non arbitratus est rapinã. Quare quisquis
mihi placere cupit, vnum cum illo per fidem & charitatem
fiat,vt ita in illo,& cum illo mihi cõplaceat.Audite illum,ape-
rit viam in cælum.Audite illum,non mundi voces,non serpen-
tis antiqui fallacias,nõ carnis seductiones.Cõtra has sacrilegas
voces,vocis meæ testimonium,& fulgorẽ vultus eius,& Moy-
sis atque Eliæ approbationem,ac omnia denique ipsius mira-
cula,quæ vidistis,opponite.Hęc certa signa salutis nostrę sunt.

Petri innocentia.

Philip. 2.

Christus audiẽdus, non hæreticus.

Et audiẽtes discipuli ceciderũt in facies suas,& timuerũt. Er-
go vos, Auditores,si tantum timoris incussit amabilis hęc vox
Dei monentis:quid faciet terror iudicantis?Si tantũ terret cum
hortatur ad seruandum legem,quid faciet cùm rationem exi-
get neglectę legis?Sed cur in hac tanta solennitate,in qua Do-
minus gloriæ suæ speciem patefacere volebat, metum hunc
discipulis incussit? Certè vt hoc argumento nos doceret,quod
in Psalmo scriptum est: *Seruite Domino in timore,& exultate
ei cum tremore.* Exultatio enim summæ bonitati ;timor maie-
stati debetur.Cùm vtrumque igitur Deo conueniat;vtrumque
in eius laudibus adhibendum est.Hoc mysterium præcipuè
hoc celebratum est,vt Apostoli,qui crucem Domini ignomi-
niam putabant,& in ea scandalum passuri erant,hoc diuino te-
stimonio confirmati,nihil de eius dignitate dubitarent,quem
tot tantísque testimoniis ibidem honoratum vidissent.Ad hoc
enim erat, vt cùm Apostoli Dominum in passione seducto-
rem atque blasphematorem appellari audirent, vt qui se Dei
Filium faceret,cælestis huius vocis recordarentur, quæ il-

Psal. 3.

Exultatio & timor.

verum Dei Filium testabatur. Sic Apostoli innumera eius viderant miracula. Sed ô mira humanæ mentis infirmitas! hic ipse Petrus, qui videbatur esse columna, vbi vinctum Dominum vidit, quid dicam? ad vilis & infirmæ ancillulæ vocem negauit; cæterique condiscipuli simili formidine perculsi, relicto præceptore, fugerunt. Cæterùm si gratiæ virtutem (vbi pleniùs in pectus hominis effusa est) agnoscere velitis, eosdem discipulos intuemini; qui nec Reges & Præsides formidarũt; iure summæ gloriæ ducebant contumeliam pro Christo pati. Videtis quid natura, quid gratia possit. Colligimus quantum illi decipiantur qui mandatorum Dei viam solis naturæ viribus metientes, difficilem iudicantes, ab ea resiliunt. *Viam mandatorum tuorum cucurri*, &c. Colligimus etiam, vt nostram agnoscamus imbecillitatem, nobis diffidamus, omnem præsumptionem depellamus, vni Deo, quicquid in nobis laudabile est, acceptum feramus, ab illo semper pendeamus & illius gratiam imploremus, Ecclesiæ Sacramenta frequentemus, & ipse aderit nobis.

Humanæ mentis infirmitas.

Actor. 5.

Psal. 118.

IN HAC SECVNDA QVÆSTIONE, QVID DOMINVS EXIGAT A *fidelibus operariis, & quam illis mercedem in cælesti gloria repositam habeat, explicatur.*

Opifices atque operarij omnes cùm ad opus aliquod conducuntur, duo in primis attendere solent: nẽpe operis pondus atque laborem, & operis mercedem atque magnitudinem. Et quidem si mercedis magnitudo operis laborẽ vincat, libenter laboris onus suscipiunt. Duo hęc à nobis diligenter cõsideranda sunt: nempe quod nobis opus indicatur, & quæ sit operi nostro proposita merces. Hæc scire cupiebat adolescens ille ex Euangelio: *Christi doctrina & via est arcta, quæ ducit ad vitam: est abnegatio sui ipsius. Qui*, inquit, *amat animam suam, perdet eam.* Oportet veterem hominem exuere, & nouum induere. Qui arborem infrugiferam frugiferæ inserere volunt, infrugiferæ priùs ramos abscindunt, quo insititij adolescant: ita qui se totum diuinæ voluntatis obsequio tradidit, humanam voluntatem (quatenus fieri possit) præscindere debet, quo diuinam sine vllo impedimento exequatur. Quod quidem præcipuum Sanctorum omnium studium fuit: qui non modò à prohibitis, sed etiam à concessis frequenter abstinebant, vt volun-

Operarij quid considerent.

Matt. 19.
Matth. 7.

Ephes. 4.
Simile.

tate (cùm opus esset) velut equo iam domito, & habenarum pa-
tiente, faciliùs vterentur. Vita hæc multis malis est obnoxia.

Simile. *Vita nostra calamitosa.*

Nulla rosa est sine spinis: ita nulla vitæ conditio molestiis &
incommodis vacat: quando ipsa etiam, quæ bona putantur in
vita, spinis suis circumsepta sint. Desiderantur filij, sed quàm
multis sæpe doloribus filij parentes affecerunt! Cùm ergo Sa-
cti omnes intelligerent, se ad hanc tantam gloriam à Deo cõ-
ditos; dictu mirum est, quos propter eam labores in hac pert-
lerint vita; & quo mentis ardore illa frui desiderauerint. Hi

Philip. 2.

Apostolus *dissolui cupit, & esse cum Christo*. Hac de causa d
Sanctis omnibus, dum apud nos agerent, dictum est, morte
eos habuisse in desiderio, vitam in patientia. Nunc videam
quid ex hac diuinæ pulchritudinis visione consequatur. Nim

Psal. 16.

rum quod Regius Propheta vno verbo cõplexus est: *Satiab*
inquit, *cùm apparuerit gloria tua*. Hæc cælestis beatitudo a
tè per manna illud, quod Patribus in deserto exhibitum fu
adumbratur; quod saporum omnium dulcedinem in se v
continebat. Quid enim humana mens optare potest, quod i

1.Corin.4.

multis accessionibus auctum non inueniat? Tum laus erit v
cuique à Deo; quæ non falsa, non fucata, sed vera & solida n
lique inuidiæ obnoxia erit. Ibi Sancti canunt, se à Deo Sac

Beatorum conditio.

dotes & Reges creatos, qui cum illo sine fine regnabunt. Q
autem maior felicitas, quàm ad eum statum pertingere, in q
qui degunt, inter summi & sempiterni Regis filios & amic
numerantur? Regius Propheta ait: *Secundùm multitudin
dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætifica
runt animam meam.* Hæc est merces, quæ seipsos prop
Deum abnegantibus, & crucem suam quotidie ferentibus p

Augustinus.

posita est. Diuus Augustinus non falso affectu ait: *Si quoti
nos oporteret tormenta perferre, si ipsam gehennam lo
tempore tolerare, vt Christum videre in gloria sua possem
& Sanctorum eius numero associari; nónne dignum esset, p
omne quod triste est, vt tanti boni, tantæque gloriæ part*

Hebr. 13.

pes haberemur? Oportet illud Apostoli semper ante oculos
nere, *non habere nos hîc ciuitatem manentem, sed futur*

Ephes. 2.

inquirere. Quocirca non vt ciues & incolæ in hoc seculo
vt hospites & peregrini, qui aliò tendunt, & patriam suam
quirunt, nos gerere debemus. Hoc declarabat ille Patriar

Genes. 47. *Psal. 38.*

Iacob, dum coram Rege ait: *Dies peregrinationis meæ,*
Hoc agnoscebat Dauid Rex: *Quia aduena sum apud te.* Imp

Improborũ & piorum discrimen.

bi diligunt hanc vitam, eamque omnibus modis prolong
contendunt, vt sinister ille Latro: at pij contraria via ea so

in hoc mundo quærunt, quæ necessitas, non cupiditas exigit: totum studium & amorem suum in alteram vitam transtulerunt, vt dexter Latro. Hoc igitur agamus, Auditores, hoc desiderio feramur, cætera tanquam ad nos non pertinentia transeamus, hoc assiduò votis omnibus à Domino postulemus; & tunc maximè feliciter vixisse putemus, cùm mundo mortui, huic vni studio vixerimus. Tali enim vitæ immortalis & æterna vita in cælis parata est. Quam nobis concedere dignetur, qui est benedictus in secula. Amen.

DE EADEM DOMINICA SECVNDA, CONCIO: IN QVA EVANgelica lectio de Cananæa muliere explicatur: tum etiam maximè salutares doctrinæ, vt legenti patebit, edocentur.

THEMA. *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Matth. 15.

QVI spiritualis regenerationis Sacramentum recipere proponit, illud ante omnia curat, vt Diabolo renunciet & pompis eius: ita quisquis pœnitentiæ Sacramentum recipere dignè cupit, Diaboli operibus, hoc est, peccatis renunciare ante omnia debet. Superiori Dominica exemplo Saluatoris, tria armorum genera nobis Ecclesia, quæ hoc tempus pœnitentiæ consecrauit, subministrauit: ieiunium videlicet, solitudinem, & sanctarum lectionem Scripturarum: his enim armis Saluator noster aduersus communem hostem decertauit. Ieiunium námque deprimit carnem, debilitat vitia, mentem eleuat. Solitudo omnium penè sensuum fenestras obstruit, per quas mors in animam ingredi frequenter solet. Peccant enim oculi videndo, vt in Dauide videre est: peccant aures & lingua; peccat os loquacitate. Iam homo, qui se ab aliorum hominum frequentia subtrahit, vacat his vitiis. Lectio bonarum scripturarum, ita nos aduersus omnes hostis antiqui tẽtationes armat & instruit, vt Propheta dixerit: *Nisi quòd lex tua meditatio mea est, tunc fortè periissem in humilitate mea.* Diuinæ legis studio, omnes hostis nostri aditus intercludimus. His armis contra hostes animæ nostræ munimur: ieiunio contra carnem, solitudine aduersus

Membra instrumẽta peccandi.

Psal. 118.

Arma nostra spiritualia quæ.

mundum, ſanctarum lectione Scripturarũ aduerſus principem mundi huius. Iam in hac lectione S. Euangelij, alia nobis armatura exhibetur, nempe orationis ſtudiũ. Apoſtolus per omnem orationem & obſecrationem, neceſſitates noſtras innoteſcere cupit. Sit nobis hoc familiare aſſiduum remedium & cum hac muliere toto affectu clamemus: *Miſerere mei Domine fili Dauid.* De mulieris oratione, fide, perſeuerantia & patientia dicturi, diuinam opem Virginis interuentu ſuppliciter imploremus.

Epheſ.6.

AVE MARIA.

Egreſſus Ieſus venit in partes Tyri & Sidonis. Hoc eſt, egreſſus à Iudæa, vbi falſa iuſtitia colebatur, ad terras Gẽtiliũ venit, vbi aperta iniuſtitia vigebat: minus nãque illi manifeſta iniuſtitia quàm ſimulata religio diſplicebat: ideò non mirũ, ſi relictis Iudæis, cęlorum regnũ, & Euangelij gloria ad Gentes trãſlata ſit. Dominus liquidò oſtendit regnum Dei non conſiſtere in externis illis cæremoniis, quas Phariſæi obſeruabant; ſed in interna cordis puritate, & obediẽtia diuinorũ mandatorũ conſtare. Erat autem ibi mulier Cananæa, cuius filia grauiter à Dæmone vexabatur. Cananæi appellabantur, qui à Cam originem ducebant. Qualis fuerit ille, in Geneſi non tacetur. Patris execratio tantum potuit, vt non modò filius fuerit maledictus, verùm etiam in poſteros trãſierit hoc dedecus. Talis maledictio quoque in Ruben à patre Iacob inducta eſt: *Ruben primogenitus meus*, &c. Videte, Auditores, quid valeant huiuſmodi execrationes, quas & vos in proles veſtras habetis in ore. Videte ne pro hæreditate relinquatis execrationis incommodum filiis veſtris. Sic legimus: *Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Videte vos parentes, videte filij, vt fungamini veſtro officio coram Deo & hominibus. Chriſtus in hac lectione ſe verum Solem iuſtitiæ, qui totum perluſtrat orbem, oſtẽdit, dum ſine vlla perſonarum acceptione, lucis ſuæ radios vbique explicat. Hæc igitur mulier & Cananæa, & idolorum cultrix, cùm filiam haberet à Dæmone obſeſſam (hæc enim ſunt ſtipendia quæ cultoribus ſuis præſtare Dæmõ ſolet) vbi Dominum Ieſum malorum omnium depulſorem, in eas oras aduẽtaſſe didicit, ad illũ ſupplex accurrit, dicẽs: *Miſerere mei Domine fili Dauid: filia mea malè à Dæmone vexatur.* Itaq; mulier idolis & ſuperſtitioni ſeruiẽs, nec idola conſuluit, nec ad maleficos perrexit, nec portenta verborum

Pietas vbi conſiſtat.

Geneſ.9.

Geneſ.49.

Imprecationes pernicioſæ.

Eccleſ.3.

quæsiuit: sed nouo fidei lumine illustrata, ad ipsum salutis fontem cucurrit. Vsa est breui oratione,& quæcunque dici poterant,complexa est. Misericordiam,quę miseris impēdi solet, flagito. Miseria mea magna:at misericordiæ tuæ campus maior. Audierat Domini Iesu famam, atque ita ex auditu fidem conceperat. Sol ipse, non solùm in ea quæ videntur,sed in abdita quoque terræ viscera illabitur (vbi argentum & aurum nutrit ac procreat) sic verus sol iustitiæ Christus, in Gentilis huius feminæ visceribus (quæ à Deo priùs longissimè aberat) lucis suæ radios effudit,quibus hanc adeò mirabilem fidem in mente eius procreauit. Hac igitur fide instructa mulier clamauit ad Dominũ,non labiis tantùm,hypocritarũ more, sed corde integro. Nulla homini vox misericordia Dei gratior,vtpote quæ totius spei nostræ fundamentum est. O quam multi sumus,qui iustitiam Dei extenuari,misericordiam verò eius amplificari optamus? Cogita tu de tua miseria,detestare eam,inde clama cum muliere: *Miserere mei Domine.* Intelligis te à Dæmone vexari, liberaberis à tyrannide, dum agnoscis. Quid ad hæc Dominus Iesus?

Deus quærendus in necessitate.

Misericordia necessaria.

Matth. 11.

Qui non respondit ei verbum. Quid nouum hoc & insuetum Domine? Medicus malorum omnium,curare negligis? Nônne tua vox Domine: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis?* Venientem ad te miseram,afflictam & calamitosam,silentio repellis? *Si nolentes non compellis*, ait Origenes *quare non suscipis deprecantē?* Tu ad te Domine venire iubes,ad te iussi venimus. Clamat calamitosa,& tu taces,tale miraculũ non inuenitur in tota Euangelica historia. Cēturio petiit,& obtinuit plus quā rogauit. Exaudiuntur leprosi,sanatur paralyticus apud piscinā, qui non petiit. Hîc excluditur mulier,imò Apostoli ipsi pro ea rogantes. Munus Christi fuit,omnē circuire regionē benefaciēdo,& sanādo oppressos à Diabolo. Hic etiā qui fimbriā eius vestimēti attigêre, salutē impartitur,qui nos petere,quærere & pulsare iubet,& dat certā fiduciā impetrādi. Nō exauditur mulier,nō Apostoli, quia mulierē hāc intus fide & patiētia roborauit,& noluit eā tāta meriti materia fraudare: quod quidē fecisset,si eius fidei,patientiæ & humilitati hāc perseuerādi occasionē celeri remedio subtraxisset. Deus suos exercet,& probat,vtrùm velint esse perseuerantes,vt ita eorũ sedulitas pateat aliis. Sic enim se diuina sapientia hominibus pro eorum captu insinuare solet. Vide quid nobis innuunt duo illi adolescentes qui in Euangelio Dominum sequi volebant. Eius quem remisit,desiderium dilatione auxit: eius verò quem retinuit, imbecilli

Origenes.

Matth. 8.
Luc. 17.
Ioan. 5.

Luc. 8.

Deus quare non exaudiat statim.

Matth. 8.
Gregorius.

cillitati consuluit, qui nũquam fortasse reuersus ad Christũ fuisset, si paternæ senectutis pretextu ad seculi negotia rediisset. Non est cessandum, sed iterum atque iterum fores diuinæ misericordię, mulieris huius exemplo, pulsandæ. Discipuli eius perseuerantia permoti, causam eius Domino commendarunt, dicẽtes: *Dimitte eam, quia clamat post nos.* Virtus est propria virorũ sanctorũ, misericordia, vt ipsi in literis sacris viri misericordiæ appellantur. Discipuli Aduocatos se mulieri exhibent, & pro ea rogant. Dominus discipulis respondet: *Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël.* Quid ais Domine? an non tu lapis ille angularis es, qui vtrũque populũ Iudæorũ atque Gẽtilium in te vno compegisti? Nónne tu flos cãpi, obuius omnibus? Nónne ros cælestis à Gedeone postulatus, qui non modò vellus ipsum, sed etiam circumstãtem aream irrorasti: hoc est, qui non modò angustum Iudææ angulum, sed totam etiam Gentilitatis aream cælestis gratiæ rore fœcundasti? *Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremũ terræ.* Quomodo igitur modò ais: *Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël?* Triste profectò responsum, quo sauciatus homo, dicere cum Propheta poterit: *Væ mihi, quia addidit Dominus dolorem dolori meo.* Dolor enim primus fuit, nihil mihi respondisse: modò vero dolor auctus est, cùm ad me non pertinere misericordiam Dei audio. Tentatio grauis, & superiori acerbior. Non ideò tamen animum despondere fas est, sed huius constantissimæ mulieris exemplo adeò non deficere, vt instemus, & ad pedes Domini prouoluti, cum ea dicamus: *Domine adiuua me.* O misericordiarũ Pater, & Deus totius consolationis, singulare perfugiũ. Tu es ille pastor, qui errantem ouem tam solicitè quæsiuisti. Tu es ille de quo Isaias ait: *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Tu nostros labores experiri voluisti, vt possis cõpati infirmis. Sed sane ero quæ repulsam patiar? *Vbi est multitudo viscerũ misericordiarum tuarum?* Videmus ante oculos magnum certamen: mulier instat, & Dominus repellit. Extremæ mulieris oratio adeò non cessit, vt grauiùs illum sauciaret, cùm ait: *Non est bonum sumere panem filiorum de mensa dominorum suorũ, &c.* Hoc responso Dominus mulieris pectus grauissimè perculit, cùm clamantẽ illã non modò non exaudiuit, sed etiam canem appellauit. Canis est animal inuidum, rapax, iracundũ: quæ quidem vitia cùm in homines cadunt, eos cælesti pane indignos reddunt. Mulier quò te vertes? cuius opẽ implorabis? Primùm nihil tibi responsum est, inde respõsum acerbè, postremò con-

Marginalia: Flos campi Christus. Iudic. 6. Esa. 49. Hiere. 45. Mulier quid nos doceat. Luc. 15. Esa. 53. Hebr. 3. Canis quale animal.

tumelia affecta es, dum canis appellaris. Tentatus est Iob, & pusillanimis factus est: *Tanquã arbori,* ait, *euulsa abstulit spem meã.* Et regius Propheta: *Vt quid Domine recessisti longè, despicis in opportunitatibus & in tribulatione?* Cæterùm mulier hęc huius Philosophię non ignara, adeò hac postrema Domini repulsa turbata non fuit, vt ex ea vehementiùs instandi occasionem arripuerit. Itaque dum mulieris huius orationi paulò seriùs respondet, omnes homines non modò ad orandum, sed etiam ad bene sperandum incitauit. Orantibus cur Dominus non statim respondeat, ea vel præcipua causa est, quòd hac ipsa dilatione, piorum desideria vehemẽtiùs incendat: quorum incremẽta copiosam iustitiæ frugem illis parãt. Nonnulli similes nubi matutinæ, quæ à radiis Solis dissoluitur, & velut matutinus ros, qui incalescente die protinus exsiccatur: sic isti cùm tribulationibus premuntur, diluculò ad Dominum confugiunt, & pietatis opera præferunt; verùm liberati, ad adsueta protinus flagitia reuertuntur, & ita eorum religio euanida est. Videamus ne hunc ludum tota vita, dum semper pollicemur meliora, ludamus. Quid periculosius, quàm vt extrema dies nos (vt fatuas virgines) imparatos offendat, cùm flagitiosis hominibus exemplo veniat perditio sua? Nihil mulier indignè murmurando fert, ait: *Etiam Domine; nã & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum,* &c. quasi dicat; Sit ita Domine, canis sum, ímò catellã me profiteor: ne ergo mihi, quod catellis tribuitur, negare velis. Catellis enim micę quę de mensa dominorum cadunt, non negantur. Iudæos tanquam dominos meos reueréor & agnosco, & me velut catellam eorum esse confiteor. Catelli baculo percussi, nõ ideò dominorum suorum domum & mensam deserunt, sed hac via exclusi, alia rursus ingredi nituntur, & supplices se ante percussorum conspectum exhibent. Hac igitur tanta humilitate & fide misericordiarum Pater superatus, & se vltrà continere non valens, in hanc vocem prorupit.

Iob. 19.

Psal. 87.

Orantes non statim exaudiuntur.

Simile.

Recidiuatio periculosa.

Matth. 25.

Simile.

O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Itaque quò diutiùs mulier orãdo perseuerauit, hoc maiorẽ est gratiã consecuta. Non solã salutẽ filiæ, quam quærebat, inuenit, sed laudem etiam & commendationem Domini, æternamq́ue in Ecclesia memoriam adepta est, non minùs quàm illa cui pro magno officij sui pręmio à Domino dictum est: *Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium,* &c. Quot quæso Augustæ, quot Reginę, quę maxima olim Imperij & fortunarum gloria floruerunt, sempiterna sunt obliuione sepultæ: cùm

Matt. 26.
Memoria vera quæ.

cùm tamen huius abiectę mulieris dignitas per omnẽ ſit ęter-
nitatem duratura? Exauditionis igitur mora, petitionis ſuæ fru-

Simile.

ctum & gratiam miro modo cumulauit. Sicut enim ſemina in
terrã iacta, quò diutiùs gelu premente intra eius viſcera, deli-
teſcunt, eò deinceps proceriora ſurgunt, vtpote quæ altiùs diu
cõdita radices egerũt: ita quo lõgiori ſpatio Dominus ſeruorũ
ſuorũ preces multiplicari ſinit, eò maioribus eos muneribus

Deſideria quæ optima.

afficit. Miſericordia enim Dei, ſicut & ira, dilatione incremẽta
capiũt: vt & dilata ira ſit maior, & itẽ miſericordia. Quod exẽ-

Annæ laus.

plo Annæ matris beatiſſimæ Virginis, & parentũ Ioãnis Bapti-
ſtæ, diſcimus: qui quò diutiùs prolem à Domino petierũt, hoc

Simile.

nobiliorẽ impetrarũt. Sicut enim fluminis aqua, ſi obiectu ali-
quo, ne fluat, impediatur; ſublato obice, maiori deinceps impe-
tu fertur: ita miſericordia Dei eò ferè largiùs, quò tardiùs in
animas piorum effunditur. Habuit hæc mulier fidẽ, habuit &
virtutẽ humilitatis. Nulla enim res adeò potẽs eſt, quæ nõ ali-

Simile.

quid habeat cui cedat, cuíq; ſe quodãmodo ſubmittat. Leo be-
ſtiarũ fortiſſimus ad muris cõſpectũ expaueſcit. Elephas item
animaliũ cunctorũ maximus, muſtelã vehemẽter timere dici-
tur. Et ne quicq̃uã eſſet in mundo magnũ, quod nõ haberet, cui
aliqua ratione cederet, ſumma quoq; illa & tremenda maieſtas

Deus cui cedat.

habet vtique cui cedat, nempe humilitatẽ fidelium: qua ſolùm
inſuperabilis ſuperatur, & inuincibilis vincitur: quamuis non
vinci, ſed vincere ſit. Veræ enim magnitudinis eſt, contra ſu-
perbos erigi, & humilibus inclinari: *Cuſtodiens*, inquit regius

Pſal. 114.

Propheta, *paruulos Dominus, humiliatus ſum, & liberauit me.*
Hæc eadem Cananæa noſtra & miſericordiam, quam petebat,
& laudem etiam, quam non petebat, obtinuit, & in fidei, ſpei,
orationis, & humilitatis exemplar in Eccleſia poſita eſt. Hiſto-
ria actione tẽporalis fuit, ſed vtilitate perpetua. Huius rei aper-

Geneſ. 45.

tiſſimam nobis imaginem ſanctus Patriarcha Ioſeph exhibuit,
qui durus fuit ad fratres ſuos. Verùm vbi hac ſeueritate ſatis in
illos vindicatum eſt, ſe illis amiciſſimum præbuit. Sic & diuina
prouidentia ſe gerit cũ piis hominibus. Monemur ne ſpes no-
ſtra cõcidat, ne oratio deſinat, ne opera noſtra & induſtria con-
quieſcat, licèt videamur à Deo derelicti. In hac parte, occaſione
filiæ Cananææ, quæ à Dæmone vexabatur, quàm grauiter eo-
rum vita, qui ſcelleratè viuunt, vexetur atque exagitetur; cõtrà-
que qua pace atque animi quiete pij homines perfruantur, ex-
ponitur. Quia verò improbi homines non ratione, ſed cupidi-
tate, & immoderatis affectibus ducũtur, tria mala ex hoc vitæ
genere conſequi declarantur. Huiuſmodi námque affectus pri-

mu

mùm rationis iudicium excæcant: atque homo cæcutientium more in multa labitur præcipitia. Deinde perturbati affectus, pacem menti atque tranquillitatem eripiunt, intestinísq; illam seditionibus cruciant. Postremò iidem affectus variarum rerum cupiditatibus, quas explere nequeunt, veluti fame quadam & siti mentem cruciant. Quæ omnia longissimè absunt ab iis qui affectibus, & cupiditate subacta, diuini numinis metu & rationis consilio vitam suam moderantur. Huius argumenti summa per similia & communes locos explanatur.

Nihil humanæ naturæ conuenientius esse potest, quàm ipsa virtus, quæ animi habitus est rationi consentaneus. Omnia sanè, quæ à Deo condita, & hominibus nunciata sunt, nihil aliud prædicant atque commendant, quàm virtutis decus & necessitatē: imò ipse Dei Filius ad hoc è cælo descendit, crucis etiam tulit supplicium, *vt mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*: demum tot sacræ habentur conciones, tot Ecclesiæ voces, vt nos virtutis & iustitiæ amantes efficiant: quid esse aut mirabilius, aut etiam formidabilius potest, quàm quòd nec his tam multis machinis multorū hominum mētes ad virtutis studium traduci velint? Quòd si ab ipsis quæras, quid sit in causa quòd scelerate viuant; virtutis asperitatem & acerbitatem causantur, vitiorúmque dulcedinē, quam ipsi, serpentis antiqui errore delusi, vitiis quidem tribuunt, virtutibus detrahunt. Si quis ratione ostenderet, eos toto cælo errare, & multò plus laboris & acerbitatis in vitiis quàm virtutis studio esse; magno sanè beneficio homines afficeret, & magnā eorum tenebris lucem præferret, vel saltē eorum causam prorsus inexcusabilem redderet. Multa sunt inter probos & improbos discrimina: illud præcipuum esse videtur, quòd vir probus non cupiditate, sed ratione & diuino spiritu vitam suam moderatur. *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* Contrà verò improbi homines nec iudicio, nec diuino spiritu & lege, sed libidine & corruptis affectibus vitam moderantur. *Hi, lege Domini relicta, ambulant post prauitatem cordis sui pessimi: ambulant vias difficiles: hi sunt illi corde incircuncisi.* Animus affectibus concussus, turbidæ aquæ similis est, in qua faciem suam nemo, nec quicquā aliud, cernere potest. Nubes nonnunquā ita aërem obtegunt, vt vel in meridie clarissimum solem obumbrent. Animi passiones ebrietati comparantur. Vide qualis illorum sit vita, qui huic cæco duci se regendos permiserunt. Vide quæ cæco imminent pericula. Nauis sine gubernaculo in salo fluctuans, est omnibus ventis & periculis exposi

Virtus quid sit.

Tit. 2.

Homines cur malè viuant.

Rom. 8.

Hierem. 9.

Simile.

Esa. 51.

Simile.

exposita: sic ratio gubernaculis carens. Hoc est illud quartum: *Ancilla cùm fuerit hæres dominæ suæ.* Aliud est interna seditio, qua affectus inter se dissident. *Caro concupiscit aduersus spiritum.* In hoc animo quæ pax esse potest, vbi tot imperant tyranni? Hinc in tali quassata naui insanæ in Deum voces, diuinæ prouidentiæ accusatio, diræ imprecationes. *Innumerabiles vitiorũ proprietates sunt; sed vnus affectus, displicere sibi.* Summa improborum hominum conditio est misera & acerba: in quibus sepulta ratione, cupiditas dominatur. Cæterùm pij, in quibus non cupiditas, sed charitas, cupiditati contraria, principatum tenet, compressa cupiditate, summa animi trãquillitate fruuntur, illa quam Christus mundo attulit. Tauro irato nihil ferocius; at si ab eo vim concupiscendi auferas, ex intractabili mitissimus bos erit. Ab hac insaniendi vi immunes sunt, qui colla suaui Christi iugo subdiderunt. Rectè ait Eccles. *Modicum laboraui, & inueni magnam requiem.* Concitantur aliquando contra pios aliqui tumultus; at non tantam habere possunt vim, propter eorum constantiam, vt eos à virtutis proposito amoueant. Vt enim cùm pauci latrones in fines munitissimæ ciuitatis excurrunt, non ciuitati pacem eripiunt, sed tantùm admonent esse fines diligentiùs tuendos: ita & nobis erit agendũ. Omninò vacare à peccatis impossibile est, at semper in initio resistendum. *Secura mens est iuge conuiuium. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Sæpius dicendum: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Si consistant aduersum me castra,* &c. Ipse, cui est omnis gloria, det vt simus bonæ voluntatis, & suam pacem largiatur. Amen.

Prou. 30. Galat. 5. Seneca. Piorum felicitas. Simile. Eccles. 15. Simile. Prou. 15. 2. Corin. 1. Ioan. 16. Psal. 22.

FERIA QVARTA POST SECVNDAM DOMINICAM IN QVADRAGESIMA

Concio, quæ lectionem Euangelicam explanat.

THEMA. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & Filius hominis tradetur principibus,* &c. Matth. 20.

QVONIAM Euangelicæ lectionis exordium de dominicæ passionis mysterio mentionem facit, ab eo nobis hodie dicendi initium sumendum est. Cùm ante omnia, præcipuum ac summum Christiani hominis

cium esse, Deum super omnia diligere. *Hoc enim est maximum & primum mandatum, & sacrificiorum omnium summum.* Deut. 10. Quo fit vt inter omnes Christianæ Philosophiæ partes ea sit frequentiùs tractanda, quæ mentes hominum ad hunc amorem excitare valeat. Nihil sic nobis Dei commẽdat misericordiam, sicut eius crucis mysterium. Deinde nullius diuini beneficij fructum pius homo intra se quotidie magis experitur. Premeris mundi calamitatibus? considera remedium Dominicæ passionis. Mordent te præterita peccata? confuge ad ipsum qui est propitiatio pro peccatis. Impeteris dæmonum tentationibus? fuge ad foramina petræ, hoc est, ad vulnera pendentis in cruce Christi. Rectè ait D. Augustinus, tantò maiora bona à Christo nobis exspectanda esse, quantò maiora ille pro nobis mala perpessus est. Timere illum deberemus; at ille omnibus neglectis ad amorem nos inuitat. Ait ipse: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Magnes sanè non tanta vi ferrum ad se trahit, quanta Dominicæ passionis beneficium ferrea hominum corda ad se adducere deberet. Atque hac de causa voluit Dominus in solenni die Paschæ, & in frequentissima turba hominum pati, vt tantæ eius dilectionis testimonium non in angulo, sed in celebri hominum conuentu manifestaretur. Eius pœna nos ad amorem, gloria verò ad eius cultum & venerationem inducit. Quia verò mater filiorum Zebedæi, vt hodiernum canit Euangelium, aliquid à Christo Domino petit: æquum est vt nos quoque eius exemplo aliquid etiam à Christi Domini matre petamus. Consuetum est vt à diuitibus pauperes petant. Quis autem peccatore pauperior, qui non suus, sed peccati seruus est? Quis post Deum ditior, quàm beatissima virgo, quæ plena gratia, quæ cælestium thesaurorum omnium custos est?

Passio Christi sæpius meditanda.

1. Ioan. 2.

Augustinus.

Ioan. 12.

Christus verè magnes.

Mariæ patrocinium petendum.

Spiritualia petenda.

AVE MARIA.

LECTIO sancti Euangelij, Auditores, duas præcipuè complectitur partes: quarum altera summam Dominicæ passionis, altera petitionem continet filiorum Zebedæi. Priorem autem hoc modo describit S. Euangelista: *Assumpsit Iesus discipulos suos secretò, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur,* &c. Ascendimus Hierosolymã celeberrimam ciuitatem, in qua clarissimum dilectionis opus in frequentissimo populo edendum est. Quo opere omniũ rerum imperium suæ excellentissimę charitatis potentia (quatenus verus homo erat) consecutus est. *In hoc,* inquit Apostolus, *Christus mortuus* *Rom. 6.*

est, vt viuorum & mortuorum dominetur: vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est. Argumentum certè necessaria ratione conclusum. Cùm enim fideiussor pro debitoribus æs alienum dissoluit; illi quidem à creditore liberati, fideiussori obnoxij relinquuntur. Ad hunc ergo modum nos à peccati debito fideiussoris Christi merito liberi, illius serui effecti sumus. Verùm hæc dominatio non aut metu extorta, aut vi expressa, sed beneficiis & amore parta est. Verum dominium illud est, quod amore imperat, nō timore: quodque voluntariam & amandam, non inuitā sibi instruit seruitutem. Prędicit Christus passionem suam: primò ob eam causam, quòd spōte sua ad mortem se ire declararet. Hac ratione charitatem suam erga nos ostendit. *Nemo*, inquit, *tollit à me animam meam.* Secundò, vt discipulos suos ad passionis suæ certamen animaret. Præmeditati mali, mollis ictus venit. Multum refert, periculi pręuidisse qualitatem. In hoc seculo infido, quod meritò mari comparatur, quot sunt pericula? Sapiens assuescit futuris malis: & ea quæ alij diu patiendo leuia faciunt, hic leuia facit diu cogitando. Sic Dominus semper animos hominum præmuniit, vt sibi quisque opportunè prospiceret: quo & impij pœnitentiam agerent, & pij ad futuras clades se præpararent. *Dedisti*, inquit Dauid, *metuentibus te significationem, vt fugiant à facie eius.* D. Cyprianus epist. ad Cornel. prima, proponit arma spiritualia & cælestia, quæ stare & perseuerare fortiter faciunt. Quia in sequenti epistola ait idem: *Qui in pace militibus suis futuram pronunciat pugnam, dabit in congressione victoriam.* Verùm de his rebus, licèt salutaribus, non libenter, imò cum nausea audimus. Maxima sanè pœna digni sunt, qui recte monentem audire nolunt. Proponamus igitur nobis, ne res humanas, quæ fragiles sunt atque caducæ, minùs ardenter amemus. Sicut enim homo morbo & annis grauis, si debili baculo innitatur, nunquam ita illi fidit, vt toto corporis pondere illum incumbat atque deiiciat: ita quoniam res humanæ arundineo baculo fragiliores sunt, nunquam illis toto pectore, amorem incumbere debemus, ne vbi illæ fortè defecerint, quoque cum illis deficiamus. Pergit Dominus: *Et filius hominis tradetur Principibus Sacerdotū & Scribis.* Auctores præcipui mortis Christi fuêre Sacerdotū principes, huius tamen sceleris ministri & carnifices, auaritia, ambitio, & vtriusque socius les inuidia fuêre. Iudas triginta argenteorū cupiditate inductus Dominum prodidit. Pōtifices, ne dignitatis locum, quem in Republ. obtinebant, amitterent, in mortem eius coniurarunt.

Christus fideiussor.

Chrysostomus.

Ioan. 10.

Seneca.

Futura cogitanda.

Psal. 59.

Cyprianus.

Simile.

Humanæ res caducæ.

Mortis Christi qui auctores.

Si dimittimus, inquiunt, *eum sic*, &c. Hoc metu impulsi, tam
Ioan.11.
immane scelus animo conceperunt. Aaron, ne summi Pontifi-
Caietanus.
catus officio pelleretur, aureum vitulum fabricatus est, quem
perfida multitudo adorauit. Hæc est ambitionis vis. Pharisæi
Exod.32.
inuidebant Christo, quòd pueri Christum laudarent. Videtis
Ioan.12.
quia nihil proficimus. Hunc carnificem, id est, liuorem, in ne-
cem quoque Domini coniurasse, testis ipse iudex iniquus fuit,
qui sciebat quòd illum per inuidiam tradidissent Iudæi. Inuidus
Matt.27.
non ineptè Dæmoni comparatur. Inuidia, damnatorum mẽtes
Inuidus Dæmonis similis.
nõ in hac vita modò, sed etiam in futura torquet & disrumpit.
Abominemur igitur hæc tria monstra, id est, ambitionẽ, aua-
ritiam, & vtriusque sobolem inuidiam, quæ auctorẽ vitæ mor-
ti tradiderunt. Videamus ne similes Iudæis simus, hæc tria vi-
tia continentes. Si eodem tempore vixisses, forsitan iisdem fu-
riis fuisses agitatus. Properat Dominus ad locum passionis; at
Matt.10.
discipuli licèt non intelligentes rem, obstupuêre tamen, & præ-
ceptorem sequi non desistunt. Discimus probos æquè ac im-
probos humanis tangi affectibus; aliter tamen illi, aliter isti af-
ficiuntur. Improbi pericula præsentis vitæ timent; pij præsen-
tem vitam parum amant; ne Deum offendant, summè student.
Hoc affectu ducebatur D. Paulus, quando dicebat: *Ego non so-*
Actor.21.
lùm alligari, sed etiam mori paratus sum. Improbi cælestium
diuitiarum suauitatem non sunt experti, nec alia nisi terrena
bona nouerunt: facilè igitur mouentur. *Stultus vt Luna mu-*
Eccles.27.
tatur. Et ipsi nihil horum intellexerunt: & erat verbum istud ab-
sconditum, &c. Si nihil intellexerunt, quare prædixit? Eo exem-
plo docemur, illos qui labuntur, suo vitio, non cælestis proui-
dentiæ defectu labi: nec per Deum stare, sed per eos, quo minùs
salutẽ consequantur. Præsciebat olim Deus nec Hieremiæ nec
Ezechielis vaticinia rebelli populo profutura, & tamen ad eos
Ezech.3.
vtrúque Prophetam misit. Homines damnationem suam non
Damnatio nostra cui imputanda.
Deo, qui nulli deest, sed sibi debere imputare, manifestum est.
Discipuli rem, quam Dominus tam disertis verbis proposuit,
non intelligebant: nã indignum credebant, vt is, quem vt mun-
di Saluatorem & Messiam venerabantur, ingens illud passionis
dedecus esset subiturus. In schola Christi varij sunt discipuli:
ibi sunt rudes, & perfecti qui exercitatos habent sensus, ad di-
scretionem boni & mali. Ad perfectos pertinet illud Iacobi:
Iacob.1.
Omne gaudiũ existimate, fratres, &c. Et, *Beati estis cùm vos ode-*
Matth.5.
rint homines. Quid hîc faciet rudis adhuc tyrunculus, nondum
ab amore mundi liberatus, cùm audit collocari gaudium in
mœrore, beatitudinemq́ue in hominũ odio & exprobratione?

1.Corin.7. *Philip. 2,* Vide qualis Apostolus Paulus. Apostoli non poterant animo concipere, vt is qui venerat ad omnia mundi mala profligan-da, his tantis malis subderetur: posteà tamen cùm flagellis cæ-derentur, magno gaudio affecti sunt, quòd *digni essent pro no-* *Actor.5.* *mine Iesu contumeliam pati.*

PARS POSTERIOR.

SED iam tempus est vt ad alteram sacræ lectionis huius par-tem veniamus: quæ petitionem continet matris filiorum Ze-bedæi. Ea quippe à filiis subornata, Dominum adiit: *adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis,* &c. Hæc petitio or-tum ex eo habuisse videtur, quod Dominus paulò antè Petro de bonorum operum mercede quærenti, responderat his ver-*Matt.19.* bis: *Amen dico vobis, quòd vos, qui reliquistis omnia,* &c. Apostoli rudes, Iudæorum more, Messiæ regnum temporale futurum arbitrabantur, vt iam in eo regno ex Domini responsione de-finitas sedes viderentur habere: duo ibi discipuli, qui propin-quitatis iure aliis se anteferendos esse credebant, priores sibi ca-thedras matris interuentu vendicare volebant. Subornarant matrem, vt illa proponeret quod per se citra pudoris iacturam petere non potuissent. Multa hîc possunt Philosophari. Apparet enim his ac similibus discipulorum lapsibus, quid natura, quid *Simile.* gratia in discipulorum animis effecerit. Vide qualis ille Israëli-ticus populus qui sibi vitulum fabricauit, & huic illa magnifi-ca opera adscripsit. Dominus tamen & hunc & similes discipu-lorum lapsus permisit: partim vt quàm infirma instrumenta ad mundi conuersionem elegisset, insinuaret (quo eius gloria esset illustrior) partim vt diuinæ gratiæ vim & potentiã osten-deret, quæ horum hominum ruditatem & infirmitatem, Spiri-tu sancto è cælis misso, in admirabilem virtutẽ subitò immu-tauerit Ex imperfectis fecit perfectos, & gloriandi omnẽ ad-mit occasionem. Vt hoc igitur apertè cognoscatis, animaduer-tite quàm erat per id tempus imperfecta discipulorũ charitas, quando tantam temporariæ felicitatis & gloriæ rationem ha-bebant. *Dic vt sedeant hi duo filij mei,* &c. Putat sibi aliquid iure propinquitatis deberi. Vide hîc, quæ sibi somnia discipulorum simplicitas proposuerat. Paucis antè diebus & retia, & piscandi officium, quo vitam inopem sustentarant, deseruerant; & iam principatus & primas cathedras in regno temporali ambiunt. *Discipu-lorum ru-ditas.* Agebant cum Christo, nihil ab eo videbant nec audiebant, nisi quod humilitatem spiraret. Schola Christi, erat schola humi-litatis; & in hac isti tam parum profecerant. Non tantùm his

veru-

verùm etiam & cæteri, qui indignati sunt, quòd quicquam vellent illis præripere. Hæc labes aliàs etiam eorum animos infecerat. Sic quærunt, quis maior esset in regno cælorum: vbi Dominus paruulum statuit in medio, & eorum contundit temeritatem. *Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis*, &c. Item in cœna facta est contentio de principatu. Agebat Christus de acerbissimo crucis supplicio, illi de dignitatis primatu contendebant. Taxantur & hîc quorundam hominum mores, qui ita sunt seueri in aliorũ paruos defectus, ád suos sunt planè cæci. Gratia Christi non est nobiscum nata, sed paulatim accrescit. Sicut enim vita, quæ mortem excludit, omnia tamen morborum genera admittit: ita gratia lethale quidem peccatũ ab anima pellit, quod mortem inferat; cætera verò peccata, velut quosdam animæ morbos, non prorsus exstinguit. Inueniuntur & in piis hominibus lapsus. *Septies in die cadit iustus.* Homo duas habet manticas, alteram à tergo, alteram à fronte: in quãrum anteriori vitia aliena, quæ oculis obiecta sunt, circumfert; in posteriori verò propria, ad quæ nunquam oculos conuertit. Quisquis ergo has manticas inuerterit, is profectò omnem animi tumorem & indignationem aduersus aliorum delicta coërcebit. Multi plorant corpus à quo recessit anima; at animam à qua recessit Deus, non plorant. Vera iustitia compassionem habet, falsa indignationem. Erant discipuli in eadem culpa, quam in aliis ipsi damnabant: videbant aliorum trabem, at suam, sui amore excæcati, non viderunt. Amor non modò est puer, sed etiam oculis captus. Amoris est mentem excæcare, & quicquid amauerit, & pulchrum, & optimum existimare. Vis esse tutus ab adulatorum veneno? internum adulatorem, id est, amorem tui expelle primùm. Cæcus est omnis amor, nisi cùm in Deum fertur. Licèt discipuli essent infirmi in fide, ipse tamen Dominus non adiecit eos, sed sustinuit, patienter agens cum iis. Hoc Regius Propheta vnico verbo cõplexus est: *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.* Patres filios suos licèt morbidos & vlcerosos, paterno amore fouent: ita cælestis ille Pater, licèt morbidi & infirmi simus, vt filios tamen diligit. Lapsus non adimunt hominibus filiorũ Dei nomen seu dignitatẽ quæ nisi per lethalia crimina nõ amittitur. Caueamus igitur lethalia crimina, licèt minoribus simus obnoxij delictis. Meméto scriptum: *Qui timet Deum nihil negligit.* Dominus tãmẽ discipulos in spiritu lenitatis corripere volẽs, vocatis ad se, ait: *Scitis quia Principes Gentiũ dominantur eorũ, & qui maiores*

Matt. 18.
Luc. 22.
Mores nostri carpũtur.
Gratia non nascitur nobiscum.
Simile.
Simile ex Plutarcho.
Augustin.
Gregorius.
Amor vt depingitur.
Deus lignum fumigans nõ exstinguit
Psal. 101.
Simile.
Eccles. 17.

sunt, potestatem exercent in eos. Quod perinde est, ac si diceret:
Illud ante omnia, discipuli mei, statuere debetis, aliam esse hu-
manæ, aliam Euangelicæ vitæ professionem. In illa enim, qui
principes & illustres sunt, dominandi & imperandi aliis pote-
statem partim sibi vendicant, partim ab aliis traditam vsur-
pant; at in hac noua Repub. qui maior est, adeò sibi munus hoc
dominandi non occupat, vt nihil magis studeat quàm obtem-
perare, de omnibus bene mereri. Ex Patribus quidam ait: *Quis
verè sanctus? qui verè humilis. Quis sanctior? qui humilior.*
Hoc virgo Agatha ostendit, cùm ait: *Ancilla Christi sum, ideó-
que me ostendo tamquam vilem personam; quamuis ingenua
sim & spectabilis genere.* Hoc modo magna fuit sancta illa Eli-
zabeth, Regis Vngariæ filia. Talis etiam fuit S. Franciscus, qui
semper humilitatem coluit, qui se indignum arbitratus est Sa-
cerdotis fungi munere, quos tamen semper in summo habuit
honore. Sed inter hæc tamen exempla, nullum maius, quàm
vnigeniti Filij Dei excogitari potest: quòd discipulorum tumo-
rem in præsenti lectione comprimere voluit, cùm subdit: *Sicut
filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animã,*
&c. *Is enim cùm in forma Dei esset, ad seruilem tamen condi-
tionem deiectus, in hunc mundum, non vt Dominus, sed vt
seruus ad parendum, non ad imperandum venire dignatus est,
vt etiam & sanguinem pro omnium salute profunderet.* Hoc
enim ministri atque serui emptitij proprium est, vt quotidie
quidem in labore & opere sibi à Domino indicto versetur; la-
boris verò fructus non ad illum, sed ad Dominum pertineat.
Itaque cùm duo in omni opere sint, videlicet operis labor &
laboris fructus: seruitutis conditio facit, vt ad seruũ labor & fa-
tigatio, ad Dominum verò fatigationis & laboris lucrum per-
ueniat. Quòd si hæc præcipua seruitutis cõditio est, quis, quæ-
so, seruorum hanc seruitutis legem exactiùs pleniusque quàm
Dominus noster adimpleuit? Quos enim pius Redemptor la-
bores non pertulit? quæ tormenta non subiit? Non sibi, sed no-
bis natus & passus est: ita omnium laborum suorum fructum
liberalissimè in nos effudit. Ad hoc nouæ legis Sacramenta in-
stituit; vt per ea veluti canales quosdam, gratiarum & merito-
rum eius fluenta in nos deriuarentur. *Necesse planè erit, vt
humiliemus nos sub potenti manu Dei, vt nos exaltet in tem-
pore visitationis.* Quod quidem fiet, primùm si à moribus no-
stris omnem animi elationem procul pellamus: deinde, quod
ad mentem attinet, demissè atque humiliter de nobis sentia-
mus, Patri luminum omnia tribuentes. Hæc enim ad diuinam
gratiam

Humilitas nos Deo cõmendat.

S. Francisci humilitas.

Philip. 2.

Humilitas Christi insignis.

Simile.

Sacramẽta Ecclesiæ canales.

1. Petr. 5.

gratiam percipiendam certissima via est. Quod adeò verum est, vt D. Augustinus dicere non dubitauerit, in omnibus penè paginis diuinorum voluminum hanc sententiam contineri: *Deum superbis resistere, humilibus autem dare gratiam.* Nec gratiam modò, sed ad promerendam patriæ cælestis hæreditatem ita nos iuuare, vt idē Augustinus duos illos fratres, Iacob & Esau, qui in vtero Rebeccæ matris collidebātur, duos populos, alterum bonorum, alterum malorū, significare dicat, quorum alter, inquit, ad cælum erigitur per humilitatem, alter ad infernum demergitur per superbiam. Quæ cùm ita sint, Auditores, Christi magis humilitatem, quàm Dæmonis superbiam imitari studeamus: subiiciamur omni humanæ creaturæ propter Deum: parere magis quàm imperare cupiamus: vt & in hac Christi Republ. & in futura verè magni & illustres simus. Verissimè enim à Salomone dictum est: *Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria.* Quam gloriam nobis humilitatis magister, Dominus Iesus concedere dignetur: qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

Augustinus.

Augustinus Serm. 78. de tempore.

Genes. 25.

Christi humilitas imitanda.

Prou. 29.

FERIA SEXTA POST SECVNDAM DOMINICAM IN QVADRAGEsima, Concio, in qua lectio Euangelica explanatur.

THEMA. *Homo quidam erat paterfamilias, qui plantauit vineam*, &c. Matth. 21.

DVo sunt peccantium inter Christianos, Auditores, genera: alterum eorum qui aliquando humana infirmitate labuntur, dant tamen operam vt protinus à peccato per pœnitentiam surgant: alterū corū qui posthabita salutis suæ cura, aut semper aut ferè semper in luto peccatorum infixi iacent; & ita iacent, vt nullis admonitionibus ad meliorem mentem reuocari velint. Hi in maximo salutis suæ periculo viuunt? Ludimagistri cùm discipulum habent rudem, & prorsus inobedientem, tandem à se ablegant. Hunc communem morem à recta ratione profectum retinere cum hominibus Dominus solet. Vbi enim rebelles homines multis modis ad pietatis cultum traducere curauit, nec illi tamen ad oblatam lucem atque salutem oculos aperire voluerunt: ipsos tandē vel è medio tollit, vel in eisdem

Duo genera peccantium.

Simile.

tenebris iacere permittit. Attende quid Dominus per Prophetam dicat: *Erudire Hierusalem, ne fortè recedat anima meà à te, & ponam te terram desertam, inuiam & inhabitabilem.* Si enim post eiusmodi eruditionem homo ad se redire negligit: quid superest, nisi vt sibi ipsi relictus, in extrema mala dilabatur? *Age pœnitentiam* (ait Dominus in Apocalypsi) *& opera prima fac: sin autem, veniam tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo.* Radice arboris euulsa, spes omnis fructus simul aufertur: ita exstincto candelabro fidei (quæ totius spiritualis ædificij fundamentum est) omnis aliarum virtutum structura ruit. Videte quid obduratis Iudæis accidit: qui iam miserè exulãt vbique. Huius comminationis & status negotium apud Prophetas inuenimus. *Vos*, inquit Propheta, *vidistis omne malum, quod eduxi super Hierusalem, & super omnes vrbes eius.* Iudæi bis miserè deuastati sunt: primùm per Assyrios: secundò multò miserabiliùs, post aduentum & necem Domini Saluatoris, Romanis omnia populantibus. Hoc ipse Dominus prænunciauit his verbis: *Ecce ego mitto ad vos, &c.* Hac hodierna parabola ita agit sapienter & tectè, vt illi ipsi, cum quibus Dominus agebat, in se sententiam protulerint. Obstinatio & rebellio ad extremum omnium malorum viam munit. Imploremus diuinum auxilium.

Hiere. 6.
Homo cur à Deo deseratur.
Apocal. 2.
4. Reg. 17.
Iudæorum cõditio misera.
Hiere. 44.
Matt. 21.
Suo se iugulãt cladio.

AVE MARIA.

HOMO *erat Paterfamilias, qui plantauit vineã & sepem circũdedit ei, & fodit in ea torcular*, &c. Hæc parabola, Auditores, summo artificio excogitata, totam Israëlitici populi miserandam tragœdiam ante oculos ponit. Eius enim hic sensus est: Paterfamilias, qui vineam plãtauit, Deus est. Vinea verò plantata, Iudæorum populus erat, qui ab Ægypto eductus, in terram Cananæorum fuerat à Deo translatus. Seps verò quam ad eius custodiam circumdedit, ne bestiis aut furibus pateret, sanctorum Angelorum & Prophetarum custodia fuit, de quibus ipse vineæ Dominus ait: *Super muros tuos, Hierusalem, constitui custodes, tota die & nocte non tacebunt:* hoc est, nunquam à cura seruandæ vineæ conquiescent. Turris verò in medio vineæ posita, vnde prospectus ad omnia patebat, diuina prouidentia est, de qua scriptum est: *Turris fortissima nomen Domini: ad ipsam confugit iustus, & exaltabitur.* Torcular verò in ea defossum, in quo vuæ exprimuntur, lex Dei erat, quæ pœnarum metu, pietatis & iustitiæ succum à cultoribus suis exigebat. Agricolæ verò, quibus locata vinea fuit, vt eam diligenter

Parabolæ expositio.
Esa. 62.
Prou. 18.

exco

excolerent,& fructum eius vineæ Domino redderẽt, Sacerdotes, Scribæ, & Pharisæi intelliguntur, quibus prædicandæ atque exigendæ legis cura demandata erat. Nuncij verò, qui à Patrefamilias destinati, fructus à vineæ cultoribus exigebant, Prophetæ exstiterunt, qui diuinæ legis obedientiam (hoc est, pietatis & iustitiæ fructum) ab illis requirebant. Quos illi tamen (quoniam pro causa Domini acriùs instabant, eorumque perfidiam arguebant) multis modis vexarũt. Quosdã enim lapidibus obruerunt, quosdã ferro trucidarũt, quosdã medios secuerunt, cæteros autẽ variis suppliciis mactauerũt. Filius verò Patrisfamilias à patre missus, Christus Dominus fuit ab eisdem Prophetis prędictus, quẽ vineę coloni simili supplicio affecerũt. Hoc est enim quod Regius Propheta longè antè fuerat vaticinatus, cũ ait: *Lapidẽ quem reprobauerũt*, &c. Agit de viuis hominibus, non mortuis. Christus hîc Ecclesiæ caput (quem Iudæi erant reprobaturi) appellatur. Quid sequutum? *Auferetur à vobis regnũ, & alteri dabitur.* Quid calamitosius quàm priuari regno Dei? Hęc sententia lata est in electũ Dei populum. Hoc inter admirãda Dei iudicia cum primis memoratur. Siquidem tria præcipuè numerantur: nempe casus altissimi & pulcherrimi illius Angeli: deinde primi hominis lapsus (in quo vno tota simul posteritas cõcidit) ac postremò Iudaici populi ruina, quem sibi olim Dominus ex omnibus gentibus adoptarat in filium. Prima ruina ex superbia, secunda ex inobedientia, tertia ex perfidia, & diuinorum beneficiorum abusu orta est. Hoc autem diuinæ censuræ iudicium, maximum cordibus nostris timoris aculeum infiget, si eius causam paulò attentiùs expendamus, eamque cum moribus & vita nostra conferamus. De insigni illo Philosopho Platone memorat Plutarchus, multum eum aliorum delictis in virtutis studio, & sui ipsius cognitione profecisse. Videamus nos causam nostram, ne deteriores illis qui legem acceperant, simus; qui Euangelium percepimus. Principio igitur eadem illa beneficia, quæ Iudæi acceperunt, nos quoque accepimus, videlicet Angelorum custodiam, qua Ecclesiæ vinea septa atque vallata est: eandem quoque turrim in medio vineæ, hoc est, diuinæ prouidentiæ curam, quæ velut ex edito loco vigilantibus oculis totam Ecclesiæ vineam sine intermissione collustrat, quam Saluator ab hoc mundo discedens nobis pollicitus est, cùm ait: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus.* Idem etiã diuinæ legis torcular nos quoque habemus, cùm eadẽ apud nos Decalogi lex maneat: quæ partim minis, partim promissis succum à nobis exprimit pietatis atque

Iudæi qualiter nuncios tractarint.

Psal. 117.

Dei opera miranda qualia.

Plutarchus.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Matt. vlt.

Iudæis ac nobis quid commune. iustitiæ. Hæc nobis beneficia Dei cum illis communia sunt. At præter hæc ipsa quanta nos maiora sortiti sumus? Illi quidem legem acceperunt lapideis tabulis incisam; nos verò non in tabulis, sed in visceribus exaratam. Illi vnicum ad originalis peccati remissionem duntaxat Sacramentum, nempe circuncisionem habebāt, quod tamen vi sua gratiam minimè conferebat: *Sacramenta nostra septem.* nos Sacramenta septem habemus, quæ virtute sua sacramentalem gratiam dignè suscipiētibus conferunt. Illi vnicum in Orbe templum & altare vnum habebant, extra quod sacrificare nefas erat: nos in singulis cuiusque oppidi angulis tēpla multa & altaria habemus, ad quæ facilè Deum adoraturi cōfugimus. Illi boues & hircos in sacrificium Deo mactabant: nos Christi carnem & sanguinem (quem illa legis sacrificia adumbrabant) pro salute nostra quotidie immolamus. Illorum Sacerdos semel in anno pro peccatis populi oraturus, non sine sanguine Sancta Sanctorum intrabat; at noster summus Sacerdos, non per sanguinem hircorum aut taurorum, sed per proprium sanguinem semel ingressus in Sancta semper viuit ad interpellandum pro nobis. Pro illorum peccatis veniam Sacerdotes illi orabant: at Sacerdotibus nostris non solùm orandi, sed etiam *Anima digna intrat cælum.* peccata soluendi potestas data est. Post Christi mortem & resurrectionem (quo statim anima ad cælum euolat) portę regni cælestis, quæ clausæ fuerant, patefactæ sunt. Sunt & innumera virtutis adiumenta, Christi tot exempla & mysteria, Apostolorum doctrina, Martyrum & Confessorum scripta & exempla. Ecce tot nobis impensa beneficia. Hæc eius dona, admiranda illa Salomonis opulentia (quæ tantam argenti copiam, quantam lapidum intulit in Hierusalem) mirificè adumbrabat. *2. Para. 9.* Quā rem vnico verbo Dominus expressit, cùm de ouibus suis loquens, ait: *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* *Ioan. 10.* Quæ cùm ita sint, quis non videt, quantò maior nobis, si deses & ingrati simus, quàm Iudæis timoris causa subsit, qui tātò maiora quàm illi beneficia accepimus? Illi minoribus beneficiis abusi sunt; væ nobis, si maioribus. Apostolus nos vigilanter monet attendere, cùm ait: *Propterea abundantiùs oportet obseruare nos ea quæ audimus, ne fortè pereffluamus,* &c. *Hebr. 2.* *Prouinciæ cur à fide recesserint* Cur tot præclara Regna fidei lumen amiserūt? nónne quia nullos in iustitia & pietate processus habuerunt? Cur tot in luto scelerum manent? nisi quòd excæcati, ad meliorē mentem redire nolunt? Prospiciamus nobis, studiosè laboremus, vt pro tantis beneficiis grati simus, non ore, sed opere & veritate. Superest vt singulas Parabolę partes excutiamus, in quibus multa ali-

alia ad salutem necessaria obseruare poterimus. Hanc vineam munitam, & omnibus rebus instructã, Dominus locauit agricolis, vt opportuno tempore fructus vineæ Domino redderet. *Quid obsecro, Domine, tibi redditurisunt, cùm omnia, quæ sub cælo sunt, tua sint? Quis prior dedit illi*, &c. Idem Dominus in Psalmo: *Si esuriero*, &c. Quem ergo fructum omnia possidenti Domino agricolæ reddere poterunt? Audi Moysen post longam beneficiorum Dei enumerationem, quid pro illis idem Dominus exigat: *Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in præceptis eius, vt bene sit tibi?* Hic est fructus, quem à nobis Dominus exigit, salus, vita, & felicitas nostra. Gentilium dij sanguinem exigebant; at noster Dominus obsequium nostrum. Hunc autem vineæ fructum Apostolus designauit, cùm ait: *Nunc autem liberari à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Vide quæ nobis gratiæ agendæ! Quanta autem est dementia eorum, qui huic Domino recusant seruire? Valeat igitur mundus. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Locata igitur ad hunc modum agricolis vinea, ipse Dominus peregrè profectus dicitur. Quid est Deum peregrè proficisci, qui vbique est? qui cælum & terram implet? *Quò*, inquit ille, *ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiã?* Quomodo ergo alicubi non est, cũ vbiq; præsens sit? Adest planè, sed multis tamẽ abesse videtur: ideóque his peregrè proficisci dicitur. Adest vbique, iniquorum tamen cordibus longè abesse videtur. Aliàs cordibus nostris præsens: *Quoniam tu*, inquit Propheta, *possedisti renes meos, suscepisti me de vtero matris meæ.* Notior sum Deo, quàm egomet mihi: quare illi plus credere de me, quàm mihi credere debeo. Hac de re diuinus Psaltes ait: *Ipse enim nouit abscondita cordis.* Sic viri sanctissimi magno sæpe concutiuntur metu: qu ia licèt nihil sibi sint conscij, occulta tamen multa esse timẽt, quæ diuinis oculis sunt perspicua. *Numquid*, inquit Deo Iob, *oculi carnei tibi sunt; aut sicut videt homo, & tu videbis?* Ipse Deus, quamuis rebus omnibus præsens adsit, abesse tamen improbis quodammodo videtur. Omnia videt, mortalium oculis minimè videri potest. Sicut enim qui in obscuro aliquo triclinio sub meridiana luce delitescens, omnia, quæ contra posita sunt, videt, cùm is tamen à nemine videatur: ita diuina mens in hoc tenebrarum suarum latibulo incognita manens, omnia prospicit, omnia obseruat, omnia gubernat, cùm ipsa tamen à nemine videatur. *En ipse stat post parie-*

Rom. 11.
Psal. 49.
Deut. 10.
Dij Gentium quid exigant.
Rom. 6.
Psal. 119.
Psal. 138.
Augustinus.
Psal. 138.
Deo noti sumus.
Psal. 43.
Iob 10.
Simile.
Deo omnia aperta.

tem

Cant. 2. *tem nostrum*, inquit Sponsa. Hæc improbi non cogitant: quare sine fræno labuntur ad omnia scelera. Deus est illa lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Sed ad parabolæ explanationem redeuntes, cùm iam tempus fructuum appropinquasset, misit Dominus seruos suos, vt ab agricolis eos exigerent. Qui tanto in illos furore bacchati sunt, vt alios quidem cæderent, alios occiderent, alios verò aliis indignis modis ab ingressu vineæ arcerent. Maius quidem in hac repulsa, quàm in fructuum direptione crimen fuit. Nam si sup- *Matt. 18.* pliciter & blandè (vt seruus ille, qui decem millium talentorum debitor erat) veniam postulassent, ea Dominus clementia erat, vt supplicem erroris confessionem pro vineæ fructu libẽter ac- *Humilitas flectit Deũ* ciperet: tantum apud illum pietatis fontem virtus potest humilitatis. Fiat reus per humilitatem sui ipsius iudex, vt aduocatum efficiat, quem iudicem verebatur. Quod vinitores isti minimè fecerunt, qui superba illa repulsa, Domini sui nuncios non modò vacuos, sed etiam cæsos, & contumeliis affectos, remiserũt. *Fulgẽtius.* Verè illis continget quod B. Fulgentius ait: *Non punit Deus in peccatore peccata, nisi peccatoris ceruix fuerit obdurata.* Cæterùm cùm paterfamilias tot se nuncios frustrà misisse intelligeret, filium tandem mittere decreuit, dicens: *Verebuntur filium meum.* Quem illi tamen ex cogitato prauo cõsilio, simul & cupiditate hæreditatis inducti, extra vineam eiectum (vt priores nuncios) occiderunt. Annon vobis prauum horum hominum *Ioan. 11.* consilium, illa Pharisæorum verba exprimere videntur? *Quid facimus; quia hic homo multa signa facit*, &c. Hoc exemplo cernere apertè licet, quid humana consilia valeant, si Dei metu destituta sint. Vide quid prauum possit consilium. Oremus in *Consilium quis dirigat.* omni consilio, vt ille dirigat, à quo sancta desideria, recta cõsilia proficiscuntur: sine quo sapere desipere est. Sed quærẽdum, cur cælestis Pater miserit Filium, quem sciebat à perfidis agricolis reiiciendum? Responsum: Primùm quidem fuisse alios, qui reciperent, quorum gratia Filium misit. Deinde Deum naturali bonitate sua mortalibus cunctis misericordiam suã exhibere, quam tamẽ si quidã vitio suo repudiãt, in diuinæ iustitiæ commendationem vertunt, quod fuerat in laudẽ misericordiæ impensum. Oblata & repulsa salus, iustissimam punientis Do- *Exod. 11.* mini sententiam efficit. Exemplis plena sunt omnia. In Pharaone obdurato. Sciebat Hieremias rebellem populum, tamen ad eos missus est. Videmus improborum causam inexcusabilem, & diuinam iustitiam ab omni criminis nota immunem. Vide *Luc. 10.* quid discipuli, qui puluerem pedum in incolas, qui eos recipere nolu-

noluerunt, excutere iubentur, prætenderint. Videmus, non Domino, sed sibi ipsis damnationis suæ causam imputandã, propter rebellionem. Ait Dominus: *Dico vobis quòd Sodomis tolerabilius erit in die iudicij, quàm ciuitati illi.* Videamus ne diuina patientia ad perniciem nostram abutamur. Statuamus illud Dauidis ante oculos: *Deus iudex iustus, fortis & patiens: numquid irascitur per singulos dies?* &c. Non debemus autem nobis persuadere, quasi terminus sit lõgus, seu lõgè distet. *Certus homini cuique terminus, quod est tempus fructuum, præfixus est. Fata non seruant ordinem, vt seniores citiùs, & iuniores seriùs è medio tollantur.* Dominus solus in manu gestat claues, qui quemque suo arbitrio è vita excedere iubet. Hoc tantùm in hac re certum est, quòd nihil est omninò certum. Dominus nos vult esse præmonitos: *Vos similes hominibus exspectantibus dominum suum,* &c. Sic oportet nos semper tanquam milites expeditos, in statione agere. Exemplum desidiæ habemus in sacris literis, vbi habitatores Lais, filij Dan repentino suo aduentu imparatos adorsi, ad internecionem ceciderunt. *Tantò quisque*, inquit D. Gregorius, *securiùs Dominum exspectat, quantò quotidie vitã suã suspectiùs examinat.* Audiuimus quanta fuerit Domini in sua excolenda vinea sedulitas, ita vt per Prophetam non incongruè dixerit: *Quid vltrà debui facere vineæ meæ, & non feci?* Misso inde post Apostolos & Prophetas vnigenito Filio, quem alium aut maiorem, aut meliorem, ad spiritualis vineæ fructus exigendos mittere potuisset, qui nos magis auctoritate commoueret, beneficiis alliceret, & tantæ bonitatis & charitatis exhibitione ad omnem pietatem & obedientiam flecteret? Omnia per ipsum tum scripturarum vaticinia impleta, tum omnia salutis nostræ adiumenta plenissimè exhibita sunt, ita vt verissimè dixerit: *Consummatum est.* Quid aliud sperare aut desiderare hominum vota potuissent? Alliciat nos spes, incendat amor, excitet virtus, honestatis studium nos ad hunc amandum prouocet. Hæc tanta diuinæ bonitatis dignatio, omnes noui Testamenti Sanctos ad certamina omnia propter Christi amorem subeunda impulit. Ad huius autem summi beneficij considerationem nos Apostolus inuitat, cùm ait: *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem,* &c. Hoc ipsum & de seipso testatur: *Christo confixus sum cruci: Viuo autem iam non ego, viuit in me Christus.* Hæc res sanctissimos viros ad pietatem & iustitiam vehementer acuebat, verùm nos, si fuerimus desides & negligentes, valde premet. Multa sunt, quæ

Matt. 10.

Psal. 7.

Terminus vitæ incertus.

Seneca.

Luc. 12.

Iudic. 18.

Gregorius.

Esa. 5.

Christo nihil præstãtius.

Ioan. 19.

Hebr. 1.

Galat. 2.

quæ nos ad pietatem prouocant, verùm si non præstiterimus, grauiter delinquimus. Hoc apertè idem Apostolus testatur, cùm ait: *Irritam quis faciens legem Moysi, absque vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur*, &c. Argumentum hoc vehemens & acre, quo Lectio siue Parabola hæc confirmatur. Si enim à Iudæis regnum Dei ablatum, & ad Gentiles translatum, quòd ij acceptæ legis beneficio abusi sint: quid illos expectare par est, qui præter legis beneficium, Euangelij gratiam & Christi sanguinem frustrà perceperunt? Magna Deo contumelia irrogatur, cùm lethaliter peccando eius gratia repudiatur, & Dominus maiestatis è mentis nostræ domicilio pellitur, ac pro eo Diabolus malorum omnium auctor admittitur. *Euangelium est virtus Dei in salutem omni credenti: ita & in Euangelio reuelatur ira Dei de cælo*, &c. Vtrunq; ergo in Euangelio reuelatur, & misericordia Dei, & iustitiæ seueritas. Qui ergo tanto lumini rebellis est, non alio quàm æterno ignis supplicio vindicandus est. Ioannes Baptista securim ad arboris radicem positam prędicat. Nos sanè in maiori sumus discrimine modò, quàm Iudæi olim, qui longè maioribus beneficiis adiuti, si nihilo magis in virtutis studio profecerimus, Dominus vbi de illo angulari lapide mentionem fecisset, subiecit protinus: *Et qui ceciderit super lapidem illum, confringetur*. Duo improborũ genera significantur. Alij sunt confringendi, alij conterendi. Primum genus sunt Iudæi & infideles, quibus crux Christi scandalum est, qui offenderunt ad lapidem offensionis. Alij verò sunt super quos decidens lapis illos conterit. Hi sunt qui habent fidem, opera verò non habent. *Melius*, inquit Petrus, *erat illis, viam veritatis non nosse*, &c. Perit inanis fiduciæ solatium eorum, qui se sola informi fide salutem assequuturos sperant, imò magis premit. Enitendum ergo nobis est, vt perceptæ semel fidei strenuè collaborantes, sic vitæ cursum conficiamus, vt laboris simul & fidei fructum à Christo Domino in æterna beatitudine percipere mereamur. Amen.

Hebr. 10.

Peccatum quid mali inferat.

Roman. 1.

Euangeliũ quid reuelet.

Matth. 5.

Infideles cõfringuntur.

2. Pet. 2.

Fides sola nõ saluat.

DOMI

DOMINICA TERTIA IN QVADRAGESIMA, CONCIO, IN QVA lectio Euangelica explanatur: insuper multæ salutares & valde necessariæ scitu doctrinæ tractantur.

THEMA. *Erat Iesus eiiciens Dæmonium, & illud erat mutum.* Luc. 11.

IN Euangelica lectione, homo quidam à Dæmone obsessus, idem mutus, à Domino liberatur: quo signo edito, varia deinde hominum iudicia secuta sunt. Turbæ enim admiratæ, dixerunt: Num hic est filius Dauid? Alij verò tentantes, signum è cælo quærebant: alij autem liuore & malitia excæcati, in Beelzebub, principe Dæmoniorum, Dominum eiicere Dæmones blasphemabant. Vnum quidem exstitit miraculum, & tam multa ac varia de eo fuerunt hominum iudicia. Cur ita? Nimirum, quia varia erant hominum pectora: ideóque non pro rei natura, sed pro suo quisque ingenio sentētiam ferebat. Araneus & apis eundem florem carpentes, ille venenum, ista mel conficit. Pluuia in terram decidens, variísque plantis alimenta ministrans, in cicuta venenum, in vite vinum, in cæteris arboribus pro earum natura varios fructus floréſque producit. Ita planè homines nunquā ferè res ex natura sua, sed ex ingenio quisque suo æstimare solent. Hinc boni viri ex animi sui candore omnia in meliorem partem interpretantur: mali verò pro libidine, ac liuore suo etiam quæ bona sunt, intorquent ac deprauant. Quam enim malitiam ex natura sua res non habet, ipsi de corrupto pectore subministrant. Quod iam hodie quoque piis & improbis in Ecclesia contingit. Illi enim redemptionis humanæ beneficio, & Ecclesiæ Sacramentis ad salutem suam vtentes, meliores indies fiunt: hi verò tantorum beneficiorum virtute freti, vitam in luxu & otio consumunt. Quid enim magis præposterum, quàm ex purissimo hoc fonte, vnde gratiarum fluenta haurire debuisses, cœnum haurire; & ex tam salutari apotheca, qua vulneribus tuis mederi potuisses, venenum sumere? Vt ad Euangelij tractationem cum fructu accedamus, diuinum priùs imploremus subsidium.

Hominum iniqua iudicia.

Simile.

Piorum & improborū discrimen.

AVE

AVE MARIA.

Satanæ malitia.

NARRAT S. Lucas oblatum Domino Saluatori fuisse à
Dæmone obsessum hominem, cui Dæmon hospitalitatis iure
tria contulerat beneficia. Hospitem namque suum & cæcum
fecerat, & surdum, & mutum. Hæc enim tria sunt, quæ præcla-
rus hic hospes non in corporibus modò, sed etiam in mẽtibus
eorum quos obsidet operatur. Vbi verò Dominus Dæmonem
ab obsesso corpore expulit, protinus hæc omnia mala cum au-
ctore suo depulsa sunt. Hoc insigne miraculum à quibusdam
malitiosis calumniatum est. Quid aliud à nostra malitia spe-
randum erat? quid verò aliud ab immẽsa bonitate Christi pro-
ficisci poterat? Quæritur cur Dominus (sine cuius voluntate

Dæmones cur vexent homines.

Cicero.

moliri quicquam Dæmones aduersus homines nõ possunt) pa-
tiatur homines ab illis obsideri, imò & vexari? Quęstio nõ dis-
similis illi apud Ciceronem: Si Deus omnia nostri causa fecit,
cur viperas procreauit? Si Deus est conditor & amator homi-
num, cur à tartareis illos viperis & obsideri & torqueri finit?
Causæ à Patribus afferuntur. Prima, vt hac ratione, quales sint
gehennæ cruciatus, vtcunque coniicere valeamus: quo sic vi-
tam nostram instituamus, ne in horum carnificum manus in-
cidere cõtingat. Quid innuit quòd ille diues Lazarum ad suos

Luc. 16.

destinari petiit? Perferimus corporis incommoda ob sospita-

Dolor gehẽnæ æternus.

tem; quare non magis pœnitentiæ labores subimus? Gehennæ
cruciatus infinitis partibus grauiores sunt, vt fides Catholica
prædicat, quàm corporis. Secunda, Dominum id ad exercen-
dam patientiam & virtutis meritum cumulandum permittere.
Vt videlicet malorũ nostrorum auctor Dæmon, coronarum &
meritorum materiam illi ministraret. Multi variis affecti in-
commodis, Deum quærunt, quem intacti & illæsi nunquam

Mala corporis stimuli sunt virtutum.

quæsiuissent. Incommoda igitur sunt, quasi stimuli, quibus
nos Deus ad se reuocat. Tertia causa, vt intelligamus hac ra-
tione, quid in obsessa per peccatum anima Dæmon operetur,
cùm quid in corporibus efficiat, animaduertimus. Vide quo-
modo hunc miserum hominem tractauerit, quem penè omni
sensus expertem reddidit: quod quidem spiritualiter in h
efficit, in quos peccati iure dominatur. Spiritus cælestis d
operam, vt simus apti ad omne opus bonum, infernalis autem

Latrones manifesti quales.

vt reprobi. Dicuntur esse insignes quidam latrones, qui ita al-
quorum diuitum mentes veneficiis quibusdam perturbant,
afficiunt, vt illis etiam præsentibus, & opes suas diripi cern-
tibus, nihil moueantur. Simile quiddam serpens ille antiq-

cu

cum plerisque hominibus fecisse videtur: quorum ita animos dementauit, vt hæ tantæ res (quæ nos ad pietatem & iustitiam adigere deberẽt) nihil eos moueant, quamuis plenissimam illis fidem adhibeant. *Erat Iesus eijciens Dæmoniũ, & illud erat mutum. Et cùm eiecisset Dæmonium, locutus est mutus.* Tria in his nobis, quæ proposui, cognitione dignissima significari videntur. Primùm, quæ mala & incommoda sint, quibus Dæmon animam afficit, quam obsessam tenet. Deinde, qua vi & ratione hæc tanta mala depelli, & pristina salus restitui possit. Postremò, quæ præcipua restitutę salutis signa & indicia sint. Adducitur ad Iesum dæmoniacus, quẽ spiritus malignus sua malitia, & mutum, & surdum, & cæcũ fecerat. Satanas tam maleuolus spiritus est, vt noctu diúque nihil aliud meditetur, quàm quomodo hominem in totum perdat; & tam potẽs est spiritus, vt non tantùm queat hominem cæcum & mutum reddere, verùm etiam, si diuinitus non impediatur, hominẽ vno momento prorsus occidere, adeóque cælum terræ miscere. Oramus à malo liberari. Statim à creatione hominis cœpit insidiari nobis, & incommodare, nec vnquam mutabit animum. *Tanquam leo circuit, quærens quem possit deuorare.* Christus in hunc mundum venit, vt soluat opera Diaboli. Quicquid hic homo mali habebat, à spiritu immũdo habebat. Hîc sanè videre licet, quid nobis à Christo sperandum, quid à Satana timendum. *Simon,* inquit Christus, *ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum.* Nobis dormientibus, ille cum suis satellitibus vigilat. Fecit hunc mutum à laude Dei, & actione gratiarum, & à confessione peccatorum. Iam qui hunc fortem armatum suo atrio pellere deberet, & vinctos soluere, & spolia distribuere, nemo potuit, nisi ille esset fortior. Quis autem illo fortior, nisi Dei Filius? Quamuis enim homo sui compos, & libero arbitrio sit præditus; ad hoc tamen opus nisi diuina virtute adiutus, impar est. Imò verò tantum abest vt ipse per se à peccato emergere queat, vt, sicut auis laqueo capta, quò magis auolare nititur, eò fortiùs laqueo stringitur; sic homo potest quidem sibi mortem cõsciscere, potest laqueo se suspendere; sibi tamen mortuo opẽ ferre non potest, nec malum depellere, quod sponte suscepit. Hæc eò pertinent, vt intelligamus, sine speciali Dei auxilio nec Dęmonem ab anima pelli, nec nouam vitam inchoari. Eodem etiam auxilio opus est, vt in accepta semel salute persistamus. Adest tibi diuinum auxilium? *Oportet vt & tu resuscites gratiam quæ data est tibi à Domino Deo.* Quid aliud à te Dominus exigit, quàm vt quo studio fragilia hæc bona, vitamque

Satanas malignus.

1. Petr. 5.

Luc. 22.

Armato quis fortior.

Simile. Homo vt se perdat.

1. Tim. 4. Gratia resuscitãda.

terrenam captas, eodem cælestem, cælestiáque consecteris? En, Auditores, quid facto nobis opus sit, quò spiritus nequam ab anima pellatur, & pro eo Spiritus Christi substituatur. Vtrumque enim diuinæ virtutis opus est, cui tamē opera quoque nostra iungenda: *quia non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.*

2. Tim. 2.

Superest nunc tertiò, quænam sint expulsi Dæmonis argumenta & signa, diligenter inspicere. Hoc autem paucis Euangelista significasse videtur, cùm subdit: *Et cùm eiecisset Dæmonium, loquutus est mutus.* Nec loquutus modò est, sed etiam videndi & audiendi facultatem recepit. Restitutio ergo sensuū, expulsi Dæmonis argumentum fuit. Ad hoc sciendum est, Dæmonem ex anima pelli non posse, nisi Deo in illam ingrediente. Vnde

Simile.

sicut solis ortus tenebras fugat, & diē efficit: ita ingressus Dei in hominis mētem, peccatorum tenebras, & tenebrarum principem pellit: Dæmone verò pulso, qui hominem & cæcum, & mutum, & surdū reddiderat, protinus cæcus videt, surdus audit & mutus loquitur. Hæc igitur tria sunt, quæ Dæmonem ab anima pulsum declarant.

Dæmon vt pellatur.

Quòd si Dæmone recedente Deus aduenit; consequens primùm est, vt omnia prioris vitæ peccata cum ipso auctore peccati Diabolo expellantur. *Deus autem noster ignis consumens est*, consumit autem quicquid ei contrarium est: nihil autem illi nisi peccatum aduersatur, ideóque sicut splendor lucis tenebrarum horrorem discutit, ita innocentiæ auctor mortifera peccata omnia à suo templo depellit. *Domum* quippe *eius decet sanctitudo in longitudine dierum.*

Hebr. 12.

Psal. 92.

Verbū Dei audire debemus.

Deinde etiam necesse est, vt qui cæcus antè fuerat, clarè videat. Iustificatio quippe hominis sine peccati detestatione, & amore Dei, esse non potest. Deinde necesse est, vt qui videndi potestatem iam recepit, audiat; hoc est, ita verbum Dei cordis auribus percipiat, sicut Dominus in hac lectione explicauit, cùm ait: *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Sic enim Sanctus ille Propheta se audire profitebatur, cùm diceret: *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradido,* &c. Sic & Iacobus nos audire monet, cùm ait: *Estote factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos,* &c.

Esa. 50.

Iacob. 1.

Simile.

Nihil iuuat faciem in speculo cernere, nisi eius maculas tergas: ita nihil confert animæ sordes in diuini verbi speculo videre, nisi eas diligenter absterseris, & vitam tuam ad normam doctrinæ cælestis effingas. *Non enim auditores legis* (ait Apostolus) *iusti sunt apud Deum,* &c. Hoc ergo modo quisquis à Dæmone liberatus est, diuina eloquia audire debet. Solutis iam auribus, superest vt lingua quoque soluatur, & loquatur mutus. Quid igitur? ānon

Roman. 2.

loqu-

loquuntur qui in peccato sunt? Certè Deo non loquuntur, quamuis hominibus loquantur. Loquatur ergo mutus hic in confessione, in oratione, & in gratiarum actione. Hęc enim triplex loquutio gratissima Deo est. Os quod anteà mendaciis, conuiciis patebat: nunc ad ista mutum & elingue fiat, diuinis verbis pateat. *Si quis loquitur, quasi sermones Dei.* His indiciis confessionis ac pœnitentiæ nostræ fructum hoc sacro tempore diiudicare poterimus. Idem námque Sacerdos in Sacramento confessionis agit, quod Christus in hoc miraculo operatus est, Christus Dæmonem ab obsèsso corpore eiecit, Sacerdos verè Dæmonem ab anima pellit. Si pulsus, ob tuam reuertitur leuitatem, nequior septem spiritibus erit. Vide ne confessio sit informis, dum te non meliorem sentis. Si non sentis morum & vitæ mutationem, graue sanè indicium est, vel informem confessionem fuisse, vel te iterum acceptam gratiam amisisse: quod quidem non leue reprobationis indicium esse, præsentis Euangelij Parabola docet. Vbi enim expulsus ab anima Dæmon, rursus eam inuadit, & occupat, *fiunt vtique nouissima hominis illius peiora prioribus*, quia quod malum anteà curari faciliùs potuisset, post tot Dæmonum ingressum lõgè difficiliùs curatur. Cùm ergo cælestis Magister miserum hominem à tam periculosissimo hospite liberasset, calumnias & mendacium contudisset, tum quomodo fortis ille armatus, qui in sua fiebat virtute, superari potuisset, luculenter edocuisset; ac ne iam illo superato & expulso, eò dementię veniremus, vt illum rursus admitteremus, ne posteriora prioribus fierent multò deteriora: hanc se dignam, nobísque salutarem maximè protulit sententiam: *Omne regnum in se diuisum, desolabitur, & domus supra domum cadet.* Quibus verbis vt maximè dissidia atque odia damnat, ita pacem & concordiam summoperè cõmendat. *Concordia* enim (vt quidam sapienter ait) *paruæ res crescunt: discordia maximæ dilabuntur.* Hinc Propheta ad pacem & concordiam summo studio nos hortatur, cùm inquit: *Inquire pacem, & persequere eam.* Et Apostolus: *Si fieri*, inquit, *potest, quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Quam quidem pacem vix quisquã retinere diu poterit, nisi qui iacturas omnes temporalium rerum, pro quibus homines maxima ex parte digladiari, litésque contendere, & pacis vincula rumpere solent, facilè perfert. Quod quidem vix alius præstare poterit, quàm qui spes omnes, opésque suas in vno Deo repositas habet: ipsúmque vnum sibi ad omnia sufficere arbitratur. Ex pace enim cum Deo constituta, pax cum proximis oritur. Qui enim

Rom. 12.

Sacerdos quid agat.

Cõfeßio sit fructuosa.

Concordia ambienda.

Psal. 32.
Rom. 12.

Pacis encomium.

hoc modo cum Deo pacẽ habet, amissis opibus, diues est; vulneribus conscissus, sanus est: quia Deum intra se habet salutis & libertatis suæ custodem ac vindicem. Si enim Philosopho illi, direpta atque incensa ciuitate sua, dicere licuit, nihil sibi periisse, sed omnia bona sua secum se portare; quippe quòd Philosophiæ disciplinam in illo communi incendio non amisisset: quid eum dicere par est, qui bonorum omnium fontem nullis fortunæ casibus obiectum intra se gestat? Quisquis igitur talis est, pacem vtique cum hominibus conseruabit; si tamen pacem ipsam omni thesauro pretiosiorẽ iudicauerit: tum enim pro rebus nihili tantum hunc thesaurum perire non patietur. Itaque si vel res ipsa, vel pax periclitatur, facilè id patitur perire quod minus est, ne quod maius est, pereat. Quod serpẽtes facere videmus, qui totum corpus ictibus & vulneribus exponunt, ne caput, vnde vita manat, vllo modo lædatur. Cuius rei clarissimum nobis magnus Gregorius Theologus præbuit exemplum, qui maluit Episcopatui cedere, quàm pacem (quæ tum periclitabatur) non seruare. Hac igitur ratione viri sancti pacem conseruant, quiduis potiùs quàm eam sibi perire volentes. Quod quidem exemplum cùm ad omnes in commune proponamus; tum iis qui matrimonio iuncti sunt, maximè commendatum volumus: quandoquidem nullius rei terrenæ possessio coniugali pace possit esse iucundior. Qui verò in se priuatis contentionibus & affectibus diffident, in hac vita positi, gehennæ statum auspicantur, duplicemque gehennam videlicet præsentem & futuram, experientur. *Tria*, inquit Ecclesiasticus, *sunt quæ probata sunt coram Deo & hominibus: Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentiẽtes.* Quicunque ergo ad hanc pacem aspirant, primùm quidem à Deo illam studiosissimè petant: qui solus habitare facit vnius moris, siue vnanimes, in domo. Is enim in Ecclesiæ fidelium multitudinem ex tam diuersis & discrepantibus inter se ingeniis collectam copulauit; vt esset omnium cor vnum, atque anima vna in ipso. Non oportet hîc quemque ius suum tueri mordicus; alioquin pax & incolumitas stabilis & retineri diu non potest, Domino teste, qui ait: *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur.* Domus aut ciuitas, si fuerit diuisa, velociter dissipatur, & etiam regnum, licèt sit validissimum. *Firmat enim & regnum, & domos, concordia ciuium.* Diuisum est cor eorum, nunc interibunt. Subdit deinde aliam causam, cùm ait: *Qui non est mecũ, contra me est.* Ergo multò magis contra me Dæmones erunt, qui non modò non sunt mecum,

Pacem boni colunt.
Simile.
Sub Theodosio Imperat.
Visio pacis qua.
Eccles. 25.
Actor. 4.
Concordiæ bonum.
Osee 8.

etiam studiis & conatibus meis semper obsistunt. Quomodo ergo cõsensus & amicitia esse poterit inter eos, quorum studia atque opera vsque adeò diuersa & pugnantia sunt? Hîc quoque duo genera hominum designauit Dominus, extra quæ tertium reperiri non poterit. Alterum quidem eorum, qui charitatis glutino illi copulati sunt; qui non sibi, non mũdo, sed vni illi seruire student: alterum eorũ qui diuersa ratione ab eo disiuncti, cupiditatibus suis & mundo seruiunt. Hos igitur, quos apertè constat cum Christo non esse, consequens est, vt eius aduersarij ac proinde hostes eius, & membra Diaboli sint, quo quid esse miserabilius potest? D. Augustinus duas in mundo ciuitates, nempe Hierusalem & Babylonem esse ait, quas duplici amore, Dei videlicet, atque sui, ædificari testatur. Hierusalem námque ædificat amor Dei, perueniens vsque ad contemptum sui: Babylonem verò amor sui, pertingens vsque ad contemptum Dei. Interroget ergo se quisque quid amet; & intelliget vnde sit, & cuius ciuis sit. Ciuis supernæ ciuitatis, qui extranea minùs ad se pertinere reputat, cum Propheta dicit: *Quæsiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram. Hic est in mundo tanquam hospes & peregrinus. Nostra conuersatio in cælis est.* Agimus in præsenti sacra lectione de possesso à Dæmone, quem inter cætera corporis incommoda mutum quoque fecit. Quia verò hoc tempore Confessarij nõnulli muti sunt; de eorum officiis hîc aliquid tractemus. Nemo oratione consequi potest, quàm multis modis Dæmon hîc Confessarios hoc tempore mutos reddiderit: alij enim, vel ex ignorantia, vel ex ignauia muti sunt: cùm rudes pœnitentes, qui peccata sua explicare nesciunt, nihil adiuuant. Confessarij est, peccatoris & peccati circumstantias inquirere, aduersus futura peccata pœnitentem remediis imbuere, consiliis contra Dæmonis insidias armare. Est enim medicus non tantùm iudex ad cognoscendã causam, sed præstandam vulneribus medelam destinatus. Item Confessarius debet pœnitentem inducere ad restitutionem, si proximum læsit in fama, si quicquam abstulit rerum ipsius. Videat ne illa Saluatoris sententia eum arguat: *Si cæcus cæcõ ducatum præbeat, ambo in foueam cadunt.* Videat vt peccandi occasiones amputentur. Sed mirum quòd Dæmon tam multos mutos fecit & elingues ad suã crimina detegenda, quos ad committenda disertissimos reddidit. Summum malum summo odio detestandum est. Ex cõfessione, aut æterna mors, aut æterna pendet vita. Hæc aliàs commodiùs tractabimus. Cùm Dominus hæc aureo ore perorasset, mulier quædam, quæ tum aderat in

Christo quĩ adhæreãt, qui cõtrarij sint.

Augustinus lib. de Ciui. Dei.

Psal. 26. Ephes. 2. Philip. 3.

Cõfessarius mutus.

Confessarij officium.

Matth. 15.

turba, sic in admirationem doctrinę eius rapta fuit, vt velut extra se posita, in illam vocem erupent: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Cui Dominus, non abnuens matris præconium, sed maiorem eius gloriam declarans, ait; *Quinimò: beati qui audiunt verbum Dei*, &c. Reuera beatior fuit Maria percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi. Vna est secundùm carnem mater Christi; secundùm spiritum tamen, quisquis verbum Dei audiens, retinet in animo, & operatur, is spiritualiter efficitur mater Christi: *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei*, &c. Huius ergo tantæ beatitudinis participes fieri possumus, si hac eadem cura & studio verbum Dei, quod proponitur, audiamus. Quod vt præstare semper possimus, diuinæ gratiæ opem, eiusdem Virginis sacratissimæ interuentu, suppliciter ambiamus. Amen.

Augustinus. Mater Christi quæ. Ambros. Matt. 12.

FERIA QVARTA POST TERTIAM DOMINICAM IN QVADRAGESIMA,

Concio, Euangelicam explanans lectionem, quæ sit vera & quæ falsa religio; de honore item parentum, & liberorum educatione tractat.

THEMA. *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me.* Matth. 15.

Res quæ vel natura vel arte constant, quædam sunt veræ, quædam verò falsæ (nummi sunt veri, sunt & adulterini) ita in moribus nostris, quædam sunt veræ, quædam falsæ virtutes. Iustitia quædam est vera, quædam falsa; sic est vera & ficta humilitas, vera & fucata religio. Ficta erat Pharisæorum, qui solis labiis, non præcordiis, Dominum honorabant: *Populus hic labiis me honorat*, inquit Christus. Vera autem religio erat eius qui ad Dominum dicebat: *In toto corde meo exquisiui te*, &c. Et eius item qui dicebat: *Testis est mihi Deus, cui seruio in spiritu in Euangelio Filij eius.* Tales erant illi de quibus scriptum: *Erant ambo iusti ante Deum, incendentes in omnibus mandatis eius.* Quia verò frequenter homines decipimur specie recti, ne fallaci quoque religionis specie decipiamur, erit sanè operæpretium de vera & falsa religione in præsenti Cōcione differere, vt hodiernum proponit Euangelium.

Fucata & vera religio. Esa. 29. Psal. 118. Philip. 1. Luc. 1.

Vera religio est in interna cordis puritate, falsa autem in externis operibus, charitate & Spiritu diuino destitutis, sic internam animi puritatem attollere & commendare debemus, ne in hæreticorum errorem incidamus, qui externa opera virtutum, sacrasque Ecclesię cęremonias sacrilega temeritate damnarunt. Cuius autē sint virtutis, familiari & quotidiano exemplo cernere licebit. Vt enim calor à corporibus nostris procedens, vestes, quibus amicti sumus, calefacit, ita vestes ipsæ sic calefactę, corpus ipsum à quo calorem perceperunt, calefaciunt, & à frigoris rigore defendunt. Hoc igitur & externa virtutum opera, & sacræ ceremoniæ faciunt; quæ sicut, cùm rectè fiunt, à charitate manant, ita ipsum charitatis fontem, à quo manant, perficiunt, augent, atque tuentur. Agemus de simulata Pharisæorum religione, illud hîc præmonitos vos velim, nę sic in eorū mores oculos coniiciatis, vt etiam vos ipsos introspicere negligatis. Frustra carpimus aliorum vitia, nisi & nostra emendemus, ex eorum detestatione.

Hæreticorum impietas.

Simile.

AVE MARIA.

QVALIS falsa sit religio, & quæ illam vitia consequantur, meliùs planè Pharisæorum exemplo, quàm oratione nostra intelligere licebit: quorū falsam religionē Dominus in hodierna sancti Euangelij lectione aptè describit: quæ Matthæo referēte sic habet: *Tunc accesserūt ad Iesum ab Hierosolymis Scribæ & Pharisæi.* Hoc est, posteaquā Dominus multa & insignia miracula in regione Genezarenorum edidisset, accesserunt ad eum Scribæ & Pharisęi. Scitis iam Scribarum nomine legis Doctores intelligi: Pharisæorum autem genus quoddam hominum designari, quod erat eo tempore populari opinione celebre, qui seà communibus cæterorum hominum moribus & vita separauerant, dissimilique habitu & cultu, & quibusdam externis ceremoniis, sanctiorem viuendi rationem profitebantur. Hoc autem genus hominum opinione quidem sua religiosum, re autem vera sceleratum, cùm multis aliis, tum præcipuè duplici morbo laborabat, auaritia & ambitione. Auaritiam notauit Lucas, qui Domino contra diuitiarum cupiditatem disserente, de illis ait: *Audiebant hæc Pharisæi, qui erant auari, & deridebant eum.* Hoc morbo correpti, peruersa dogmata populo tradebant, quæ ipsi in auaritiæ officina fabricauerant. vide Matthæum c.25. Alter eorū morbus ambitio erat. Hæc (quæ est virtutum ærugo) faciebat, vt primas, cathedras in synagogis, &

Scriba qui. Hieronymus.

Pharisæi quales in moribus.

Luc. 16.

Pharisæorum vitia qualia.

Ioan. 12. salutationes in foro amarent,& vocari ab hominibus Rabbi. Amabant magis gloriam hominum quàm Dei. Virtutes sunt duplices; internæ & externæ: internæ diuinis oculis sunt conspicuæ; externæ hominum oculis patent. Illi quia popularem captabant auram,externam colebant virtutem. Testatur Saluator,cùm eos ait omnia sua opera facere,*vt viderētur ab hominibus*. Habebant Dominum in ore, cor eorum longè aberat.*Vos*,inquit Christus,*estis qui iustificatis vos*, &c. Hi Scribæ & Pharisæi solo habitu & vultu reuerendi,magnamq; religionis & auctoritatis speciem hac ratione præ se ferentes,ab Hierosolymis egressi,accedunt ad Dominum,dicentes: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum?* Indignũ planè facinus,seniorum Patrum cõtemnere traditiones,quæ pro Dei legibus habẽdæ sunt. Sed quæ sint illæ traditiones neglectæ,videamus.*Non lauant manus suas cùm panẽ manducant*. O scelus! quale crimen, intende. *Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus*. Vide quid ambitio. Quid dementius ac magis etiam ridiculum,quàm in ablutione manuum religionem collocare? Diuini illi homines hoc nomine discipulos arguunt: *Non lauant manus,&c.* Mirus religionis ardor! Ad sua facinora erant talpæ, ad aliorum,lynceos habebant oculos. *Festucā vident*: quæ diuinum offendunt numen,prorsus negligunt. Sic boni illi viri nolebant Pilati prætorium introire,ne hoc ingressu contaminarentur,qui iam necem conceperant animis in Dominum. Sic minima curamus,maxima negligimus. Odium in animo habere non curamus. Hanc rem ridiculam Domino obiiciunt;ille contrà obiicit grauiorē: *Quare vos transgredimini*,&c. Dominus clauum clauo retundit. Cùm enim Deus parentes honorare,hoc est,non solùm reuereri,sed illis etiam subuenire præceperit:vos contrà,liberos ab huius obseruatione præcepti reuocatis,cùm subsidia parentibus,in templi munera commutare doceris. Pium quidem & religiosum est,cùm facultas suppetit,templi cultum honestare muneribus: sed cùm parentes egent,& vtrumque homo præstare non potest;parentibus potiùs subueniendum est. Hoc enim præcipitur,illud consulitur. Præcepta sunt consiliis anteferenda. Venatores,qui beluas captant,ceruorum sibi tergora obuoluunt; plumatisque tuniculis amiciuntur,qui ad aucupia exeunt: sic animarum venator Dæmon,virtutis habitum præ se fert,vt honesta specie imponat. Sic sunt quidam liberales in pauperes,qui vix induci possunt, vt famulis, siue creditoribus, sua soluant stipenda. Est communis humanæ naturæ morbus,vt propensior semper ad officia

Virtutes duplices. *Matth. 6.* *Luc. 18.* *Superstitio Pharisæorum.* *Matth. 7.* *Ioan. 18.* *Honor hic pro subsidio.* *Canon obseruandus.* *Simile.* *Dæmõ venator animarum.*

officia voluntaria sit, quàm ad necessaria. Melior tamē est obedientia quàm victimæ. Magnum est sacrificium, cùm homo sibi ipsi renunciat, cùm seipsum à se abalienat, & in alterius tradit potestatem. Pharisæos Dominus acri obiurgatione ferit, dicēs: *Hypocritæ bene prophetauit de vobis Isaias, dicēs: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorū,* &c. Virus semper in maximo habita est pretio, non tantùm apud Christianos, verùm etiam apud Gentiles. Qua autē pietate & studio Deus velit à nobis coli, non à Philosophis discere nos oportet, verū ab ipso magistro veritatis Christo, qui breui oratione rem omnē cōplexus est. Homo constat corpore & anima, fidelis homo ac perfectus constat internis & externis virtutibus. Internæ virtutes sunt, fides, spes, charitas, humilitas, cęteręque virtutes similes. Externæ sunt, quæ corporis adminiculo exercentur, quales sunt eleemosyna, abstinentia, cæremoniæ, diuinæ laudes. Vtrisque virtutibus ornatus Dei seruus esse debet. Vt anima præstat corpori vitam; ita externa virtus, si ab interna virtute non procedat, nihil habet meriti. Omne igitur pij hominis studium in puritate cordis ponendum est. *Omni custodia serua cor tuum, quoniam ab ipso vita procedit.* Ab ipso & bona opera, & operum dignitas, & operandi alacritas procedit. Hic ignis excitandus in corde, idque charitatis virtute. Hîc summoperè curandum vt ordinem illum, quem præceptores in artium tradendis disciplinis obseruant, seruemus. Hi enim non à difficilioribus eius disciplinæ partibus (quæ rudes adhuc discipulorū animos deterrere possunt) sed à facilioribus initium capiunt. Ita & paulatim nos ad altiora conscendere decet. Hæc commoditas quatuor modis acquiritur. Prima, quòd hæc deuotionis studia vnicuique sint ad manum. Secunda, quòd bona rudimenta pietatis ad omnem virtutis laborem, & ad omnia opera externa manum porrigant. Noua gratia, nouus Spiritus (sicut ignis abscondi non potest) nouos in homine excitat motus. Tertia vtilitas, quòd hæc charitas (quæ ex bona intentione debet fieri) dignitatem & meritum externis actionibus præbeat. Quarta, quòd hæc charitas hominem ad quælibet opera bona reddat promptissimum. Abrahā erat iussus de cognatione sua exire, qui non modò Domino morem gerebat in exeundo, verùm etiam in exilium ire paratus erat. Charitas iugum Domini suaue facit. In his non agit lex, sed ipsa charitas eos impellit. Mater diligit filiū vnicum, non ob legem, verùm ob nimiam charitatem. Hoc idem piis mentibus euenit, in quas Deus Spiritum filij misit clamantem, Abba pater. Qui enim sic

1. Reg. 15.

Virtutes externæ.

Prou. 4.

Simile.

Salus quibus acquiratur modis.

Fortis vt mors dilectio.

affectus est, non modò diligit quod diligendum est, sed etiam odit quod odio habendum est. Sic oportet Deum tota mente diligere; illi vt placeas desiderare; omne peccatum detestari. *Confitebor*, inquit Propheta, *in directione cordis, in eo quod didici iudicia iustitiæ tuæ.* Hanc cordis directionem & puritatem Pharisæi negligebant, qui labiis Deum honorabant, similes parentibus suis. *Et dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei: cor autem eorum non erat rectum cum eo*, &c. Vera igitur pietas in hac directione & puritate cordis, & in charitate, & vera cordis humilitate posita est. Hîc nemo potest excusari, non pauper, non diues. *Et diues*, inquit Moyses, *non addet ad medium sicli, neque pauper minuet.* In hac religionis professione omnes esse debent æquales. Omnes enim æquales quodammodo in hac parte sumus, cùm neque diuina gratia vlli desit, & quisque voluntatis & arbitrij sui dominus sit. Auspicemur nos vitam nouam, internam animi curam primo & summo loco habentes, ac deinde externa virtutum opera copulantes: vtraque enim necessaria sunt, vt sit homo Dei perfectus, & ad omne opus bonum instructus. *Quæsiuit lanam & linum*, dicitur de muliere illa forti. Duobus his nominibus, lanæ & lini, duplices virtutes insinuasse videtur, internas scilicet & externas. Lanea quippe externa, linea verò interna vestis est. Summas teneat partes interna, quæ mundi oculis abscondita, diuino cõspectui patet. Videãt Sacerdotes & religiosi multi, ne Deum ore solùm honorẽt, sed & corde; ne dũ vocis harmoniã frequentant, negligant pietatẽ. Attendendũ quod D. Augustinus ait: Psalmis & Hymnis cùm oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore. Videant illi, qui malunt finem orationis, quàm principium. Indignum sanè est, inde damnum reportare vnde lucrum referre deberemus: atque inde sordes contrahere, vnde omnes animi sordes eluendæ essent.

Psal. 118.
Psal. 77.
Pietas vera vbi sit.
Exod. 30.
Prouer. 31.
Augustinus.
Religiosi quid cogitare debeant.

Deinde cælestis Magister volens non modò discipulos, sed populum etiam, qui aderat, ab errore liberare, turbis ad se vocatis, ait: *Audite & intelligite: Nõ quod intrat per os, coinquinat hominẽ*, &c. Cùm hæc Dominus de Pharisæorũ cæcitate dixisset, Petrus, qui minus illam Domini sententiam de cordis & oris inquinatione intellexerat, eius explicationem ab eo quæsiuit: *Edissere nobis parabolã istã*, &c. Quibus verbis Dominus & puritatis & impuritatis, iustitiæ & iniustitiæ fontem, cor hominis esse, apertè declarauit. Tales enim aquarum sunt riuuli, qualis fons est vnde scaturiunt. Nec enim idem fons salsam & dulcẽ potest facere aquã. Quo fit vt ex affectione & caliditate

Fons & riuuli eiusdẽ aquæ.
Iacob. 3.

cordis, opera quæ ex eo manant, diiudicanda sint. Intentio operi tuo imponit nomen. Dauid populum ex animi elatione numerare iussit; Moses ex Domini imperio: ille à Domino accusatur, hic verò iure laudatur. Ecce duo artifices eisdem instrumentis fabricant: vnius opus bonum est, alterius malum. Discipuli cùm intelligerét, oratione Christi Pharisæos offensos, ad Dominũ dicũt: *Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt.* Quibus Dominus: *Omnis*, inquit, *plantatio*, &c. Hoc est, sicut agricola terram priùs spinis sentibúsq; repurgat, quàm sementem iaciat; ita diuini verbi sator, priùs errorũ atque prauorum dogmatum sentes è mentibus hominum euellere debet, quàm pura diuini verbi semina, salutarémque doctrinam in illorum cordibus serat. Vnde Dominus Hieremiæ Prophetæ cõmittit, vt priùs euellat, destruat, atque disperdat, deinde verò ædificet & plãtet. Subdítque protinus: *Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorũ.* Nihil miror, cæcos duces in foueam cadere, hoc est, seipsos in gehennam præcipitare: qui cùm cæci sint, non verentur tamen aliorum se duces, & magistros infantium, & doctores insipientium profiteri. Horum damnatio iusta est. Multi dum corpore ægrotant, adhibent peritissimos medicos: dum animo, rudes & imperitos. Ex corporum morbis mors sequitur momentanea: ex animorum, æterna mors, & luctus. Horum ignorantia est perniciosa planè.

Simile.

Simile.

Verbum Dei serendum.

Ignorantia perniciosa quæ.

Nunc ad præceptum Domini de parentũ honore redeamus. Hoc præceptum accepimus ab ipsa natura non docti, sed imbuti. Ipse enim naturæ conditor, vt probitatis amãtissimus, virtutum semina animis nostris inseuit. Inter hæc autem virtutum semina præcipuus maximéque naturalis est animi quidã motus & propensio, qua ad parentũ honorem non solùm erudimur, sed etiam incitamur. Quæ quidem obligatio adeò efficax est, vt cùm parentes, natura ipsa instigãte, magis filios diligant, quàm diligantur ab eis: attamen si casus incidat, vt pater pericliteur, teneris magis patri subuenire, quàm filio, si in eodem esset periculo. Quam etiam vim bruta quoque animantia, & immanes feræ nõ ignorant. Vulgatissimũ est exemplum Ciconiarum, quæ parentes suos in senectute ita alunt, vt ipsæ à parentibus, dum pulli essent, enutritæ & alitæ fuerunt. Huius piæ auis exemplo docemur, cùm aliàs, tum maximè senectutis tempore parentibus adesse, eósque iuuare, educationis beneficium ab illis acceptum rependere. Ad quos Ecclesiast. nos inuitat: *Fili, suscipe senectam patris tui, & ne contristes eum in omni vita tua: & si defecerit sensu, veniam da illi.* Hinc quoque sanctus

De honore parentum.

Ciconiarũ exemplum Ambrosius in Exam.

Diuina prouidentiæ cura. Ecclesi. 3.

Tob. 4. sanctus ille Tobias ad filium: *Omnibus diebus vitæ tuæ, honorem habebis matri tuæ. Memor enim esse debes, quæ & quanta pro te passa est in vtero suo.*

Natura lex. Hæc lex, quam à natura ipsa hausimus, sufficere debuisset: sed supernus virtutum amator & auctor vsque adeò voluit filios parentum suorum curam gerere, vt non contentus hac lege, quam ipse in eorum mentibus naturæ calamo descripserat, voluerit, & eã expressiùs digito suo in talibus lapideis ita exarare, vt primũ locum in secunda tabula huic præcepto dederit, vt sicut Dei cultus primum locum, ita parẽtum honor similem primatus dignitatem obtineret. Nec hoc contentus, huic vni præcepto, inter cætera omnia, præmium, dum legem sanciret, apposuit: *Vt sis*, inquit, *longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi. Honora*, inquit Apostolus, *patrem tuum, quod est mandatum primum in promissione.* Indignus sanè longa vita esse videtur, qui auctoribus & altoribus vitæ ingratum se ac difficilem præbet. Qui honorat patrem suum iucundabitur in filiis. Iustissimo Dei iudicio fit, vt qui pius in parentes suos exstitit, pios etiam erga se filios habeat. Aduersus immorigeros filios seuerissimas minas adiecit: *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Si genuerit homo filium contumacem*, &c. *Benedictio patris firmat domos*, &c. *Vide Iacob, qui benedictionem ab Isaac accepit*, &c.

Exod. 20. Ephes. 6.

Parẽtibus obediendũ.

Leuit. 20.

Deut. 21.

Eccles. 3.

Egimus de honore parentibus exhibendo à filiis; nũc de parentum cura & prouidentia in liberis educandis & instituendis pauca dicemus. Est enim hæc obligatio reciproca, vt videlicet sicut filij parentum, ita parentes filiorum curam gerant. Hac igitur de re, quatuor tractanda esse video. Primùm, quàm sit honesta & liberalis educatio filiis necessaria: deinde quo iure ad eam parentes teneantur: tum quo potissimùm tẽpore ea sit exercenda: ac postremò quõnã modo sit peragenda. Liberalis educatio facit, vt tota hominis vita tranquillè peragatur. Multi parentes sunt, qui maioris faciunt suos nummos, aut sua pecora, quàm liberos. Aliter Ecclesi. monet: *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella*, &c. Naturali iure tenentur parentes filios honestè educare. Nec solam alimentorum parentes, sed multò magis morum ac studiorum curam gerere debent. Aliter bruta, aliter homines fœtus suos educare tenentur. Hominis bonum summum non in corpore sed in animo, in Deo situm; huc omnis eius cura & diligentia referenda est, vt filius per virtutum iter incedens, ad summum bonum rectà incedat.

Vide libellum Plutarchi de educatione liberorũ.

I.

Eccles. 30.

II.

Parentes liberis quæ debeant.

III. Hæc educatio statim à natiuitate: cùm filiorum ratio propter

ætatis

ætatis ignorantiam & ruditatem imperfecta est, incipienda est. *Curua*, inquit, *ceruicem eius in iuuẽtute*, &c. Facile est enim teneros adhuc animos componere. Difficulter rescindũtur vitia quæ nobiscum creuerunt. Adeò à teneris consuescere, multum est. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Liberos parentes in primis instituant, vt pietatem & iustitiam colant, vt ipsi sint forma virtutũ. *Gloria*, inquit Sapiens, *hominis ex honore patris sui, & dedecus filij, pater sine honore. Benedicat*, ait Gabelus ad Tobiæ filium, *te Deus Israël, quia filius est optimi viri & iusti, & timentis Deum.* Sic Deus filios ob parentũ virtutem multis aliquando ornat beneficiis. Hoc enim Dominus pollicitus est, cùm ait *se punire peccata in tertiam & quartam generationem, facere autem misericordiam in millia, his qui diligunt se.* Vt autem paterna probitas in filiorum salutem & gloriam redundat: ita contrà parentum impietas multis in rebus filiis nocere solet. Beata Monica filium Augustinũ tum genuit mundo, tum & Deo. Curẽt igitur parentes, vt ita instituant suos liberos, ne eos gehennæ, sed Dei filios efficiant. Adsit bonus cœptis semper Christus. Amen.

Eccles. 30. Seneca. Prou. 22. IIII. Eccles. 3. Tob. 7. Exod. 20. Parentes qui noceãt filiis. Blancha mater Ludouici regis optima.

FERIA SEXTA POST TERTIAM DOMINICAM IN QVADRAGESIMA, Concio, in qua Euangelica lectio explicatur, & de vera & falsa hominis felicitate agitur.

THEMA. *Iesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.* Ioan. 4.

INTER Christianæ religionis officia, Auditores, maximè commendatur vitæ & mortis Domini Saluatoris assidua meditatio. Cuius rei cùm multæ sint & maximæ vtilitates, illa præcipua est, quòd ea potissimùm ad diuinæ bonitatis cognitionem (quæ salutis nostræ fundamentum est) mens humana consurgit. Sic enim Apostolus ait: *Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis in facie Iesu Christi.* Hoc est, Deus qui initio mundi, hanc lucem, qua fruimur, condidit, ipse splendore gratiæ suæ corda nostra illuminauit, vt nos quoque alios ad eiusdem gloriæ cognitionem illuminaremus: quę eius gloria præcipuè lucet in facie Christi,

Christi mortis meditatio vtilis. 2. Cor. 4. Alia claritas Christi, alia Mosis.

hoc

hoc est, in admirandis sacrosanctæ humanitatis eius mysteriis & beneficiis. Vide, Christiane homo, vt in his Dei operibus sedulò mediteris, & mentem tuam reficias. *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Hoc studium nobis proponere debemus, & non solùm ad externam operum Domini faciem contemplari, sed ad intima charitatis eius penetralia pertingere, vnde illa opera profecta sunt. Ipse in illa ouium comparatione declarat, qua nos dilectione amauit: *Sicut*, inquit, *dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* Nullæ opes cum dignitate piorum sunt comparandæ. Ex hoc charitatis fonte, qui ex pectore Christi scaturiebat, tam multi labores, & acceptæ iniuriæ, & tot riui sanguinis emanarunt. Hinc etiam illa salutis nostræ ardentissima sitis, quam is in cruce prodidit, cùm se sitire dixit. Potuit illi mundus vitam eripere, charitatem tamen eius, & salutis nostræ sitim extinguere non potuit. Hæc sitis illum vicos & castella circumire faciebat, vt omnibus in locis salutis & pietatis suæ impressa vestigia relinqueret, & animas à Diaboli potestate ereptas, ad pietatis & iustitiæ studium traduceret. Vt igitur concionem cum maiori fructu prosequamur, ad Dei nos auxilium conuertamus.

Cant. 4.

Ioan. 15.

Christi sitis quæ.

AVE MARIA.

DOMINVS Iesus cùm consuetæ misericordiæ suæ munus exequeretur, & lustrata Iudęa pergit in Galilæã: *Venit ad ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædiũ quod*, &c. De hoc prædio scriptum est in Genesi: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam possedi in gladio & arcu meo de manu Amorrhæi. In arcu & prece possedit. Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed spiritualia potentia Deo. Iesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem: hora autẽ*, &c. Hora sexta iuxta nostrã supputationem duodecima hora erat. Nihil ergo mirum, si hac hora Dominus fatigatus, iuxta puteum sedit. Nam & ęstus, & fames, & sitis, & itineris labor (cùm Dominus pedes iter faceret) illum verè fatigauerant. *Fatigatus autem sedebat sic supra fontem.* Particula, *Sic*, aliud quiddam desiderat. *Sedebat sic*, quasi homo infirmus, quasi vnus è plebe, quasi viator lassus, quasi non esset is rerum conditor omnium, per quem omnes recreantur. Tales fatigationes & incommoda Dominus sæpe pertulit. Non enim ad otium, ad quietem, sed ad labores, ad pugnas, hic Sol iustitiæ, qui venerat omnes illuminare, missus erat. Hæc omnia ad nostram salutem peregit. Videmus eius in nos

Genes. 48.

1. Cor. 10.

Iesus fatigatus.

nos flagrantissimam charitatem, qui nusquam sibi pepercit. Nocte perdurabat in oratione: die populum cælestibus præceptis informabat. Ait verè Propheta: *Non me inuocasti Iacob,&c.* Videmus nostram negligentiam, dum non consideramus medici solicitudinem. Nos in otio viuere volumus, ille in laboribus. Et nunc ait Moyses, *Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te,&c.* Quòd autem sit lassatus Dominus, per quem omnes recreantur, non sine causa fuit, erat eius magna charitas, magnus item error dispersarum ouium, quas quærebat. Apud Prophetam Ezechielem, de hoc errore ait: *Errauerunt greges mei in cunctis montibus & in vniuerso colle excelso, & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat qui requireret.* His autem verbis Dominus communẽ cunctorum ferè mortalium errorem, & erroris causam declarauit. Omnes ad æternam beatitudinem (quam & desiderant) conditi sunt: verùm quòd non assequantur, illorum fit culpa. *Oues,* inquit Propheta, *errarunt in cunctis montibus, & dispersæ fuerunt super omnem faciem terræ.* Hoc quoque conqueritur Dominus, per Hieremiam sub dispersarum ouium similitudine, his verbis: *Grex perditus factus est populus meus, pastores eorum seduxerunt eos, fecerúntque vagari in montibus.* Erat magnus error gregis, ideò, *vnigenitus Filius hominis venit in hunc mundum, saluum facere, quod perierat.* Quare non mirum est si fatigatus ad puteum sedit, qui tantam nostri gratia prouinciam susceperat. Meritò Saluator respondisset, si quis ab eo quæsiuisset, *Quid hîc agis, Domine, cur te tot crucias laboribus?* quod olim Ioseph: *Fratres meos quæro. Sunt enim os meum, & caro mea; dabo operam, vt eos ad caulas suas,* hoc est, in paternam domum, *reducam.*

Esa. 43.
Negligentia nostra.
Deut. 20.
Ezech. 34.
Hier. 50.
Luc. 19.
Ioseph quærit fratres suos.
Genes. 37.

Sedens autem Dominus supra fontem, corpore quiescebat, animo nõ. Cogitabat fatigationis & laboris sui causas *Et cùm tanta,* inquit Ioannes, *signa fecisset inter eos, nõ credebant.* Et, *Mirabatur propter incredulitatem illorum.* Cogitabat insaniam populi, quòd in medicum insurgebant. Hæc cura magis Dominum, quàm labores omnes, quámque ipsa mors, fatigabat. Veniamus ad mulierẽ Samaritanam: *Venit ergo mulier è Samaria, vt hauriret aquam:* quam dum quærit, vitam, quam nõ quærebat, inuenit. O admiranda Dei iudicia atque opera! Quàm verè ab Apostolo dictum est: *Non est volentis, nec currentis, sed miserentis Dei.* Vide qualis hæc mulier: misericordiam consecuta est nolens. Erat cultrix idolorum, pro viro lenonem habuit. Hæc deformata tot maculis, ad fontem illum, salutem

Ioan. 12.
Marc. 6.
Christus cur fatigatus.
Rom. 9.

Respectus personarũ apud Deũ non est.

animæ, venit. Hanc diuina pietas respexit, extulit & nobili-
tauit, & apostolam fecit. Sic ex piscatoribus Apostolos, ex pu-
blicanis Euangelistas, ex persecutoribus Doctores facit. Nobis
ipsis gratulemur, qui tam beneficum & clementem habemus
Dominum: qui si talis est in non quærentes, qualis erit in quæ-
rentes, & toto illum corde diligentes? Sed ad historiam redea-
mus. Ait igitur Dominus mulieri: *Da mihi bibere.* Cui illa: *Quo-
modo*, inquit, *tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier
Samaritana?* &c. Hoc planè in hui⁹ seculi diuites maximè qua-
drat; qui pauperes à se vel cibum, vel potum, vel lacerā vestem

Deus in paupere est.

suppliciter petentes, contemnunt. Si scirent quis in paupere la-
tet, quis petit, illi magis ab eo pro temporali cibo æternitatis
alimoniam peterent. Hanc rem mēdicus præbet, cùm stipem à
te exigit, qui veridicum fideiussorem Christum habet, æternā
tibi pro frusto panis mercedem pollicētem. *Tu*, ait, *forsitan pe-
tisses ab eo.* Hîc nostra in petendo (*forsitan*) negligentia, non il-
lius in donando auaritia accusanda est. Quocirca non dubium,
quin aquam viuam acciperes, si suppliciter ab eo peteres. *Om-*

Luc. 11.

nis enim *qui petit, vt debet, accipit.* Aqua viua, est gratia Spiri-
tus sancti, quæ veram animæ vitam præstat. Petit Dominus bi-

Christi cibus & potus quis.

bere. Talis Domini sitis, talis potus, qualis eius cibus. *Meus*, in-
quit, *cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me.* Quod
autem aliud eius opus, quam mundi redemptio, & animarum
salus est? Hic Domini cibus, hic potus, hæ deliciæ. Quod esu-
rit, quod sitit, salus nostra est. Hîc interim scire nos oportet,

Sitis nostra perpetua.

omnes, quamdiu in hac vita degimus, perpetua sitī laborare.
Omnes semper ad æternam beatitudinem adspirare debe-
mus: cæteræ res caducæ saturare nos non possunt. *Qui bibe-
rit ex hac aqua sitiet iterũ.* Nemo enim terrenis bonis haustis,
hanc sitim sedauit, nemo vnquam veram animi quietem & fe-
licitatem per illa consecutus est. Sed quid mirũ, si non inueniat
felicitatem, qui illam extra fontē suum quærit? Quid enim ex-
tra naturæ suæ destinatum locum, quietum esse poterit? Qui
autē verus sit fons, ablato errore, ipse Christus aperire digna-
tus est, cuius aqua cordis nostri sitim sedet. *Qui autem biberit
ex aqua, quā ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Magna quidem
& admiranda promissio, taliq; sponsore digna. Quid enim ma-
ius aut amplius homini contingere in vita potest, quàm hanc
à natura nobis insitam sitim extinguere, & à tam multis la-
boribus, quibus eam sedare nitimur, liberari? Pergit Domi-
nus mysticè huius aquæ naturā, vt cœperat, explicare. *Sed aqua
quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitā æternam.*

Con

Comparat his verbis Dominus spiritualem cum carnali ac terrena felicitate. Hæc enim nullo modo æstuantis animæ sitim sedat, sed frequenter auget. De iis qui extra Deum felicitatem in terrenis bonis quærunt siue illi diuites, siue pauperes sint, scriptum est: *Errauerunt in solitudine & in inaquoso, esurientes & sitientes; anima eorum in ipsis defecit.* Quibus verbis Propheta & mundi sterilitatem, & eorum qui mundanas opes cōsectantur, sitim & anxietatem designauit. Illa sunt nostri iuris, quæ nos felices reddere valent. Beatitudo nostra in solo Deo collocanda est: qui præterquam quòd summum bonum & vniuersale est, adeò possidentis est proprium, vt à nemine, nisi volente, eripi possit. Multa sanè de diuinæ gratiæ natura sub elementi aquæ similitudine Dominus insinuauit: dum eam & aquam, & aquam viuam & salientem in vitam æternam, & quæ semel hausta, sitim perpetuò exstingueret, appellauit. Aqua, corporum sordes abluit; gratia verò, animarum inquinamenta diluit: *Effundam*, inquit Dominus, *super vos aquam mundam*, &c. Aqua terram germinare facit; hoc facit diuina gratia in anima. Sic homo iustus arbori plantatæ iuxta aquarum decursus, comparatur. Improborum anima est sterilis, de qua ait Propheta: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Aqua temperat calorem vehementem: sic gratia diuina temperat ardores carnis. Hæc diuinæ gratiæ conueniunt. Cùm huius aquæ auida mulier, eam à Domino petisset, vt molestia eundi redeundiq; ad puteum leuaretur, dixit illi Dominus: *Vade, voca virũ tuum.* Hoc autem dixisse videtur, vt ex eius respõsione occasionem captaret seipsum illi detegendi. Quod ita factum est. Intellexit mulier ex Domini responsione, eum Prophetam, dicēs: *Domine, vt video, Propheta es tu.* Videte quid faciat animus odio & inuidia liber. Pharisæi post tot admiranda Domini signa, peccatorem insanum, & Dæmoniacũ esse dicebant. Hæc mulier vnico verbo Domini admonita, & Prophetam, & Christum esse prædicat. Paulatim ergo & per incrementa mulier profecit ad fidē. Primò illum Iudæũ appellauit, deinde Dominum, exinde Prophetã, ac postremò Christum confitetur. Et ita confitetur, vt relicta ad fontem hydria, cucurrerit in ciuitatem, & tanto ardore Christi gloriam prædicauerit, vt Samaritanorum multi ad eum venientes, simili fidei lumine illustrati, ipsum esse mundi Saluatorem crederent. Relinquit hydriam, tanquam terrena bona, vt expeditior ad Christum adspiret. Sic duo discipuli regressi nunciauerunt Sacramentum resurrectionis Dominicæ. Tanta est cælestium rerum dignitas (quod &

Psal. 106.

Beatitudo nostra vbi.

Aqua collata cum Dei gratia.

Ezech. 36.

Psal. 1.

Psal. 142.

Mulier agnoscit Christum.

Luc. 24.

diuinus Plato cognouit) vt vbi homines cęlesti lumine irradiati, ad spiritualium rerum dignitatẽ planè eleuãtur, iam illis res omnes terrenæ euanescere, & pro nihilo haberi incipiãt. Quod nobis Euangelicus ille mercator insinuauit, qui vbi pretiosam diuini Spiritus Margaritam inuenit, facilè quæ habebat, omnia distraxit, vt illam sibi compararet. Quoniam qui cælestis vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admittit perfectè cognouit; quæ in terris amauerat, cuncta derelinquit. Hanc Margaritam quæramus; non modò hydriam cum Samaritana, sed nos ipsos (hoc est, incompositos animę affectus & cupiditates) relinquamus, auaritiam, odium, inuidiam ab anima nostra pellamus: carnem cum vitiis in sacrificium Domino offeramus. Quæstionem autem tanquam vero Prophetæ de adorationis loco proponit: *Patres*, inquit, *nostri in monte hoc adorauerunt*, &c. Cui Dominus: *Mulier, crede mihi, quia venit hora, in qua*, &c. Hoc est, non de loco adorationis admodùm soliciti erunt (vbique locorum est adorãdus Pater, qui vbique est) sed in hoc soliciti erunt, vt in spiritu & veritate illum adorent. In spiritu, vt illum intimo affectu, & charitatis feruore colant, diligãt, adorent, de illo rectè sentiant. Sic enim fiet, vt duæ principes vires (nempe intellectus & voluntas, quarum cęteræ imperium motumque sequuntur) illius obsequio plenissimè addicãtur. Subdit autem Dominus spiritualis huius cultus dignam tali doctore rationem. *Spiritus*, inquit, *est Deus*, *& eos qui adorant eum, in spiritu & veritate*, &c. Scitum est illud Ecclesiast. *Omne animal diligit sibi simile*. Et: *Volatilia ad sibi similia conueniunt*. Constat enim similitudinem amoris esse conciliatricem. Cùm enim amor omnis (teste Aristotele) à sui amore procedat: ideò qui seipsum diligit, sibi quoque similem perinde atque seipsum diligit. Ex iis ergo locis illud primò colligimus, vt qui vtiliter Deum orare & adorare velit, non solo strepitu labiorum instar hypocritarum, sed præcipuè interno animi affectu & deuotione illũ orare & adorare studeat. Ad quod nos Apostolus inuitat, cùm orare omni tempore in spiritu, & psallere atque cantare in cordibus nostris Domino, admonet. Externus cultus Deo gratus est, quatenus interiori consentit. Sed ad historiæ seriem redeuntes, vbi Dominus hæc ipsa perorasset, Samaritana huius Philosophiæ ignara, respondit: *Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus*. Tunc Dominus plenissima infinitæ suæ gratiæ fluenta aperiens, arcanum hoc tota animi religione suspiciendũ, aperta oratione prodidit, dicens: *Ego sum, qui loquor tecum*. Itaque quod aliàs Dominus rectè & dissimulãter prodidet

Matt. 13.

Gregorius in Homil.

Deus vt adorandus.

Ecclesi. 13.

Eccle. 17.

Ephes. 6.

Cultus Deo gratus quis.

Ephes. 3.

derat, huic mulieri adeò perspicua oratione reuelauit, vt nullis hoc verbis clariùs patefieri potuisset. Mysterium illud, quod ab initio seculorum absconditum erat in Deo viuo, abiectissimæ mulierculæ, sine vllis verborũ inuolucris declarat. Deus infirma mundi elegit, vt cõfunderet fortia, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. Ne verò quisquam hoc aut mirum aut nouum putet, simile quiddam in hoc visibili Sole depreheđet. Is enim splendore suo obscura quidem illustrat; lucida verò & splendida quodammodo obscurat. Luna enim & stellæ, quæ absente Sole splendent, præsente eo fulgorem suum minimè ostendunt. Quod planè ipse iustitiæ Sol de se confessus est, cùm cæco à se lumine donato ait: *In iudicium ego veni in hunc mundum*, &c. Quò enim persona vilior, eò diuina gratia, quæ illam prouehit, apparet illustrior. Vbi verò mulier hãc Domini sententiam audiuit, subitò ex Samaritana efficitur Euangelista: vt intelligas verum esse quod scriptum est: *Facile est in oculis Domini subitò honestare pauperem.* Vide quomodo hæc aqua salit in vitam æternam, & in alios effluit, quia viua est. Hinc diuus Augustinus: *Vbi, inquit, gustaueram Domine lumen tuum; frendebam quòd aliis ostendere non possem.* Apostolus autem vbi arcana cælestia vidit, continuò ingressus Synagogas, prædicauit Iesum. Sic Andreas vbi à Domino vocatus est; vocauit Petrum fratrem suum. Tunc vnaquæque res perfecta est, cùm potest sibi similem procreare. Sic Moses tandem inductus vt consentiret ad eductionem filiorum Israël ex Ægypto; vbi Dominum agnouit, maluit è libro deleri, quàm non prodesse populo. Quæ cùm ita sint; non mirum est, si mulier hæc sui suarumque rerum oblita, tanto studio & ardore in ciuitatem properauerit, vt, quem ipsa thesaurum inuenerat, cæteris communicaret.

Mulieri quid manifestatũ. *Simile.* *Ioan. 9.* *Eccles. 11.* *Actor. 9.* *Matth. 4.* *Aristoteles.* *Mosis diligẽtia erga populũ.*

Intereà reuersi discipuli, Dominum ad prandium inuitabant, dicentes: *Rabbi mãduca.* Quibus ille ait: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Cumque illi hærerẽt, & inter se mussitantes quærerent, num quisquam illi prandium attulisset; ille cõtrà: *Meus cibus est, vt faciam voluntatẽ eius qui me*, &c. Quæ verba ardentissimæ charitatis facem, quæ in sacro illo pectore æstuabat, facilè declarant, dum cibum suum peccatorũ cõuersionem esse testatus est. Illud maximè est proprium bonitatis, se in omnia diffundere, ac de omnibus bene mereri. Hoc sanè per Prophetam exprimit, cùm ait: *Et lætabor super eis, cùm eis benefecero: & plãtabo eos in terra ista in veritate, & in toto corde meo, & in tota anima mea.* Faciliùs à Sole lucem, à niue candorem, & ab igne calorẽ, quàm à summa bonitate benefaciẽdi

Hiere. 32. *Christus bonitas ipsa.*

studium abstuleris. Qua ex re colligere licet, quo animi ardore Seruatorẽ nostrum diligere, & illi obsequi debeamus, qui tanta alacritate salutis nostræ negotium operari dignatus est. Hoc salutis nostræ opus, Auditores, à nobis exigit, vt vnicum eius auctorem ante oculos habeamus, illum ardentissimè cõplectamur, pro illo mori gloriosum putemus, illũ semper cogitemus, illius beneficia meditemur; vt præsentibus eius bonis grati, futura deinde percipere mereamur. Præstante Domino Iesu.

QVAE SIT VERA, ET QVAE SIT *falsa hominis felicitas, paucis hîc agitur.*

Luc. 17. REGNVM *Dei intra vos est.* His Domini verbis ad Pharisæos, obiectioni propositæ aptè respondemus: nempe regnum Dei, hoc est, veram hominis felicitatem, intra nos, hoc est, in mente nostra esse quærendam: quæ vt spiritualis, ita etiam inuisibilis est; & carnalibus oculis abscondita, diuinis oculis solùm patet. Quod vt apertiùs intelligamus, imaginem huius felicitatis nobis D. Franciscum proponamus. Hic dum nobiscum ageret in mundo, erat humillimus. At si quis mentis oculos in illius mentem iniicere posset, ibi regnum Dei cerneret. Talis erat & ille magnus Paulus, primus Eremiticæ vitæ cultor: qui & coram mundo erat incognitus & abiectus; at Deum intra se habebat, qui vnus illi omnia vitæ subsidia atque solatia longè cumulatiùs quàm cætera mundi bona præstabat. Constat homo corpore & anima: anima est præstãtior corpore. Vnde constat etiam duplicia esse hominis bona; alia quidem corporis, animi verò alia, quæ tantò sunt corporis bonis nobiliora, quantò anima corpori præstat. Cùm igitur felicitatis ratio bona omnia complectatur: quis adeò demens erit, qui illam in solis corporis bonis, animi bonis prorsus neglectis, esse collocandã putet, nisi qui porcinam animam habuerit? In hisce igitur animi bonis, summi etiam Philosophi felicitatẽ hominis posuerunt; quæ quoniã spiritualia & inuisibilia sunt, humanis oculis minimè cernuntur. Huius felicitatis typum gerebant aquæ illæ Siloe à Domino commẽdatæ, ab improbis tamen spretæ atque neglectæ, quæ fluere cùm silentio perhibentur; hæ veram homini quietem & felicitatem tribuunt, & humani cordis sitim exstinguunt. Hoc autem felicitatis genus Apostolus insinuauit, cùm ad Colossenses scribens, ait: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Cupiditatibus enim mundi

S. Frãciscus homo felicissimus.

Paulus Eremita.

Bona duplicia.

Isa. 8.

Coloss. 3.

mũdi mortui, spiritualibus diuitiis atque deliciis in Deo fruebantur, quas mundus neque percipere, neque agnoscere potest. Rectè diuus Bernardus ait: *Cui Deus incipit dulcescere, necesse est vt mundus amarescat.* Vt enim cæli sidera ante meridianam lucem splendorem suum tueri nequeunt: ita carnalia & terrena bona ante spiritualium rerum splendorem prorsus euanescunt. Oportet igitur vt carnis & mundi certamen diuina ope superemus; vt quò magis in virtutis curriculo versamur, eò nobis omnia eius officia faciliora & iucundiora reddantur. Hunc igitur primum laborē deuoremus, assiduisq́; precibus hanc cælestem aquam postulemus. Nequaquam enim illam piè petentibus negabit, qui nos ad petendum inuitat, cùm ait: *Tu fortassis petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.* Petamus, pulsemus, dabit petentibus: qui est benedictus in secula. Amen.

Mundus quando amarescit.

Simile.

DOMINICA QVARTA IN QVADRAGESIMA, CONCIO, IN QVA Euangelica lectio explanatur: item de eleemosynæ virtute, quæ ad peccatorum remissionem plurimum valet, tractatur.

DEVENIMVS, Auditores, ad Dominicā Lætare, quæ ad lætitiam nos inuitat. Quid sibi vult hæc tam insperata ad lætitiam inuitatio? *Musica* enim *in luctu, importuna narratio* esse perhibetur. Per hoc sacrum tempus illa vox Domini in auribus nostris resonat: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio*, &c. vbi non ad gaudium, sed ad planctum inuitamur. In causa esse videtur, quòd persuadeat sibi Ecclesia, multos esse iam filiorum suorum, qui sacri huius temporis beneficio ad meliorem mentem redierint, & à peccati morte surrexerint. Hos ergo solùm bona spe sustentare, & ad veniæ fiduciam, spiritualémque de resurrectione sua lætitiam, his verbis animare incipit. Hac enim de causa ait: *Gaudete in lætitia, non quidem omnes, sed hi solùm, qui in tristitia fuistis. Beati* enim *qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Tristitia illa, quæ secundùm Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Angeli in cœlo de peccatore pœnitentiam agente gaudent*, quantò magis de sua pœnitens ipse salute gaudere debet? Viride lignum in igne positum, simul & lacrymatur & ardet: sic verus pœnitens simul & tristetur & gaudeat. Annon gaudere debet, qui peccatum vicit? qui Dia-

Eccles. 22.

Ioël. 2.

Ecclesiæ opinio qua.

Matth. 5.

2. Corin 7.

Luc. 15.

Simile.

boli iugum à se excussit? qui cum Deo in gratiam rediit? Sic pius ille pater frugi filio ait: *Epulari & gaudere oportebat; quia frater hic tuus mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est.* Verùm lætitia præsens ad eos solùm pertinet, qui in tristitia fuerunt: non ad eos qui adhuc in peccatorum fæcibus hærent infixi; qui nec confessi sua scelera, nec scelerum occasiones abscindere decreuerunt. Hos enim neque ad spiritualem lætitiam, neque ad hæreditatem cælestem, Ecclesia, quandiu ita manent, inuitat: cùm intelligat scriptum esse: *Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.* At iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia. Illis ergo mors & perditio nunciatur: hi verò ad cælestes epulas, spiritualemque lætitiam inuitantur. Imploremus diuinum auxilium, vt cum Ecclesia lætari possimus.

Luc. 15.

Gaudendũ quibus sit.

Psal. 67.

AVE MARIA.

ABIIT *Iesus trãs mare Galilææ, quod est Tyberiadis, & sequeb.* Sequebãtur omnes isti Dominum, sed non omnium pura erat intentio propter quam illum sequebantur. Erant quidem multæ aliæ causæ, propter quas Christũ homines sequebantur: sed hæc tamen in primis memoratur quòd videlicet salutem desperatis morbis conferebat. Potuisset quidem Dominus signa alia, rudis populi iudicio magnificentiora, edere (qualia erant ea quæ Iesus Naue, & Isaias Propheta ediderunt; quorum alter Solem in cælo immotũ stare, alter etiam retrocedere fecit) sed tamen Iesus noster, nominis sui memor, ea pręcipuè signa edere curabat, quæ salutem hominibus afferrent, quæ signa simul essent & beneficia: quorũ altero, diuinitatis suæ potentiã; altero, suam in homines charitatẽ declararet. Quare non mirũ est, si illum magna hominum turba sequeretur, cùm eius opera nõ minùs sibi salutaria, quàm illa honorifica essent, cũ omnes homines, stimulante natura, salutẽ & cõmoda sua vbique sectentur. Sunt autem multæ & variæ rationes, propter quas cuncti mortales conditorem suum sequi atque diligere tenẽtur. Animalia ferè omnia siue cicurum, siue ferarum, matres suas dum adhuc pulli sunt, per deuia quæque sequuntur, quòd ab eis procreata sint, & alantur: quid ergo mirum, si homo & altorem & medicum quoque suum sequatur? Nos tamen adeò terrenis rebus addicti sumus, & rebus conditis adeò præposterè vtimur, vt ea solùm, quæ corpori salutaria & commoda sunt, auidè sectantes, quæ menti salutem afferre possunt, tanquam inania

Dominum cur sequebãtur turbæ.

Iesus respondet suo nomini.

Dominum sequi debemus.

nia & nihil ad nos pertinentia respuamus: cùm tamen horum gratia, cætera omnia fuerint instituta. At nos quoties bellis, morbis, peste, fame vrgemur, tum demùm ad templa, necessitate compulsi, confugimus, tunc publicas preces indicimus. Hos non accuso, sed maximè probo, qui in omni calamitate sua ad Dominum confugiunt. *Imple*, inquit Propheta, *facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*, sed illud queror, quòd hæc tanta cura solis corporum morbis, nõ etiam animæ impendatur, neque intelligamus his corporis malis Dominum saluti animæ nostræ prospicere velle. Quod sanè carnales nos esse declarat; quoniã quæ carnis tantùm sunt, non quæ animæ, sapimus & curamus. Cùm ergo Dominus hanc tantam sequentium se multitudinem pascere decreuisset, dixit ad Philippum: *Vnde ememus panes, vt mãducent hi? Hoc autẽ dicebat, tentans eum.* Tentare, vt scitis, est experimentis aliquid nosse velle, & firmitatem aut infirmitatem rerum explorare. Neque tamen Dominus hoc experimento egebat, cui omnia nota sunt antequam fiant; sed homines tamen his experimentis indigent, quibus & seipsos, & Dei curam, & prouidentiam manifestiùs agnoscant. Voluit ergo hac interrogatione, Philippi fidẽ examinare; an videlicet, tot miraculis inspectis, plenam fidem ad sequẽtia collegisset. Pij homines diuinis operibus & beneficiis ita erudiuntur, vt ex præteritis futura conijcere & sperare discant. Sic apud Abraham colligimus, quomodo præterita beneficia, futurorum rei fidem faciebant. Sic & Dauid semper in maximis angustiis de Dei cõfisus est misericordia, præsertim quando fugit à facie Absalon, quem vniuersus Israël sequebatur. *Vt ponant* (inquit in Psalmo, vbi omnia Dei beneficia Patribus exhibita commemorat) *in Deo spem suam & non obliuiscantur operum Dei, & mandata eius exquirant.* Quasi dicat: Scio enim quòd harum rerũ cognitio, & diligens consideratio, spem in Deo mirabiliter alit, hominesque ipsos diuinarum legum studiosos & amantes facit. Tentat itaque & examinat Dominus Philippum, an ex præteritis didicisset beneficiis, eum non minùs huic necessitati quàm cæteris prouidere posse. Videndum quid potissimùm cælestis magister hac tentatione captare voluerit. Nõ enim leuiter hoc præceptoris consilium prætereundum est. Sciendum tria hominum genera esse: quidã enim affectibus solùm; quidam ratione tantùm; quidam fide, quæ supra rationem est, vitam moderantur. Primum autem genus eorum est, qui cupiditatibus suis, more pecudum, se regendos tradiderunt. *Homo*, inquit Propheta, *cùm*

Psal. 82.

Studium nostrũ præposterum.

Tentare quid sit.

Genes. 24.

2. Reg. 15.

Pij ad Dei beneficia recurrunt.

Psal. 77.

Hominum tria genera.

Psal. 48.

in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis. Hi paululum à iumentis differre videntur, quandoquidem iumentorum more, non ratione & consilio, sed impetu ad res agendas non eunt, sed feruntur. Sunt rursus alij, qui non ferinis moribus, sed ratione (quæ hominis propria est) vitam instituunt. Hi tamen, quamuis meliore conditione sint, non tamen ratione sola duce, ab omni errore immunes sunt. Humana quippe ratio post communem naturæ lapsum, nisi fidei lumine illustretur, ad piè & religiosè viuẽdum minimè sufficit. Hoc enim lumine destituta, quamuis multa rectè definiat, in multis tamen hallucinatur. Humanæ rationi tanquam certo duci omnibus in rebus non est adhærendum. Cicero humana ratione institutus, ab omni iniuria manus abstinere iubet, nisi vbi quis fuerit iniuria lacessitus: Christi tamen doctrina vult, vt inimicos diligamus. Item: *non quærentes vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorũ.* Sunt alij rursus, meliore vtentes consilio, qui nec affectibus, nec solius nudæ rationis ductu, sed fide, & diuina institutione vitam suam moderantur: qualis sanctus ille Rex, qui dicebat: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Et iterum: *Testimonia tua meditatio mea est, & consilium meum iustificationes tuæ.* Hæc propria Christiani vita est, hæc regia in cælum via, quam Sancti omnes ingressi sunt. Hoc igitur fidelis hominis proprium est, omnibus humanæ prudentiæ consiliis: diuinæ sapientiæ decreta anteferre. Amplectuntur Philosophi nudam rationem vitæ ducem, fidem ignorantes: nos contrà, fidem atque diuinum lumen in omnibus quæ agenda sunt, posthabita plerumque humana ratione, sequimur. Iudæi grauiter Dominum offenderunt, Regem postulantes. Quare non obscurè significauerunt, se & communem Gentium morem sequi, & humanis præsidiis atque consiliis magis, quàm Dei nutu Rempubl. suam seruare voluisse. Christus in fide discipulum examinat: sed ille infirmus adhuc in fide, tot à præceptore de fide imbutus doctrinis, nondũ eò peruenerat, vt crederet, sine commeatu tantam illam multitudinem refici posse. Condonandum piscatori, cùm Moses, magnus ille Legislator, in similem inciderit errorem. Neque mirum tantos viros in hunc lapsum incidisse, cùm hoc fidei genus supra hominis sit facultatem positum. Homo est creatura rationalis: nihil illi magis propriũ quàm ratio. Necesse profectò est, vt hominem quodammodo exuat, supraque rationis naturam assurgat, quisquis ea spreta, hunc ducem sequi debet. Cùm autem Philippus nondum tantos in fide progressus habuisset,

Secundum genus. — *Humana ratio læsa.* — *Cicero.* — *Matth. 5.* — *Num. 19.* — *Psal. 118.* — *Philosophi & Christiani fides.* — *1. Reg. 8.* — *Num. 20.*

buisset, vt sine commeatu ali homines posse crederet; minùs aptè respondisse videtur; *Ducentorum denariorum panes nō sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat.* Neque plus aliquid Andreas in eadem fide profecerat, qui simili diffidētia lapsus, ait: *Est puer vnus hic, qui habet quinque panes,* &c. Quid necesse erat, vt pauculos panes Dominus acciperet, qui sine illis, diuinitatis suæ potentia, panes poterat ex nihilo creare? Minima quidem erat quinque panū portio tot hominibus satiandis, sed ne hanc quidem negligendam Dominus putauit, quò is magnam illam alimenti copiam subministraret. Simile exēplum in Elisæo præcessit, qui ex exiguo pauxillo oleo & alienum æs dissoluit, & fecit vt tantū superesset, vt suam ac filij vitam sustentaret. Adde tu tuum exiguum, & Dominus illud ampliabit. Pro calice aquæ frigidæ, mercedem pollicetur æternam; *Modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem.*

Dominus in Philippo nos erudit.

4. Reg. 4.

Matt. 10.

Eccles. 12.

Acceptis autem panibus (vt Marcus ait) *eleuauit priùs oculos in cælum.* O qui eos mentis oculos haberet, quibus in ipsa vsque Domini viscera penetrās, quo affectu & religione piissimos illos oculos in cælū sustulerit, intueri posset? Sic enim vbi quatriduanū Lazarū à mortuis excitare parabat, cælū suspexit, & Patri gratias egit; à quo sciebat se illo nouo & insigni miraculo glorificandū. *Eleuatis igitur in cælū oculis accepit in manibus suis panes.* Quid mirum, si tam magna panes illi incremēta acceperūt, qui sacras illas manus, rerū omnium creatrices, contigerunt? *Potestas enim panes augendi*, inquit Augustinus, *in manibus Christi erat, quarum contactu panes illi aucti sunt.* Quare nō immeritò Princeps ille in Euangelio manus Christi contactum ad vitam defunctæ filiæ reddendam petebat, cùm diceret: *Veni, & impone manum tuam super eam, & viuet. Sunt*, ait Bernardus, *misericordia plenæ, quibus nec foramina desunt, per quæ miserationis eius in nos beneficia effluant.* His manibus vitæ nostræ rationes fidenter committamus, si nobis omnia prosperè cedere velimus. Qualis humana prouidentia sit, declarat Sapiens, cùm ait: *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ omnes prouidentiæ nostræ. Erit*, inquit Esaias, *fortitudo vestra quasi fauilla stupæ, & opus vestrum quasi scintilla, & succendetur vtrumque simul.* Quid magnum aut stabile ex eo manare poterit, cuius mens hebes, vires tenues, conatus irriti, & inanis solertia est? Faciamus nos, & imitemur sanctum illum Dauidem, qui quamuis polleret regiis opibus, non tamen in arcu & gladio suo, sed in solo Deo se spem omnē salutis positam habere testatur, cùm ait: *Hi in curribus, & hi in equis, nos*

Ioan. 13.

Augustinus.

Matth. 9.

Manus Christi sacræ.

Bernardus.

Sap. 9.

Esa. 1.

Psal. 19.

autem in nomine Dei nostri inuocabimus: ipsi obligati sunt, & ceciderunt, nos autem surreximus, & erecti sumus. Hinc Moses ad promissam terram occupandam pergens, instanter Dominum orabat, vt cum populo suo pergere dignaretur. Vnde apud nos tot infelices euentus? nisi quòd consiliorum nostrorum Dominum participem non facimus. Petrus ad imperium Domini iactis retibus, copiosam piscium multitudinem cepit. Saul multa sine consilio egit, & ideò ei malè cessit. *Accepit ergo Dominus panes, & benedixit.* Mos Christi Domini erat, vt ne frustum quidem panis sine diuinis laudibus, & gratiarum actione perciperet. Vnde peracta nouissima cœna, hymno dicto, exiuit in montem Oliuarum. Vide quę nostra ingratitudo, quæ obliuio. Nihil ita noua beneficia cumulat, ac veterũ gratitudo. *Laudans*, inquit Propheta, *inuocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero.* Quasi diceret: Facilè eius opem & misericordiam impetrabo, cùm me illi gratum propter anteacta beneficia & officiosum præbuero. Hac igitur de causa Saluator priusquam panes distribueret, Patri gratias agit: quò nos exemplo suo ad idem grati animi obsequium pro innumeris eius beneficiis inuitaret.

Exod. 34. *Luc. 5.* *Ioan. 19.* *Grati esse debemus.* *Psal. 19.*

Collegerũt & impleuerũt duodecim cophinos fragmẽt. &c. His verbis eleemosynæ virtutem (quæ veræ pœnitentiæ particula quædam est) vobis commendare constitui. Eius autem primus hic fructus est, qui in suum planè redundat auctorem, vtpote qui non tam aliis quàm sibi ipsi prodest: nec tam aliena lucra quàm sua captat: dum enim præsentibus aliorum necessitatibus consulit, suis ipse & præsentibus & futuris prospicit. De futuris enim scriptum est: *Omnis misericordia faciet vnicuique locum secundùm numerum meritorum.* De præsentibus verò Salomon ait: *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum da pauperibus, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Hoc autem præsenti miraculo Dominus ostendit, qui pro quinque panibus, quos esurientibus misericorditer tribuit, duodecim retulit cophinos fragmentorum. Vide quanta sit Dei bonitas & misericordia, qui pro exiguis tam largiter refundit. Impartiri pro modulo tuo egenis; non est bona tua profundere, sed noua cumulare. Dictu mirum est, quàm prompti ad ea quę nostra sunt, quàm tardi ad ea quæ Dei sunt, inueniamur. Nos semper causamur; si ieiunandum, causamur imbecillitatem, cùm nostra dilapidare non tædeat: si eleemosynæ erogandæ, causamur inopiam. *Qui suas opes largitur egenis, fœneratur Domino.*

Eleemosyna virtus. *Ecclesi. 16.* *Prouerb. 3.* *Dei misericordia infinita.* *Excusatio nostra.* *Eccl. 23.*

Id quod Sareptanæ viduæ exemplo satis abundè probatur:quæ dum Prophetam exigua farinula & oleo pascit, eiusdem farinę, oleíque continuum incrementum accipere meruit. Narrat D. Gregorius de quodam puero Bonifacio, qui promptissimus ad eleemosynas erat: cùm omne triticum ex horreo pauperibus erogasset matre indignissimè ferente; orante puero, horreum plenum tritico inuentũ est. Fixa illa Salomonis, imò Domini sententia manet: *Qui dat pauperi non indigebit.* Verùm vt huic commoditati aliam adiungamus, certè ad peccatorũ veniam impetrandam vix quicquam est eleemosyna potentius. *Conclude eleemosynam in sinu pauperis.* Consuluit Daniel Regi Nabuchodonosor, peccata sua eleemosynis redimere. *Date,* inquit Christus, *eleemosynas, & ecce omnia munda sunt vobis.* Luc 11. Et hæc exorabit pro te ab omni malo. Et iterum: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Quid ergo verè pœnitens optare magis debeat, quàm vt peccata sua, quæ Dei Filius sanguine redemit, ipse eleemosynis, hoc est, vili ære, & panis frusto redimat? Nec ad remissionem peccatorum modò, sed ad omnia dona cælestia cumulanda, eleemosyna valet. Vide Esaiam c 58. *Implebit,* inquit, *splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit.* Vide quid Cornelium Gentilem ornauit, nónne eleemosynæ? Dedit Centurio hic terram, & accepit cælum; dedit pecuniã, & accepit gratiam. Quis hanc commutationem non felicem & fortunatam putet? Perpende diligenter D. Ambrosij sententiam: *Sola misericordia comes est defunctorum.* Sis licèt Rex, aut Imperator, aut Princeps, nobis omnibus vita functis nihil omninò supererit, nisi si quid benè sanctéque gesserimus: sola virtus misericordia, sola pietas fidissimos lateri tuo se comites adiungent, imò tuebuntur. Tunc igitur non quæ studiosè cõparasti, sed quæ benignè erogasti, te sequentur. Illos causæ tuæ habebis tunc patronos, qui tuam nunc liberalitatẽ miserrimè præstolantur: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Ais: Cùm morti proximus fuero, tunc testamẽto multa pauperibus legabo, modò indigeo opibus meis. Audi D. Augustinum: *Non facilè inueniuntur in necessitate remedia, quæ non fuerunt in pace quæsita.* Hieronymus inquit: *Impudens postulatio, tempore necessitatis ab eo quærere præsidium, quem in prosperitate contempseris.* Cùm hæc ita sint; demus operam, Auditores, vt peccata nostra hoc tempore eleemosynis redimamus: eleemosynis verò pias preces & ieiunia coniungamus.

3. Reg 17. *Gregorius in Dialog.* *Prou. 20.* *Eccles. 29.* *Dan. 4.* *Eccles. 3.* *Actor. 10.* *Ambrosius.* *Misericordia comes defũctorum.* *Matth. 5.* *Augustinus.* *Hieronymus.*

HISTORIÆ HVIVS EXEMPLO OSTENDITVR NIHIL IIS DEESSE posse, qui Dominum toto corde sequuntur.

Timete Dominum omnes Sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum. Psalm. 33.

EVANGELII huius summa huc tendit, vt omnes intelligant, nihil eorum quæ sunt ad animæ salutē vel comparādam, vel conseruandam necessaria, deesse illis, qui Dominū sibi sequendum proposuerunt. Homo cùm ex duplici constet substantia, corpore scilicet atque anima; vtramque eius partem in multis Euangelij locis curandam Dominus suscepit: dum & esurientium corpora pauit, & animas doctrinæ cælestis pabulo refecit, & insigni edito miraculo eos ad fidem excitauit. Hęc igitur beneficia, quæ sequentibus se Dominus præstitit, illis quotidie in Ecclesia exhibet, qui spiritualiter illū, spreta seculi vanitate, sequuntur. Primùm enim illis paternæ benignitatis & misericordiæ affectum impendit, vt ait Propheta: *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se; quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.* Eodem quoque modo illos internis motibus & disciplinis erudit, sicut ipse ait: *Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia, gubernans te in via qua ambulabas.* Et, *Intellectum tibi dabo, & instruam te in via qua gradieris, firmabo super te oculos meos.* Spirituales quoque morbos eorūm sanat: quod illa Prophetæ verba indicant: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Interno quoque pabulo mentes eorum reficit: *Comedite,* inquit Sapientia, *amici mei, & bibite, & inebriamini charissimi.* Sic hodie illi, qui per deuia quæque fuerant secuti, non poterant inopia premi, qūumséderent iuxta Angelorum & hominum panem. *Inquirentes* autem *Dominum, non deficient omni bono.* Iusti autem & verè quærentes Dominum, etiamsi in tenuitate & penuria vitam agant, facilè respondent, se cunctis mundi opibus & regnis, vitæ suæ statum & quietem nunquam permutaturos. Sub illius enim Domini cura & prouidentia se viuere aiunt, qui sine vlla terrenarum opūm affluentia, plenissimam eorum animis quietem & satietatem tribuit. Hoc ille intellexit, qui ait: *Ego enim didici in his in quibus sum, sufficiens esse.* Idémque de piis hominibus intelligi voluit, cùm ait: *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Melius,* inquit

Homo ex duplici substantia cōstat.

Psal. 102. — Esa. 48. — Psal. 32. — Psal. 102. — Prouer. 9. — Psal. 33. — *Iusti contenti sua sorte.* — Philip. 4. — 2. Corin. 6.

quit Propheta, *est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas. Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.* Det autem Dominus Deus gratiam, vt ita hoc tempus pœnitentiæ percurramus ac absoluamus, vt in illa cælesti gloria possimus cum omnibus electis gaudere & lætari. Amen.

Psal. 26.
1. Tim. 6.

PSALM. 36.

Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.

Daniel in lacu leonum à Domino per Abacuc sustentatus est. *Daniel, 14.*

FERIA QVARTA POST DOMINICAM QVARTAM IM QVADRAGEsima, Concio, in qua lectio Euangelica explanatur: item de tribus impiorum hominum cæcitatibus, & earum causis agitur.

THEMA. *Præteriens Iesus, vidit hominem cæcum à natiuitate.* Ioan. 9.

QVONIAM lectionis Euangelicæ historia longior est, quàm vt referri tota facilè possit, & multa continet obseruatione dignissima: sic eiusdem historiæ seriem persequi decreui, vt ea simul annotarem, quæ ad institutionẽ vitæ nostræ spectare maximè viderentur. Ait igitur S. Euangelista: *Præteriens Iesus, vidit hominẽ cæcum à natiuitate,* &c. Ex hoc primo verbo, statim indicatur nobis iudicium Dei & misericordia. Quòd Iudæos præterit, imò ab eis abscondit se, iudicium est: quòd autem cæcum videt, misericordia eius. Eius enim videre, est misereri. Vt: *Conuersus Dominus respexit Petrum.* Sic in Exodo: *Videns vidi afflictionem populi mei.* Præterit diuites Dominus, vidit cæcum; eos videt qui se pauperes agnoscunt, & parati sunt obedire. Quærunt discipuli quis huius cæcitatis sit auctor, aut quæ causa. Hanc interrogationem ex eo ortam esse aiunt, quòd paulò ante Dominus sanato apud piscinam paralytico dixerat: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Iudæorum enim opinio aduersa omnia pecca

Luc. 22.
Exod. 3.
Dominus quos videat.

peccatis tribuebat; secunda autem, virtutis & pietatis meritis imputabat. Et quidem non rarò peccata Dominus variis incommodis atq; ærumnis plectit. Sunt tamen multæ aliæ causæ propter quas Dominus aduersa immittere solet. Aliquando enim iis velut stimulis dormiētes excitat. *Increpat*, inquit Iob, *per dolorem in lecto, & omnia ossa marcescere facit.* Sic enim solēt homines iumenta flagello instigare, dum tardè gradiuntur, aut à via declinant. Aliquando immittit Dominus aduersa, vt præbeat materiam maioris gratiæ, vt in Apostolo videre licet: *Dum infirmor*, ait, *fortior sum.* Sic tentauit Deus Abraham, cui tentatio, perfectissimæ obedientiæ & fidei materiam præbuit. In tentationibus homines, qui in pace delitescere ac marcescere videbantur, explorantur. Sic fides & innocētia Iob probata. Simili quoque ratione sancti omnes à Deo probati sunt, quorum est illa vox: *Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.* Multi qui videbantur aliquid esse in orationibus, in ieiuniis, in eleemosynis, si aliqua afficiantur contumelia, statim impatientiæ suæ edunt signa. Huius hominis cæcitas ad Dei gloriā cessit. *Neque hic peccauit neque parentes eius: sed vt manifestentur opera Dei in illo. Nihil*, inquit quidā apud Iob *sine causa fit, & de humo nō egreditur dolor.* Ipse quoque Iob ait: *Idcirco à facie eius turbatus sum, & considerans eum, timore solicitor:* quia videlicet non potest intellectus mei imbecillitas ad profundam illam iudiciorum eius abyssum pertingere. Huius autem sancti viri timor, Auditores, securitatem nostram vehementer arguit. Si enim ille, qui nullius sibi mali conscius erat, vsque adeò diuinæ maiestatis occulta iudicia formidabat, quid nos facere par erit, qui tot peccatis inquinati, tótq; flagellis attriti, recipere noluimus disciplinā? *Neque hic peccauit, neque parētes eius*, &c. Quæ quidem verba sic accipienda sunt, vt intelligamus verum esse quod diuus Augustinus ait, nempe, iudiciorum Dei causas occultas quidem esse posse, iniustas nunquam. Non est intelligendum simpliciter, quasi omninò non peccauerint. Annon peccauit cæcus, qui in peccatis conceptus est? Annon & parentes peccauerunt, qui hîc increduli in Christum describuntur? Docemur, ne temerè propter externas afflictiones alios iudicemus peccatores, id quod mūdus solet, vt in amicis Iob videmus, qui ideò arguuntur à Deo: *Non*, inquit, *estis rectum locuti*, &c. *Vt manifestentur opera Dei* Deus suos deiicit, & posteà erigit. Deus hunc refert titulum, quòd sit liberator in tribulationibus. Hoc titulo omnes inuitat ad se. Esto igitur patiens in

Aduersitatis causa quæ. Iob. 33.

2. Cor. 12. Genes. 22.

Psal. 65. Multorū infirmitas.

Iob. 9.

Securitas nostra præpostera.

Iob. 42.

Deus adiutor.

tribu

tribulationibus:adiutor aderit. Sic exercuit Ioseph, sic Dauid, & alios. *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est.* Hoc enim Saluator propositum ante oculos semper habebat, hoc singulis horis atque momentis agebat, huc omnia sua studia dirigebat: hic denique eius potus & cibus erat, humanæ salutis opus absoluere, cuius gratia à Patre missus fuerat in mũdum. O si nos hac in re Saluatorem nostrum imitari studeremus, vt finem, ad quem à Deo conditi sumus, ob oculos poneremus! Quot amittimus horas inanibus cogitationibus & verbis? Non cogitamus quare conditi à Deo, quare redempti, cur tot ac tantis à Deo affecti beneficiis sumus. *Nunquid vanè constituisti omnes filios hominum?* Homo ad certum finem conditus est. In creatione mundi, vbi ad hominis fabricam ventum est, velut coacto beatissimæ Trinitatis concilio, ait: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Quem finem tantus artifex in hoc opere sibi proposuit? Num vt domos ædificaret? vt plantaret vineas? vt voluptatibus indulgeret? vt vitam in otio & desidia consumeret? Nemo sibi hoc fingere audet. In hoc hominem cõdidit, vt bearet, hoc est, vt beatitudinis suæ participem faceret, & hanc felicitatem vitæ meritis assequeretur. Angeli creati non fuerunt immobiles, vitam beatam assecuti fuerunt; at natura hominum adeò vertibilis est, vt in horas penè singulas permutẽtur: clementer cũ illis Dominus egit, vt, si deliquissent, pœnitentiæ locũ scirent se habere. Vita nostra breuis: finem tamen nostrum non recordamur; tamquam pecudes & bruta plerique viuimus. Agimus in literario studio; nos huius finem negligentes, ludis & aliis voluptatibus operam damus. Hanc cæcitatem atque dementiam Hieremias designauit, cùm ait: *Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui.* Pedes animæ, desideria sunt, quæ non minùs illam, quàm pedes corpus, quocunque voluerit, deferunt. Quia ergo desideria hæc terrenorum bonorum luto fœdata & implicata sunt, & illis amoris glutino copulata; hinc fit, vt his, tamquam vinculis quibusdam alligata, vix se se attollere in cælum valeat, & finis sui, ad quem condita à Deo est, recordetur. Quisquis iam Deo gratus est, Deum intra se præsentem habet; & in die ambulans, ab eo semper ad recte operandi studium incitatur. At cùm ille abest, & absentia sua noctem in anima efficit, tunc mens profundo somno mersa, nulla veræ religionis & iustitiæ cura solicitatur. *Stat* autem *sua cuique dies, & citiùs aut seriùs omnes sedem properamus ad vnam:* quibus (te quæso) piis actionibus instructus es, vt ante tremendi

Psal. 38.
Homo cur à Deo cõditus.
Genes. 1.
Finis noster quis.
Angeli à Deo creati.
Simile.
Thren. 1.
Ambulare in die.
Pœnitentia nõ procrastinanda.

tremendi Iudicis conſpectum non nudus, ſed veſtitus appareas? Stat ſententia: *Qui bona fecerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum.* O quàm ſera tunc erit huius negligentię pœnitentia, quam tamen modico nunc labore opportunè redimere potuiſſes! Cùm ergo Dominus hæc verba dixiſſet: *Exſpuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos cæci, & dixit ei: Vade & lauare in natatoria Siloe.* Hac noua & inſolita curandi forma, myſticum Dominus aliquid ſignificauit. Hac ratione (vt alia prætermittam) ſacri Baptiſmatis virtutem declarauit: tum etiam noſtræ vilitatis conſiderationē nobis commēdare voluit. Ponit lutū ſuper oculos cæci, vt humani corporis puluerem cogitemus, ac eiuſdem mortalitatem ante oculos ponamus: vt hac ratione humanarum rerum inanitatem agnoſcamus; eaſque pro nihilo habentes, in vera cordis humilitate & noſtri ipſorum cognitione proficiamus. Ecce lutum ſpeculum noſtrum; breui te recondendum in ſepulchro cogita. Iam qui rebus humanis ita inhiāt, nónne ſtulti & amentes habendi ſunt? Chriſtus huic cæco gratis beneficium oculorum obtulit: quibuſdam ſeriò quærentibus vix impartitus eſt. Vtrique tamen felices: committe rem omnem Deo, & ipſe iuxta ſuam gratiam aget tecum.

Matt. 25.

Speculum lutum.

Cùm ergo Dominus hoc medicamento cæci oculos aperuiſſet, longiſſimæ cuiuſdam concertationis occaſionem hoc tam euidenti miraculo Phariſæis dedit, quam quidem ſanctus Euangeliſta latiſſimè in præſenti Euangelio narrandam ſuſcepit, vt terrenam prudentiam, diuina ope deſtitutam, inanem, cæcam, & turbulentam hoc exemplo demonſtraret. Sequitur enim: *Itaq; vicini, & qui viderāt eū priùs*, vſque: *Vocauerunt ergo rurſum hominem.* Quis in hac tam lōga cōcertatione peccati virus & humanæ ſapientiæ tenebras nō agnoſcat? Hoc enim magnifico edito opere, quod meridiana luce clarius Chriſti diuinitatem teſtabatur, ſapiētes mundi (qui primi omnium rei magnitudine ſtupefacti, auctoris gloriam agnoſcere debuiſſent) hærent, dubitant; nullum non mouent lapidem, ne Chriſti Domini virtutem & gloriam cōfiteantur. Artifex, qui pulcherrimam ac difficillimam alicuius regiæ domus partem abſoluere poſſet, poſſet etiam reliquas eiuſdem domus partes minori negotio abſoluere. Quiſquis ergo oculos potuit fabricare, haud dubium, quin reliquas etiam corporis partes condere valeat. Is autem ſolus Deus eſt. Recepit hic viſum & lumen oculorum, & à Deo quoque in animo illuminatus eſt, & omnes vicini mirati ſunt, Phariſæi autem indignati. Re ergo in-

Inuidia Phariſæorum.

Simile.

Oculos creare difficillimū.

rum atque iterum cognita, in varias sententias distracti, partim operis claritatem mirabantur, partim Christi gloriæ inuidebant, partim etiam detrahebant, & violati Sabbathi religionem accusabant: nec toties rem gestam audire contenti, iterum à cæco quærunt, quónam modo eius oculi aperti fuerint. Verè de illis Propheta ait: *Palpauimus quasi cæci parietem, & quasi absque oculis attrectauimus, in meridie quasi cæci.* Vnde simile quiddam illis eueniebat, quod in venatione canibus: qui cùm varios in nemore ferarum odores præsentiũt, modò huc, modò illuc præcipiti cursu feruntur; nec certò sciunt quò tendere debeant. Quod sanè miserrimis istis hominibus contigit, quos hinc manifesta operis dignitas ad veritatis cognitionem adigebat; inde verò acerbum in Christum odium, malitia, inuidia, velut atræ quædam nebulæ, excæcabant. Cæcus repetitam toties eorum interrogationem molestè ferens, ad illos ait: *Dixi vobis iam, & audistis, quid iterum vultis audire?* Quodque magis mirandum est, post tam longam disputationis contentionem, post tot veluti partus, nixus atque dolores, hunc tãdem basiliscum pepererunt: *Da gloriam Deo, nos scimus quia hic homo peccator est.* Quo quid amẽtius fingi aut excogitari potuit? O quanta est peccati malitia! quantum eius virus! quomodo & sapientes ipsos in furorem & amentiam vertit, à Deo veræ sapientiæ fonte illos diuellens. Peccati malitia efficit, quod Propheta ait: *Miscuit illis Dominus vinum soporis.* Non quòd verè Dominus calicem soporis & ignorantiæ cuiquam per se propinet (qui nullius mali auctor esse potest) sed quòd impium frequenter propter eius scelera sibi ipsi relinquat. Miraculorum Domini splendor ad credendum eos impulisset, sed vehemens cupiditatum suarum æstus reuocabat. Verùm cæcus noster inter tam densas magistrorum suorum tenebras adeò perspicax & oculatus exstitit, vt non modò sibi ipsi, sed illis etiam (si attendere voluissent) fidei & sapientiæ clarissimam facem prætulerit. Quid enim ea ratiocinatione aut clarius, aut sapientius, quam idem Pharisæis proposuit, cùm ait: *In hoc mirabile est, quòd nescitis vnde sit, & aperuit oculos meos. Scimus enim quia peccatores, &c.* vsque: *Nisi esset hic à Deo, non posset facere quidquam.* Hac certè conclusione nihil certius, nihil euidentius colligi potuit. Qua tamen luce adeò nihil amplius viderũt, vt in maiores perfidiæ suæ tenebras inciderint. O optanda & votis omnibus expetenda maledictio! In me sit ista maledictio, Domine Iesu. Quid enim optabilius, quàm talis magistri discipulum esse? Ecce quomodo meridianus Dæmon, &

Esa. 59.

Simile.

Peccati malitia.

Esa. 29.

Cæcus oculatus existit.

Maledictio imprecãda qualis.

sagitta in die volans, callidus serpens illos illaqueauit. Ab hac sagitta electos suos Dominus paterna cura & pietate liberat. Hactenus vidistis ignorantiam in humana sapientia: nunc sapientiam in ignorantia, & virtutem in infirmitate perspicite: vt hoc argumento intelligatis verissimum esse, quod à Propheta dictum est: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos.* Mendicus enim homo & oculis captus, cui cæcitas ignorantiam, mendicitas imbecillitatem animi afferre debuissent, tanta constantia, tantoque rationis acumine Christi gloriam & diuinitatem aduersus eius hostes prædicauit, vt vix quicquã hac in re maius, vel à magnis etiam & constantibus viris, expectari potuisset. Tales oculos solus ille reddere potest, qui formare potest. Cùm ergo tale opus à Christo redditum sit, quod solius diuinæ potestatis est; apparet vtique illum vel Deum esse, vel Dei potestatem & virtutem habere. Hanc illationẽ quis quæso, quamlibet cæcus & amens, negare posset? At infelices isti, ambitionis & superbiæ tumore excæcati, non modò mentis suæ tenebras non excusserunt, sed (quod infirmis oculis accidere solet) maximo lucis huius splendore, videndi facultatem amiserunt. Quod sanè eorum responsio facilè arguit: qui pro luce veritatis illis oblata, cõuicia in hominem & maledicta coniecerunt. *In peccatis*, aiunt, *natus es totus, & doces nos?* Quicunque veritatis studio flagrant, non dicentis conditionem, sed rationis vim expendere solent, qua, seu lucerna quadam, abstrusam veritatem, quam diligunt, indagare possint. At dementes isti, qui nullo veritatis amore tenebantur, hac ratione neglecta, Doctores legis à cæco doceri, indignum sunt arbitrati, quare eum à suo cœtu ablegarunt. Hic perceptæ lucis beneficio adeò in fide profecerat, vt toto Senatu Iudæorum reclamante, & se execrante, non modò corde crederet ad iustitiam, sed ore etiam coram illis confiteretur ad salutem. Vnde tanta in eodem homine commutatio, nisi ex nouo diuinæ gratiæ lumine, ortum habet? Dicere sanè potuit cum Propheta: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Audiuit autem Iesus, quia eiecerunt eum foras: & cùm inuenisset eum, dixit ad eum, &c.* Videte diuinæ bonitatis ingenium: quæ inflatos illos atque scientiæ persuasione tumentes in horrenda errorum caligine derelinquens, tantas diuinitatis suæ opes in hunc mendicum effudit: vt apertè videatis verum esse quod Salomon ait: *Abominatio est Domino omnis illusor, & cum simplicibus sermocinatio eius.* Quod ipse Dominus eidem cæco denunciauit his verbis: *In iudicium ego veni*

Psal. 8.

Mendicus prædicator.

Persona dicentis nõ attẽdenda.

Psal. 118.

Prouerb. 3.

veni in hunc mundum. Hoc est, vt humiles corde, qui se nihil scire profitentur, cælesti luce compleantur: superbi autem, qui se nihil nescire arbitrantur, in tenebris & cæca errorum nocte deserantur. In hac etiam re, fides & benignitas Domini erga eos qui propter eum afflicti, & ab hominibus proculcati sunt, magnopere elucet: ne pij impiorum persecutiones extimescāt, per quas illis ad maxima Dei munera aditus aperitur. Si enim Propheta propè esse Dominum ait his qui tribulato sunt corde; & ipse item Dominus, *Cum ipso sum*, inquit, *in tribulatione* (quæcunque illa sit, & vndecunque orta) quàm præsens eis aderit, qui ob eius confessionem & fidem ab impiis vexantur, & variis iniuriis afficiuntur? Cuius rei innumera exstāt in literis sanctis exempla, Act. 16. de Paulo & Sila. Sic Daniel mittitur in carcerem: item Hieremias. Mittuntur tres pueri in fornacem ignis. Ad hunc ergo modum eos Dominus visitat & consolatur, qui pro nominis sui confessione, & iustitiæ amore, variis premuntur ærumnis. Hac fiducia confisi, Auditores, non horreamus labores, non hominum odia pertimescamus, non inuidiam, non contemptum; cùm tam amplum atque magnificum laborum nostrorum præmium expectemus. Adsit ipse conatibus nostris.

Persecutiones pij sunt.

Psal. 33.

Psal. 90.

Dan. 14.

DE TRIBVS PRAECIPVIS IMPROborum cæcitatibus, & earum causis.

HISTORIA cæci huius, qui beneficio Domini lucem recepit, ad cæcas hominum mentes illuminandas aptissima est. Infinitum esset, omnes improborum cæcitates persequi: tres tamen è multis cōmemorabo. Prima illa cæcitas, quòd pretiosissima nostri parte neglecta, curam omnem in vilissimo corporis stabulo tuendo atque fouendo conferunt. Nónne illa magna esset insania, si quis, vt vestem integram seruaret, corpus telis & vulneribus obiiceret? Quid aliud exanime corpus, nisi tetrum & horridum cadauer, ab humano prorsus conspectu remouendum? Carnales curas omnes, omnem operam in obsequio, cultu & indulgētia corporis ponunt, nullum recusant periculum, quo ea consequantur, quibus illud deliciosè, & blandè tractent, cùm tamen animarum suarum nullam prorsus curam & solicitudinem gerant. Cùm constet corpus nostrum ad animæ obsequium, tanquam ad finem destinari, illudque velut materiam aut vaginam quandam esse, vbi anima inclusa maneat, eiúsque sensibus & membris ad functiones suas vtatur:

Cæcitas prima improborum.

Carnales corpus fouent.

annon quauis talpa cæciores existimandi sunt, qui animæ cura à se penitus abdicata, non modò se totos obsequio & indulgentiæ carnis deuouerunt: sed (quod multò etiam indignius est) ipsam animam velut mancipium quoddam, eiusdem corporis seruituti addixerunt; vt videlicet totum ingenij sui acumen in excogitandis quotidie nouis carnis deliciis atque voluptatibus insumerent?

2. *Cæcitas.*
Esa. 64.
Iacob. 4.

Altera cæcitas est, hanc vitam momentaneam plus curare quàm æternam. De æterna scriptum est: *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te.* De præsenti verò vita Iacobus Apostolus ait: *Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Iam improbi adeò cæco huius momentaneæ vitæ amore tenentur, adeoque æternam illam & felicissimam vitam paruipendunt, vt conatus omnes, & omnia vitæ studia in huius vitæ bonis congerendis impendant: propter illa autem summa bona, vix pedis vestigium humi defigere dignentur. Omnis eorum sermo, omnis cura & cogitatio in huius vitæ bonis defixa est; cùm tamen de illa vita, quæ in omnem æternitatem est permansura, cura nulla, cogitatio nulla, sermo nullus.

3. *Cæcitas.*
Actor. 7.

Cæcitas tertia est, omnium rerum conditorem, qui omnibus rebus à se conditis maior est, negligere. *Huic omnia accepta ferre debemus: in eo enim viuimus, mouemur, & sumus, & sine eius prouidentia in nihilum prorsus recideremus.* Huic, cui timorem, cui amorem, & omne quod sumus, debemus, nos tamen terrena bona præferimus. Quoties homo Dei leges violat, toties Christum Dominum conculcat & proterit.

Hebr. 10.
Peccatum causa cæcitatis.

Annon hæc tanta cæcitas, per illas Ægypti tenebras, quæ palpari manibus poterant, meritò adumbrata est? Huius tantæ cæcitatis causa est peccatum. Quisquis peccatum lethale admisit, ille in tenebris & in vmbra mortis sedet. Colligimus vt lethale peccatum, quod tantorum malorum causa est, maximo & summo odio detestemur, & priùs omnia mundi supplicia perpeti, quàm in illud incidere velimus: atque illa crimina detestari studeamus, quæ mentes nostras densioribus tenebris obducunt: qualem superbiam, impudicitiam, auaritiam, liuorem, atque turbulentos animi motus esse cognoscimus. Hæ pestes Pharisæorum animos ita excæcarunt, vt Christi gloriam in oculis propositam non viderent. Hæc deuia perditionis itinera declinantes, per humilitatis, benignitatis, castitatis & charitatis contrarias vias gradiamur, vt sic ad æternam gloriam perueniamus. Amen.

Mortificatio carnis.

FERIA

FERIA SEXTA POST QVARTAM DOMINICAM IN QVADRAGESIMA, Concio, in qua Euangelica lectio explanatur.

THEMA. *Lazarus amicus noster dormit, sed vado,* &c. Ioan. 11.

INTER miracula quæ Dominus ac Saluator noster in mundo edidit, quibus diuinitatis suæ potentiam hominibus declarauit, principem locum obtinent mortui ad vitam reuocati. Mortuis enim vitam reddere, ei⁹ est, qui solus eam potest donare. Ideóque mortuorum excitatio maximũ diuinæ potestatis & virtutis argumentum est. Inter eos autem mortuos, quos Dominus ad vitam reuocauit, Lazarus quatriduanus esse videtur illustrior, nõ quòd huius excitatio maiorem exigat virtutẽ, sed quòd nostro sensu atque iudicio mirabilius est putridum cadauer, quàm recens, & nondum tumulo conditum vitæ reddere. Ipse Dominus signi huius magnificentiam declarauit, cùm dixit: *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam.* Hoc enim signo edito, multi crediderunt in eum, totaque Hierosolymorum ciuitas eius signi fama commota, Domino vrbem ingredienti cum ramis palmarum, & cõmuni omnium lætitia obuiam processit. Hoc nostro sensu maximum diuinitatis testimonium perfidiam omnem, tenebrásque Iudæorum splendida quædam lux discutere debuisset: ea tamen populi cæcitas exstitit, vt hoc maximo signorum, non modò perfidiã non deposuerit, sed (proh scelus infandum!) hinc etiam Dominum crucifigendi occasionem sumpserit. Sicut in desperata ægritudine in venenum sæpe remedia vertuntur: ita mentes peccatis obduratæ, remediis interdum duriores fiunt. Ideóque orandus semper est Deus, ne nos in reprobum sensum cadere permittat. Cùm enim eò dementiæ ventum fuerit; adeò non conferunt remedia, vt frequenter etiam exulcerent vulnera, & mala reddant grauiora. Isti in maximum omnium malorum discrimen prolapsi sunt, quo & Dominum gloriæ crucifixerunt, & non modò seipsos, sed etiam Rempubl. suam perdiderunt. Quo argumento cernere licet, Auditores, quò rádem mentis cæcitas, & diuturna peccandi consuetudo perueniat. Vt igitur piè aliquid de hoc miraculo dicere valeamus, cælestem opem sacræ Virginis intercessione suppliciter imploremus.

Miracula quæ maxima.

Ioan. 11.

Simile.

Iudæos qd perdiderit.

AVE MARIA.

QVONIAM historia lectionis Euangelicæ longior est, paulatim erit nobis in ea progrediendum: atque vbi aliquis salutaris doctrinæ fons nobis apparuerit, haustum ex eo potum vobis oratio nostra propinabit. Narrat ergo Euãgelista, in Bethaniæ oppido (quod Hierosolymis finitimum erat) Lazarum, Marthæ & Mariæ fratrem, graui morbo correptum fuisse.

Erat, inquit Euangelista, *quidã lãguens Lazarus, à Bethania, de castello Mariæ & Marthæ, sororũ eius: Maria autẽ erat quæ vnxit Dominũ vnguẽto, & extersit pedes eius*, &c. Opportunè nobis hoc sacro tempore pœnitentiæ Mariæ Magdalenæ mentio fit: in cuius pœnitentia, non solùm quid verè pœnitentes facere, sed quid etiã sperare debeant, facilè agnoscent. Sequitur enim: *Diligebat autẽ Iesus Mariam, Martham, & Lazarum.* Et quidẽ Maria, quæ præteritæ vitæ maculas lacrymis abluit, veræ pœnitentiæ; Martha verò & Lazarus (quorum nulla peccata leguntur) innocentiæ typum tenent: inter quos tamen Maria nominatur à Domino dilecta: vt intelligatis veros pœnitentes inter innocentes esse connumerandos. Quod de hac peccatrice credendum est, quo optimam partem elegisse dicitur, cuiq́ue peccata multa dimissa sunt, quoniam dilexit multùm. Itaque peccatorum eius multitudo adeò illi post pœnitentiam nõ nocuit, vt etiam maioris dilectionis incitamentum fuerit. *Vbi enim abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Hoc autem perfectæ pœnitentiæ munus est, quæ immundos homines astris ipsis puriores efficit, & ad maiorem interdum gratiam attollit. *Medicus*, inquit Augustinus, *omnipotens est: & sic consueuit plagas nostras curare, vt nec cicatricum vestigia post ipsius medicamenta remaneant.* Quòd planè siue curationis, siue placabilitatis genus, rarò inter homines deprehenditur. Vix enim vel maritus, qui in gratiam vxorem adulteram recepit; vel amicus amicũ, à quo fortè læsus est, tam sincero atque fideli amore prosequitur, vt nõ semper veteris fraudis reliquię quædam in animo resideant: quas tamen omnes diuina pietas non solùm abolet, sed interdũ etiam eos, qui lapsi sunt, ad maiorem attollit gratiam. Lapsus es cum Dauide, cum Petro, cum Magdalena: pœniteat te tuæ insipientiæ, age cum illis etiam pœnitentiam. Iure hoc nomine accusandus es: quòd horum quidem culpam; non autem pœnitentiam tibi imitandam proposueris. Petrus negauit, sed singulis noctibus cũ gallus caneret, faciem suam assiduo lacrymarum fluxu sulcabat. Magdalena

Magdalenæ pœnitentiæ typus.

Rom. 5.

Pœnitentiæ veræ affectus.

Augustinus.

Dißimile.

Dei benignitas infinita est.

Vide Dauidis pœnitentiam.

lena in adolescentia vitam suam inquinauit, sed triginta annorum spatio durissimè corpus suum pœnitentiæ laboribus afflixit. Pœnitentiæ fundamentum est vera dilectio in Deum. Vide ne de diuina misericordia, temeritatem, imò præsumptionem assumas. Pietas Magdalenæ in Christum nulla vnquam obliuione delebitur. Verum manet quòd Christus ait: *Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum.* Hæc est vera laus & gloria, quæ non ab hominibus, sed à Deo est, de qua Regius ait Propheta: *Apud te laus mea in Ecclesia magna.* Vera gloria est virtus, ac præcipuè religio, fortitudo, atque prudentia, quæ habentem honestant, & verè commendabilem reddunt.

Magdalenæ pœnitentia.

Rom. 2.

Psal. 21.

Gloria vera quæ.

Ingrauescente igitur in dies Lazari morbo, legationẽ sorores ad Dominum his verbis miserunt: *Domine, ecce quem amas, infirmatur.* Breuis quidem oratio, sed fide tamen & dilectione longa. Magna enim fiducia orationem fecit breuiorem: neque enim crediderunt, longis verborum ambagibus, multisque aut rationibus, aut obsecrationibus opus esse ad eius misericordiũ excitandam, qui intra se miserendi & benefaciendi in ipsa sua bonitate causam habebat. Sic Regius Propheta, cùm delictorũ suorum veniam peteret, nõ in meritis suis, sed in illo ipso quẽ orabat, miserendi rationem ponit, cùm ait: *Quia apud te propitiatio est.* Hoc est: Domine, in te, non in me causam habes, cur mei miserearis: qui ad te confugiunt, benignè respicis. Cuius rei sorores istæ non modò fidem habebant, sed frequenter etiam periculum fecerant. Facilè crediderunt non defuturum amicis, qui ne inimicis quidem, & ingratis opem ac salutem vnquam denegauit. Neque enim fefellit eas *spes quæ* (vt Apostolus ait) *non confundit.* Hac ergo spe, hac fide fulciri potissimùm debet oratio nostra, si impetrare volumus quod postulamus. Qua si destituimur, timendum illud est, quod diuus Iacobus ait: *Postulet autem in fide*, &c. Istæ bonæ matronæ Domino calamitatem aperiunt, reliqua omnia in manu medici amantis relinquunt. Domino non est modus ponendus miserendi. Iudith redarguit illos. Nemo æger medico ordinem & rationem exponit, quo saluari velit. Medicus noster mala nostra contuetur, nouit quid expediat. Istæ sanctæ feminæ, omnibus superatis ambagibus, causam cælesti medico commiserũt, nihil aliud quàm eam his paucissimis verbis indicantes: *Ecce quẽ amas, infirmatur.* Tua hic, Domine, causa agitur, amici salus periclitatur; amici ergo fidem, & veræ amicitiæ leges æquum est te seruare. Amicorum omnia sunt communia, siue illa secunda, siue aduersa sint, maximéque proprium amicitiæ est,

Psal. 129.

Rom. 5.

Iacob. 1.

Iudith 8.

Simile.

Christus nõ amat frustra.

amicis in rebus afflictis non deesse. Deus omnium nostrûm amicus est fidelissimus, de quo canit Propheta: *Sperent in te, qui nouerunt nomen tuum, quoniam non derelinquis quærentes te Domine.* Hîc discimus, *quàm suauis sit Dominus, & quàm bonus Israël Deus his qui recto sunt corde.* Constanter ergo cum Propheta clamare possumus: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo; Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Quia igitur hæ sanctæ mulieres toties benignitatem Domini expertæ erant, hac cognitione & fiducia confirmatæ, quàm paucissimis verbis causam suam Domino exposuerunt: paucis orant, quia multum diligebant. Hac igitur sororum oratione audita, respondit Dominus: *Infirmitas hæc nõ est ad mortẽ, sed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam.* Hoc est, quod vnigenitus Dei Filius totius probitatis exemplar, in omnibus operibus suis captabat, nempe gloriam Dei, quod hoc potissimùm opere consecutus est. Hunc scopum vir iustus sibi imitandum proponere debet, vt omnia sua studia ad Dei referat gloriam. Sic Moses Dei respexit gloriam quando dicebat: *Ne quæso dicant Ægyptij, callidè eduxit eos,* &c. Hoc affectu Paulus dicebat: *Magnificabitur Christus in corpore meo, siue per mortem, siue per vitam. Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum.* Vitæ autem & mortis nomine omnem fortunam, siue aduersam, siue secundam complexus est: vt quicquid in vita, siue triste, siue lætum accideret pari studio ad Dei gloriam referret. A qua quidem Apostoli mente & affectu longè absunt, qui cùm illis omnia ad votum cedunt, cũ Christo esse volunt, cùm verò aduersi aliquid patiuntur, in paupertate illi seruire nolunt. Christus suos aliter instituit: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Hinc Augustinus ait: *Deus est nobis summum bonum, neque infrà remanendum nobis est, neque vltrà quærendum: alterum enim periculosum, alterum nullum.* Itaque minus aliquid quàm Deum quærere periculosum: maius autẽ aliquid quàm illum, impossibile est. *Tunc quidem,* ait Euãgelista, *mãsit ibi duos dies.* Cur ita? Cur nõ statim accurrit, vt amicis supplicantibus opem ferret? In promptu ratio. Euentus nãmque consilium Domini facilè declarat. Si enim statim abiisset, non vitam mortuo, sed salutem ægro reddidisset: quam alius naturæ, alius medicinæ, alius casui tribueret; pauci diuinæ virtuti: atque ita hoc opus nec tam magnificè gloriam Dei illustrasset, nec tantum homini beneficium contulisset. Ideoque dedita opera distulit remedium, vt maius impenderet beneficium. Ille medicus cælestis

Psal. 9. — Psal. 72. — Psal. 26. — *Christus quid captauerit.* — Exod. 32. — Philip. 1. — *Christo qui adhæreãt.* — Matt. 10. — *Augustinus lib. 1 de moribus.* — *Medicus cælestis Deus.*

sicut

ficut poteſt ſanare, ita ſcit quando vtiliter ſanare debeat. Sic ergo dum non ſtatim harum ſororum votis Seruator obſequitur, beneficium auxit, dum ſalutem languentis, in vitam reſurgentis commutauit. Hinc diſcamus, Auditores, patienter Dei miſericordiam præſtolari. Ideoque pij omnes Propheticum illud in mente ſemper habere debent: *Si moram fecerit, exſpecta eum, quia veniens veniet & non tardabit.* Abac. 2.

Poſt hanc ergo duorum dierum moram, diſcipulis Saluator ait: *Eamus in Iudæam iterum.* Cui illi: *Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?* &c. Senſus eſt, ſicut Sol viſibilis ſua habet lucis tempora definita, quæ nulla vis mortaliũ intercidere aut minuere poteſt: ita Sol iuſtitiæ, qui in hunc mundũ venit, vt illuminaret eos qui in tenebris & vmbra mortis ſedent, ſua quoque habet tempora deſignata, quibus hoc officio fungi debeat, quæ nulla hominum vi aut potentia intercipi poterunt. Hinc alibi legimus: *Quærebant ergo illum apprehẽdere, ſed nemo miſit in illum manus, quia nondum venerat hora eius.* Meritò ergo Saluator ait: *Nónne duodecim horæ diei ſunt?* Quaſi dicat: Bono animo eſtote; quia necdum hoc tempus meum impletum eſt: ideoque neque mihi timere debetis, qui necdum hoc tempus impleui; neque vobis, qui hoc Sole vobiſcum agente, in die ambulatis. *Si quis enim ambulat in die, non offendit; quia lucem huius mundi videt.* In nocte offendere homines ſolent, quia luce deſtituuntur. Sic ergo vos neque ſine me ſtare, neque iuxta me cadere poteſtis; quia ſine me in nocte, mecum autem in die ambulatis. Vnde conſtanter & fideliter Thomas ad condiſcipulos dixit: *Eamus & nos, & moriamur cum illo.* Rectè ſanè Thomas. Quid enim adeò aſperum, aut amarum, aut contumelioſum eſſe poterit, quod non ab illo ſuauitatem & gloriam trahat? Quorundam hominum deformitas, amatoribus pulchritudo habita eſt: quid quæſo Filij Dei auctoritas & dignitas apud nos valeat? Rectè ergo Thomas: *Eamus & moriamur cum illo*, quando nihil nobis accidere glorioſius poſſit, quàm illi in quauis fortuna ſimiles fieri.

Simile.

Ioan. 9.

Poſteaquam ergo Dominus dixiſſet, *Eamus in Iudæam iterum*, cauſam huius itineris exponit, dicẽs: *Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado, vt à ſomno excitẽ eũ. Dicũt ei diſcipuli: Domine ſi dormit, ſaluus erit.* Nõ intelligebãt carnales adhuc diſcipuli cæleſtis Philoſophiæ idiomata, in qua iuſtorum mors non mors appellatur, ſed ſomnus. Sicut enim qui dormit, poſt modicum tempus excitatur, vt ad intermiſſum vitæ vſum redeat: ita iuſtorum corpora exiguo tẽporis ſpatio in terræ gremio cõdita,

Iuſtorum mors ſomnus.
Simile.

velut in lecto cõsopita iacent: quæ paulò pòst, in resurrectione futura, ad intermissam vitam redibunt. Vnde Apocalyp. cap. 11. Itaque totum hoc spatium, quod ante futuram resurrectionem interiectum est, modicum appellatur. Quid enim hoc totum, si cum æuo illo sempiterno conferatur, nisi modicũ, aut etiam momẽtum est? *Dies hominis vt multum, centum anni, quasi guttæ aquæ maris*, &c. Nobis tamen, qui modici sumus; momentanea hæc vita longissima videtur: ideò fit, vt multi ita viuant, quasi perpetuò victuri essent, quasi nullam Deo reddituri rationem essent. Accedit prauis nostris desideriis, antiqui hostis fallacia, qui mendax est, qui præstigiis suis nobis persuadet, quàm longissimè abesse, quod vnicuique nostrûm proximum est. *Mors*, inquit Bernardus, *senibus quidem in foribus, iuuenibus autem in insidiis est.* Veterator hic callidissimus pro sua cõmoditate, ac nostra pernicie, aliquando quidem longissimam, aliquando breuissimam vitam nostram facit. Atqui hunc hostem intra nos quotidie gerimus, eúmq; nobis familiarem facimus: parum enim quisque sibi constat, dum modò se mortalem, modò immortalem, pro affectuum suorum varietate facit. Timemus omnia tanquam mortales, concupiscimus tanquam immortales. Videamus sortis nostrę qualemcunque portionem: quales enim in hoc momento fuerimus, tales in æternitate permanebimus. O verè illi beati & felices, quorũ mors, non mors, sed somnus appellatur! Qui mortem exspectant, vt sunt pij, illi sibi illam familiarem fecerunt, vt de B. Francisco: impij autem ad illius nomen perhorrescunt. Cæterùm ea quæ in Euangelio sequuntur, paucis expediam. Venit tandem Dominus in Bethaniam, accurrunt protinus sorores, procidunt ad pedes eius, sortem suã lamentãtur, adstant & Iudæi (qui eò venerant vt eas consolarentur) simili modo lamentantes. Quos Dominus vt vidit, nouis & insolitis signis animi sui motus in omnium oculis indicauit. *Infremuit spiritu, & turbauit seipsum, & lacrymatus est*: orauit sublimi voce Patrem dicẽs: *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me*, &c. ac tumulo propiùs accedens (erat autẽ spelunca & lapis superpositus) sublato lapide, voce magna clamauit: *Lazare veni foras*. O mira omnipotẽtis Dei virtus! Ad hanc vocem Lazarus non tanquam mortuus è sepulchro, sed tãquam excitatus à somno prodiit. *Ligatus manus & pedes institit, & facies illius sudario erat ligata.* Hæc stupẽda huius miraculi summa est, qua, & Dei Filius glorificatus, & fides discipulorũ confirmata, & multorum qui aderant fides excitata, & Iudæorum inuidia atque perfidia cumulata est, hinc enim

Eccles. 18.
Psal. 38.
Hominum negligentia
Bernardus.
Mors quã vicina sit.
Seneca in epistolis.
Mors quibus familiaris.
Lazarus prodit.

enim eius occidendi occasionem arripuerunt. Marthæ negotium & colloquium, quod habuit cum Domino, introspiciamus. Vbi enim Dominus Bethaniam aduenisset, occurrit ei Martha, eiúsque pedibus prouoluta, *Domine*, inquit, *si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*. Addidítque verba mirandę fidei plena: *Sed & nunc scio, quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi*. Hæc mulier à Spiritu sancto docta, & multis Domini miraculis erudita, sic ex fide in fidem profecerat, vt summorum in Ecclesia virorum fidem imitari videretur. Hac in parte non inferior Abraham fuit, qui pater fidei dicitur. Martha Lazarum quatriduanum credidit Christi virtute à morte reuocandum, cùm ait: *Sed & nunc scio*, &c. *Ego credidi quia tu es Filius Dei*, &c. Petri fidem tantopere laudatam, & cælestis regni clauibus honoratam imitata est. Si enim vtriusque verba spectaueris, eadem Marthæ, quæ Petri confessio fuit.

Marthæ fides & pietas.

Matt. 16.

Et cùm hæc dixisset abiit, & vocauit sororē suam, &c. Non potuit nō magna causa huius diuini fremitus extitisse. Magnum enim fuisse necesse est, quod tātam illam lenitatem ad fremitum impellere potuit. Quæ autem huius diuini motus causa fuerit paulò inferiùs insinuari videtur, cùm quibusdam dicentibus, *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, vt*, &c. rursum Dominus infremuisse dicitur: certè ob illorū incredulitatem, qui & de præteritis miraculis dubitabant, & futuris ad fidē minimè illuminādi erant, quamuis quatriduanum à mortuis excitatum visuri essent. Annon hæc sufficiens causa diuini fremitus erat, cùm amator hominum Dominus tantam in ferreis illis pectoribus obdurationem cerneret, vt clarissimo omnium miraculorum adeò non excitarentur ad fidem, vt ad teterrimum necis eius facinus occasionem sumpserint? Dominus fremuit ob Iudæorum perfidiam, at modò grauiter indignatur ob nostram ingratitudinem. Beneficiorum Dei abusus est valde detestabilis. Fremens ergo Dominus, quærit: *Vbi posuistis eum? Respondit Martha: Domine, veni & vide. Et lacrymatus est Iesus*. Quid sibi vult hæc tam dissimiliū rerum coniunctio? Fremitus enim acrimoniā, lacrymæ autem cordis teneritudinē & pietatis viscera produnt. Quomodo ergo Dominus eodem tempore fremit & lacrymatur? Certè, vt ostendat piorum aduersus perfidos indignationem, misericordiæ & compassionis affectu temperandam esse. Illa Apostoli sententia erit habenda in pectore: *Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, corripite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tēteris*. Flet omnium rerum

Chrysologus.

Pectora ferrea qui habeant.

Fremitus & lacrymæ.

Galat. 6.

Christus ter fleuit. Luc. 19. Hebr. 5.

rerum Dominus, nec temere sanè. Ter fleuisse sacræ literæ Dominum tradũt. Primùm cùm audiuit de Lazaro vbi esset positus: deinde quando videns ciuitatem, futuram cladem eius lamentatus est: ac postremò cùm pro nobis in cruce cum clamore valido & lacrymis orauit. Qua quidem in re immensa eius charitas elucet, qui in suis doloribus & cruciatu nunquam, pro nostris autem sæpe lacrymatus est. Videmus sapientum & stultorum discrimen: illi in rebus præsentibus lætantur, isti de futuris cogitant. Hîc Dominus oculos in mortis causam coniecit, quæ huius tanti mali origo exstitit. Sorores & Iudæi mortuum plorabant: illæ quòd fratrem, isti quòd amicum perdidissent. Dominus deflet peccatum, & peccati pœnam. Ostenso sepulturæ loco, ait Dominus: *Tollite lapidem*. Potuit lapidẽ amouere, qui potuit mortuum suscitare; verùm quæ in nostra sunt potestate, nobis reliquit: quæ autem maiora viribus nostris erant, sibi sumpsit. Sublato ergo lapide, clamauit Dominus voce magna: *Lazare, veni foras*. Hanc vocem audiuit terra & cælum, audiuit & inexorabilis mors, & paruit, audierunt inferi manes, audiuit & paruit.

Augustinus.

Tria miracula voce Domini patrata sunt: corpus suscitatur, anima ab inferis reuocatur, ligatus pedibus & manibus ingreditur. Ait inde Dominus: *Soluite & sinite abire*. Quo exemplo Sacerdotes docentur, quos ligare, quos soluere debeant: in lethali crimine perdurantes, ligandi; viuentes, id est, pœnitentes soluendi. Agamus veram pœnitentiam, vt possimus delictorum veniam consequi & gratiam, ac postremò cælestem gloriam à Domino percipere mereamur. Amen.

Vox Domini quid effecerit.

DOMINICA IN PASSIONE DOMINI, CONCIO, IN QVA LECTIO Euangelica explanatur, & de ratione audiendi verbi Dei agitur.

THEMA. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Ioann. 8.

HACTENVS, Auditores, nos Ecclesia ad deflendam animæ nostræ mortem per pœnitentiæ lamenta, & peccatorum confessionem incitauit: nunc ad deflendam Saluatoris nostri mortem (quæ ex peccato nostro quoque originem duxit) incipit exhorta-

Vo-

Vnde præsens dies, Dominica in Passione appellatur, quòd ab eo Ecclesia vsque ad Pascha, Dominicæ passionis mysterium celebret. Ad quod etiam sacri huius temporis ieiuniis, orationibus, & lacrymis nos exerceri ac præparari voluit, quò maiori pietate ac religione tantùm hoc mysterium recoleremus: & pro hoc inæstimabili beneficio meritas Redemptori nostro gratias ageremus. Hoc sanè beneficio nihil ad animæ nostræ expiationem purgationémque efficacius, nihil potentius. *Quid enim*, ait Bernardus, *tam efficax ad purgandam mentis aciem, quàm vulnerum Christi sedula meditatio?* Hinc colligere licet, Auditores, quo affectu, qua deuotione hisce diebus incedere debeamus, in quibus acerbissimæ passionis Domini memoriam recolimus. Cùm caput dolore afficitur, cætera quoque membra condolent; & fundamento domus conuulso, reliquas quoque domus partes concuti necesse est. Si ergo caput nostrum spinis coronatur, qua fronte cætera corporis eius membra deliciis soluantur? Si totius Ecclesiæ, adeóque totius mũdi fundamentum hoc tempore nutat, quomodo partes eius inconcussæ atque immotæ maneant? Nostra hîc non parum venit arguenda supinitas, qui sacris his diebus sola nomina retinemus, affectum verò & sensum eorum vix vllum habemus. At beneficium hoc, quo ab æterna morte per Christi mortem erepti sumus, æternam quoque memoriam, & gratum à nobis animum exigebat. Non à Pharaonis, sed à Diaboli tyrannide; non agni, sed Christi sanguine liberati sumus. Hoc quidem vtcunque cogitari potest, sed pro dignitate explicari non potest.

Passionis mysterium efficacissimum. *Bernardus.* *Simile.* *Negligẽtia nostra arguenda.*

AVE MARIA.

IN sacra huius Euangelij lectione Dominus & innocentiam suam, & aduersariorum suorum perfidiam atque malitiã apertissima oratione demonstrat. Sed quoniam is qui aliorum mores castigare studet, omni culpa vacare debet: ideò sicut olim Samuel Iudæorum ingratũ animum & peruicaciam increpaturus, priùs integritatem suam, ipsorum etiam testimonio, comprobauit: ita quoque in præsenti lectione Dominus innocentiam suam, priusquam Iudæorum scelera traduceret, eorundem quoque voce testatã esse voluit. Vnde ait; *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Multi aliter faciunt, aliorũ considerãt crimina, seipsos non inspiciunt, sua crimina non vident forsitan grauiora. Sic erat ille Pharisæus, orans in templo, qui trabem gerebat in suo oculo, & festucã proximi reprehendit. Hic

1. Reg. 12. *Doctor qualis esse debeat.* *Luc. 18.* *Bernardus.*

morbus

morbus ex superbia nascitur, cuius primus gradus est curiositas, quæ ex incuria & negligentia erga vitam propriam oritur. Si enim te vigilanter attenderes; mirum planè esset, si ad alia intenderes. Solus ille ad aliena vitia carpēda maximè idoneus est, qui nihil habet, quod verè reprehendi potest. Quam rem exēplo suo Dominus in præsenti lectione cōfirmat, qui priusquam Pharisæos obiurgaret, innocentiam suam ostendit alienam ab omni offensione, non modò ab omni malo, sed etiam specie mali; vt ne ipse quidē inimici oculus (quo nihil est perspicacius) aliquid in eo inueniret, quod meritò reprehenderet. *Hic*, inquit Propheta, *peccatum non fecit, nec dolus in ore eius inuentus. Quis ex vobis arguet me de peccato?* Saluator innocētiæ suæ testes inimicos suos citat. Huius non cōtemnendæ vtilitatis materiam nobis præbent inimici. Sic & Dauid ait: *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo.* Vbi ergo Dominus innocentiam suam apertissima ratione comprobasset, tum aduersarios suos obiurgare aggreditur, dicens: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Duplicē Iudæis Dominus proponit quæstionem. Si neque vita mea, nec doctrina vllo modo improbari potest, cur fidem mihi non habetis? Duplici enim de causa fides alicui detrahi solet, vel quia anteacta eius vita accusari, vel quia doctrina meritò reprehendi potest. At vitæ meæ vos ipsos (qui tanto studio inquiritis, quod in ea calumniari possitis) iudices atque testes facio. *Si veritatem dico.* Quod perinde est, ac si diceret: Veritatis & doctrinæ meæ non ego, non vos, non humana iudicia, sed Deus ipse testis est, qui eā diuinis operibus confirmat. Cur ergo adeò firmæ & constanti veritati fidem nō adhibetis? Ardua planè quæstio, & difficilis ad explicandum: cur videlicet frequēter hominibus tam inuisa veritas sit, quæ tanto amore amplectenda esset, quanto odio mendacium detestādum, quod humanæ vitæ fundamenta conuellit. Quid, quòd tanta veritatis dignitas & maiestas est, vt ipse sibi rerum omnium Dominus veritatis nomen indiderit? Sic enim ait: *Ego sum via, veritas, & vita.* Quid, quòd Saluator ipse ad hoc se natum, & in mundum venisse ait, vt testimonium perhiberet veritati? Si igitur tanta in veritate vtilitas, tanta dignitas, cur vsque adeò tam multis hominibus inuisa est? Cur tot Prophetæ, tot Martyres & sancti viri propter veritatis prædicationem, gladiis impiorum occubuēre? Verùm hæc quæstio plus habet querelæ quàm difficultatis. Constat enim duplicem esse veritatem: alterā, quæ nihil ad mores hominum facit, quam vel scire, vel ignorare non admodùm ad

Curiositas reprehenditur.

Esa. 53.

Psal. 118.

Christi innocentia.

Veritas cur inuisa.

Ioan. 14.

Martyres cur occubuēre.

eos pertinet: alteram verò, quæ improborum hominum mores & vitia conuellit, & in lucem prodit, quam constat ipsis molestissimã esse. Sicut enim flagitiosi homines, cùm turpe aliquid operantur, maximæ iniuriæ loco ducũt, si quis eo tempore lucernam adhibeat, quæ eorum facinus prodat: ita planè improbi omnes veritatis eius prædicationẽ molestissimè ferunt, quæ velut accensa quædam facula, eorum turpitudinem atque fœditatem detegit. Hinc Iob de adulteris, qui alienæ pudicitiæ noctu insidiantur, loquens, ait: *Si subitò apparuerit aurora, arbitrantur eam vmbram mortis, & sic in tenebris quasi in luce ambulant.* Hoc igitur in causa est, cur & Pharisæi, & omnes praui homines veritatem oderint: quod planè Saluator ipse, cũ hominibus mundo addictis agens, apertè indicat his verbis: *Non potest mundus odisse vos; me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de ipso, quia opera eius mala sunt.* Videtis quàm odiosa veritas ea in mundo sit, quæ eius praua opera condemnat? Vide de Propheta Domini Michæa, quem Achab ob veritatem odio habuit in sui perniciem. Non desunt apud nos, qui veritatem non æquo animo amplectuntur. Euangeliũ aduersatur carnis cupiditatibus, auaritiæ, libidini quis carnis amicus & mundi, hæc ipsa libenter amplecti velit? Subdit Euangelista. *Qui ex Deo est, verba Dei audit: proptereà vos nõ auditis, quia ex Deo nõ estis.* Vnaquæq; enim res suo simili gaudet: miles armis, studiosus libris, auarus pecunia, ambitiosus honore. Quisquis ergo ex Deo est, hoc est, qui spiritu Dei afflatus, diuinæ naturæ cõsors existit, gaudet vtiq; diuinis rebus, vtpote quæ illi similes & cognatæ sunt: quo fit, vt sanctis viris nihil sit in vita iucũdius, quàm de Deo semper audire, de ipso loqui, agere & meditari. Hinc de beata Cæcilia legimus, quòd non diebus ac noctibus à colloquiis diuinis & oratione cessabat. Hinc Regius Propheta: *Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea est.* Quod si quisquis Deum diligit, libenter de rebus diuinis agit: ergo quisquis ad hæc & surdus, & mutus, & omninò auersus est, quomodo Deum diligere credendus est? Quis hîc resistit? nempe malorum omnium auctor Dæmon, cui homo per peccatum potestatem contulit. Tales sunt sicut aspides surdæ, & obturantes aures suas. Vt tyrannus qui arcem aliquam deuicit, curat ne alicui pateat clandestinus aditus: ita spiritus ille nequam aures claudit infelicis animæ, ne illi illuminatio Euãgelij fulgeat. Rectè ergo Dominus: *Proptereà vos non auditis*, inquit, *quia ex Deo non estis.* Cùm igitur Dominus hanc se dignam sentẽtiam, qua eos sanare volebat, protulisset: illi

Simile.

Iob.24.

Qui malè agit, odit lucem.

Ioan.7.

3. Reg.22.

Piis quid consuetũ.

Psal.118.

Psal.57.

Simile.

Iudæorum malitia. illi contrà in eadem persistentes malitia: *Nónne*, inquiunt, *bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmoniũ habes?* Videte, quæso, quomodo in media luce caligẽt: quomodo eos & liuor, & odium, & malitia excæcarunt, vt talia cõuicia in eum iactarent, cuius nec vitam reprehendere, nec mendacium coarguere, nec doctrinam vllo modo improbare poterant. Vnde errorum fons, nisi ex hominum corruptis affectibus? Ex hoc enim quòd tam admiranda signa edebat, quorum gratia illum suspicere & colere isti phrenetici debuissent, malitia obcæcati familiarem Dæmoni esse affirmabant. Verùm ad Samaritani, hoc est, ad generis conuiciũ nihil Dominus respondit, vt illud nihili faciendum ostenderet, cùm omnes, quatenus ex Adam propagati sumus, proditoris filij simus; quatenus verò per Dei gratiam renati, & in filios Dei adoptati, verè nobiles atque ingenui simus. *Samaritanus quis fidelis.* Samaritani conuicio nihil respondet. Samaritanus quippe custos dicitur: ipse verus & fidelis custos omnium suorum est. Cæterùm Patris opera Dæmoni adscribere, ad grauissimam eius iniuriam pertinet. Hoc enim præcipuum Sãctorum omnium studium fuit, illatas sibi contumelias negligere: Dei verò iniurias indignissimè ferre, & modis omnibus propulsare. *Num. 12.* Moses mitissimus erat, gloriç suç negligens, quo ardore pro Dei gloria certauerit, ex vindicta quam de adorati vituli piaculo sumpsit, intelligere licet, tria enim millia hominum vna die per filios Leui trucidari præcepit, quos nec filiis, nec fratribus parcere iussit, alio tempore viginti quatuor millia. *Exod. 32.* Ad hunc ergo modum Saluator Samaritani conuicium in se prolatum negligit: Patris verò iniuriam (cuius admiranda opera Dæmoni tribuebant) aperta ratione depellit, cùm ait:

Ego dæmoniũ non habeo, sed honorifico Patrẽ meum, &c. Agnus mansuetissimus simplici tantùm verbo hanc tantam à se contumeliam depulit. Quid hac responsione blandius? quid mansuetius? quid benignius? Hanc tantam Domini mansuetudinem Petrus Apostolus nobis imitandam proponit, cùm ait: *2. Petr. 2.* *Christus passus est pro nobis*, &c. *Conuiciator vt accipiendus.* Tu si quando conuiciis incesseris, si nihil pendas, conuiciatorem tuum mœrore & molestia, qua te afficere voluit, ipsum afficies. *Simile.* Telum iactum in leuem materiam, penetrat: at iactum in ferrum, in iacientẽ protinus telum reflectitur, & illum frequenter vulnerat: ita conuicium infirmum animum vulnerat, fortem autem non lædit, imò constantiorem reddit. *Chrysostomus.* *Nemo*, inquit Chrysostomus, *læditur, nisi à seipso.* Si tu patientiæ clypeo armatum pectus gestes, quæ te conuiciorũ tela sauciare poterũt? *Mansuetudo amabilis.* Lenitas sanè summo studio

studio colenda est, quæ Dominum Deum intra nos manere facit. Ipse in Euangelio clara voce ait: *Discite à me; animo enim miti sum & humili.* Suauitas morum & mansuetudo nos amabiles hominibus, & Christo simillimos facit. Quæ cùm ita sint; procul odia, dissidia, omnis vindictæ cupiditas absit: hæc semper nocent animæ. *Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam.* Hunc furorem à nobis excutiamus, & Seruatoris nostri lenitatem in omni vita colamus. *Beati,* inquit, *mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Vbi verò hac ratione Dominus Patris sui gloriam defendisset, pergit deinde mirabilem doctrinę, quam tradebat, vtilitatem his verbis ostendere: *Amen amen dico vobis, si quis sermonē meum seruauerit,* &c. Hæc verba magnum salutis nostræ mysterium cōtinent. Verba sunt Chrysologi: Hoc vel maximum esse inter pios impiósque discrimē, quòd isti corporis sensibus, illi fide ac fidei comite spe ducūtur. Hinc fit, vt illi sola ferè præsentia quærant, quæ humanis sensibus percipiuntur: isti verò alis fidei ad cælestia subleuati, cælestium futurorumque bonorum desiderio capiantur. Ideóque nihil sibi magis quàm vitam æternam quærēdam, nihil magis quàm mortem æternam vitandam persuadent. Vtrumque autem se feliciter consecuturos putant, si diligenter sermonem Domini seruauerint. Vide in Diuitis & Lazari vita discrimen. Sic pij omnes potiùs Lazari sortem, quàm diuitis amplissimam fortunam amplectuntur. Sciunt scriptum esse: *Momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Hinc quendam sanctorum Patrū, quoties aliquid aduersi incidisset, hanc sententiam in ore habuisse ferunt: *Tantum est bonum quod exspecto, vt omnis me pœna delectet. Amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortē non videbit in æternum.* Non hoc de sola æterna morte (quę mors secunda vocatur) intellexit, sed simpliciter diuinarum legum obseruantes non esse morituros dixit. hæc promissio est certa. Verè enim dici potest, viros iustos non videre aut gustare mortem. In morte enim duo maximè acerba, & hominibus formidabilia sunt: alterum rationis reddendæ, & sortis futuræ metus, quæ improbi homines vehementer timent: alterum abdicatio voluptatum omnium atque deliciarum, quibus in hac vita fruuntur, à quibus in morte spoliātur. Hæc enim duo si demus, non est cur mors, hoc est, commune naturæ debitum, timeri debeat. At verò Christi seruos nihil horum cruciare solet. *Timenti Dominum, bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur.* Hi respirare, & capita le-

Matth. 11.

Ecclef. 28.

Matth. 5.

Chrysologus.

Piorum ac impiorum discrimen.

Luc. 16.

2. Cor. 4.

Apocal. 2.

Spes piis est anchora.

Ecclef. 1.

Luc. 21.

uare iubétur, quòd redemptio eorum appropinquat. Ab altera timoris causa multò magis pij omnes immunes sunt. Hi námque opes omnes, & voluptates suas in vnius Dei cognitione, ac amore constitutas habent. Hi mortem non timent, imò vehementer optant. D. Cyprianus tanto mortis desiderio flagrabat, qui carnifici iugulum petenti, nō modò iugulum præbuit, sed etiam viginti minas auri illi pro hoc beneficio dari iussit: plura forsitan daturus, nisi cætera pauperibus reseruasset. Vide desiderium quo dissolui cupiebat Paulus, & esse cum Christo. Sed cùm has Dominus Margaritas ante porcos protulisset, illi aduersus eum furentes, *Nunc*, inquiunt, *cognoscimus, quia dæmonium habes*, &c. Quib⁹ Dominus, *Et si ego*, inquit, *glorifico meipsum*, &c. *Abrahā pater vester exultauit, vt videret diē meum, vidit & gauisus est.* Diem Christi vidit Abrahā: primùm quidem cùm magnificam illam à Deo promissionē accepit. In semine tuo benedicētur omnes gentes; hoc est, filius ex te nascetur, per quem salus & redemptio vniuerso mortalium generi tribuenda est. Cuius rei gratia meritò exultasse dicitur, vbi hūc felicissimum vidit. Vidit etiam diem Christi, cùm mortis eius imaginem in Filij sui sacrificio contemplatus est: per quam quidem mortem vita mundo reddenda, & multiplex filiorū Dei soboles propagāda erat: quæ materia illi fuit maxima exultationis. Nominat autem Dominus diem mortis suæ, diem suum, ob charitatis magnitudinē. Plus lætitiæ ei attulit de vita nostra, quàm mœroris de morte sua. Ipse proposito gaudio, sustinuit crucem. Cùm hoc igitur tantum mysterium infelices Iudæi non assequerentur, responderunt ei: *Quinquaginta annos nōdum habes, & Abraham vidisti?* Quibus Dominus: *Amen amen dico vobis, antequā Abraham fieret, ego sum.* Quibus verbis euidenter duplicem Saluator noster naturam, duplicemque vtriusque natiuitatem insinuauit: alteram, qua ante Abraham ex patre; alteram, qua post Abraham ex matre natus fuit. Quod Ioannes Baptista, de ipso Christo Saluatore loquens, affirmat, cùm ait: *Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est.* Quod enim post illum fuit, veri hominis; quod verò ante illum, supra hominem erat. Quibus verbis rabiosi illi canes in furorem versi, *Tulerunt lapides, vt iacerent in eum: Iesus autē abscōdit se, & exiuit de templo.* Ille abscondit se, qui simplici verbo cohortem militum contra se venientem in passione prostrauit. Qui etiam efficere potuit, vt brachia ipsa, quæ ad lapides protendebantur, simul cum lapidibus obrigescerent, sicut Hieroboam Regis brachium exaruit: & tamen amore nostri, velut sui oblitus,

Cyprianus pecuniam carnifici cur dederit.

Philip. 1.

Genes. 22.

Dies Domini qualis.

Ioan. 1.

Ioan. 18.

3. Reg. 13.

tus, abscondit se, & exiuit de templo. Abscondit se Dominus, sicut ipse olim Hieremiam & Baruch, cùm ad necem à perfido Rege quærerentur, occultauit: atque ita exiuit de templo, quo quidem exitu, re ipsa dicere videbatur: *Relinquetur vobis domus vestra deserta.* Christus Dominus aliis curãdis Deus erat; at sibi tamen vni homo, sibi pauper, sibi infirmus & impotens erat. *Non quærebat quæ sua, sed quæ aliorum.* illud proprium est charitatis. Principes docuit, vt potentia, qua pollent, non ad sua commoda, sed ad aliorum salutem vti debeant. *Verè enim maxima fortuna, maxima seruitus est. Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Ecclesia multis rationibus homines ad vitæ veteris pœnitentiam, & meliorem mentem reuocat, tum maximè crebris concionibus. Sunt tamen pauci, qui Concionatoris voce commoti, pristinos mores corrigant, & peccati à se iugum depellant. Res sanè ipsa indicat: tum & Esaias significauit, cùm ait: *Domine, quis credidit auditui nostro?* quo in loco *credere*, pro, *obedire*, vsurpauit, vt Apostol⁹ ad Romanos interpretatur. Quòd autem verbum Dei suos non consequatur fructus non illius est vitium, sed vitio auditorum euenit. Qui autem cupiditatis suæ immanitate ita sunt vincti & alligati, illi nullo modo pedes ab hoc Diaboli laqueo (à quo captiui tenentur) soluere volunt: quia quamuis hinc eos vis diuini timoris impellat, inde tamen violentior cupiditatis & secularium rerum voluptatum æstus abripit, & in diuersum abducit. Sunt nonnulli, quod valde dolendum est, qui licèt oculos habeãt, & aures patentes ad verbum Dei (cuius summa est virtus) adeò sunt surdi & stupidi, & nihilo magis mouentur, quàm si Homeri fabulam audirent. Hi sanè & oculis, & auribus capti sunt. De his Saluator rectè ait: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Talibus frustra penè verbũ Dei proponitur: atque vtinam frustra solùm, ac non in maius eorum malum, audita & neglecta doctrina cederet! Veritas enim cognita & neglecta, adeò auditores non iuuat, vt deteriorẽ etiam causam auditorum faciat. Hîc Dominus ad Iudæos, qui in Lege Dei, ac legislatore Mose gloriabãtur, ait: *Est Moses, qui accusat vos, in quo vos speratis.* Augustinus cõmodum adducit exemplum: *Simul pluit Dominus super segetes & spinas: sed segeti pluit ad horreum, spinis ad ignem, & tamen vna est pluuia: sic planè verbũ Dei omnes compluit.* Videat quisque qualem radicẽ habeat, videat quò trahit pluuiam bonam. Si eam trahit vt generet spinas, nunquid pluuia Dei accusanda est, antequam veniat ad radicem? Corporis Christi in Eucharistia, & verbi illius eadem est ratio: non minùs peccat,

Matth.23

1. Cor.13.

Seneca.

Esa.53.

Credere obedire est.

Rom.10.

Verbũ Dei impeditur.

Ioan.8.

Seruus sciens voluntatem Domini.

Ioan.5.

Simile ex Augustino

Augustini sententia.

qui verbum Dei audit negligenter, quàm qui sumit Sacramentum Eucharistiæ indignè. Euangelicæ literæ sunt quasi epistola quædam de cælo missa, & per ipsum Dei Filium ad erudiendos homines in terram allata. Vide quomodo rex ille Iosias verbum Dei audiuit. Sit speculum nostrum. *Homo sensatus credit legi Dei, & lex illi fidelis.* Dominus det gratiam & audiendi, & obediendi. Amen.

4. Reg. 25. Eccles. 33.

FERIA QVARTA POST DOMINICAM IN PASSIONE, CONCIO, IN QVA lectio Euangelica explanatur: agitur quoque obiter de aliis rebus valde necessariis, vt legenti patebit.

IN superiori Dominica, vt videre possumus, cœpit Ecclesia, Auditores, Dominicæ passionis mysterium celebrare: ideóque lectiones Euangelicæ, quæ hoc tempore nobis proponuntur, Iudæorum furorem & odium aduersus Christi Euangelium, & lucem veritatis, quam à se repulerunt, præcipuè continent. Hæc enim Dominicæ passionis initia fuerunt. Idem igitur in sacra huius diei lectione tractatur: obiterque ouium Christi ingenium, obedientia, & felicitas describuntur. De his igitur nobis hodie in præsenti Concione potissimùm agendum est. Quæ vt piè & viriliter tractare valeamus; cælestem opem, beatissimæ Virginis interuentu, solita oratione imploremus.

AVE MARIA.

INTER sacros Euágelicæ historiæ scriptores, dilectus Domino Ioannes Euágelista, Dominicæ passionis historiā (quam hisce diebus Ecclesia celebrat) copiosiùs scribendam suscepit. Non enim contentus extremum Dominicæ mortis & crucis agonem, vt cæteri, explicasse, multas etiam pugnas & contentiones Pharisæorum, quæ passionem ipsam præcesserūt, describit: per quæ tandem ad extremum crucis supplicium ventum est. Quod quidem duplici potissimùm de causa S. Euangelista fecisse videtur. Altera, vt ostenderet quantum omnes clementissimo Redemptori deberemus: qui nō solùm crucis & passionis supplicia pro nobis pertulit, sed varia quoque persecutionum genera, accusationes, & innumeros vbique labores nostri causa

Ioannes Christi passionem intimè tractat.

causa longo tempore sustinuit vt illum diligamus, & salutem nostram charam habeamus. Altera causa exstitit, vt humanæ naturæ prauitatem, Pharisæorum exemplo, demonstraret. Natura humana post lapsum valde impotens reddita est, & ad omnem veram pietatem infirma. Quis vnquam maiora miracula, quàm Christus Dominus edidit? Quis clariora virtutum exempla ante omnium conspectum proposuit? Parum tamen profuerunt, vt perfidiam illius populi obstinatam superarent: qui propter malitiam suam, diuina ope destitutus fuit. Vide ne nimium innitaris tuæ prudentiæ, nobilitati, eruditioni: verùm præcipuum salutis præsidium in vna Dei misericordia & gratia cõstitue: ita enim fiet, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius: *sed qui gloriatur, in Domino glorietur.* Ad Euangelium veniamus. *Facta sunt*, inquit Euangelista, *encænia in Hierosolymis, & hyems erat*, &c. Festum erat hoc solenne, quo purgatio & renouatio templi, ab Antiocho Asiæ rege prophanati, & à Iuda Machabeo instaurati, diebus octo celebrabatur. *Et hyems erat:* quoniam hoc festum in mẽse Casleu (qui apud nos est Nouẽber) agebatur, quo hyemis frigus vrgere solet. Quod quidem tempus non otiosè S. Euangelista descripsisse putandus est. Hoc enim Iudæorum frigiditati maximè conueniebat, de quibus apud Hieremiam scriptum est: quòd quemadmodum cisterna frigidam facit aquam, ita illi frigidam fecerunt malitiam suam. Qua quidem loquendi ratione significare diuinus Vates voluit, charitatis ignem apud illos exstinctum prorsus fuisse, solumque ardentissimum sui amorem in illis viguisse. Hi námque duo amores ita sibi aduersantur, vt quò magis amor sui feruet, eò magis fraternæ charitatis amor frigeat. Alia quoque ratione illa Hieremiæ verba intelligere licet, cùm Iudæos ait frigidam fecisse malitiam suam, sicut cisterna aquam suam. Aqua enim, quæ per se frigida est, in cisterna diu seruata, natiuam frigiditatem intendit & auget. Quo exemplo genus quoddam hominum designatur, qui insigniter improbi & peruersi, naturalem peccandi malitiam sua improbitate, & peccãdi facilitate augent. Vnde duplex genus peccãtium ex hoc loco possumus intelligere: vnum eorum qui peccant quidem, sed cum pudore & metu, vtpote qui se & iudicem habere, & factorum apud illum rationem reddendam esse agnoscant. Et hi quidem citiùs ad mentem redeunt, facilíusque curationem admittunt. Alterum eorum qui peccandi consuetudine sic obdurati & obcæcati sunt, vt nihil horum illis in mentem veniat, de quibus Propheta ait: *Non est Deus in conspectu*

Natura nostra prauitas.

Prouerb. 3.

1. Cor. 10.

Frigus Iudæorum.

Hierem. 6.
Simile.

Amor sui & proximi.

Peccantiũ duplex genus.

Psalm. 10

Insanabiles qui sint.

eius: inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. Hos Aristoteles insanabiles vocat, quòd, vix, aut cum magno labore, ad sanitatem perducantur. Hi sunt ergo, qui sicut cisterna aquam, ita frigidam faciunt malitiam suam: quia videlicet naturalem peccati malitiam, ipsi Dei contemptu, atque peccandi facilitate cumulant. Quia enim summa peccati malitia, est diuinæ maiestatis contemptio (quæ in omni peccato reperitur) vbi maior fuerit contemptus, maior peccati malitia atque deformitas erit. Hęc ideò dicta sunt, vt mysticum hyemis sensum, & frigidæ malitiæ rationem explicaremus. Hoc ergo tempore circundederunt Dominum Iudæi, dicentes: *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palàm.* Hoc non dicendi, sed calumniandi studio quærebant: quo eum apud Præsidem tyrannidis atque affectati regni accusarēt. Hoc enim nomine maximam illi inuidiam apud Pilatum conflauerunt, dicentes, illum sibi Regis nomen vsurpasse: quod contra Cæsaris dignitatem & imperium esse aiebant. Hanc ergo confessionem ab eo præsente populo extorquere volebant, vt eum illicò in potestatem Præsidis traderent. Cæterùm quia sapientiam non vincit malitia, ita Dominus responsionęm suam temperauit, vt nec dissimularet quis esset, nec illis hãc calumniandi ansam præberet. Quæ autem hîc quærunt, cõstat eos non animo credendi, sed calumniandi interrogasse. Cùm enim maiorem doctrinæ fidem faciant miracula quàm verba; qui tot Christi miraculis fidem non habebãt, quomodo simplici eius confessioni credidissent. Quocirca appositissimè illis Dominus respõdit his verbis: *Loquor vobis, & non creditis. Opera quæ dedit mihi Pater,* &c. Hoc est, si verbis meis fidē nõ habetis, operibus certè habere deberetis: quæ cùm solius Dei sint (vtpote quæ omnem creatæ naturæ vim & facultatem superant) facilè declarant Deum ipsum veritatis huius testem esse. Obseruandum autem diligenter est, nunquam Dominum in tota fermè Euangelica historia aut doctrinæ suæ, aut operum suorum mentionem fecisse, quin vtriusque rei patrem suum auctorem faceret. Quod Ioannes Euangelista inter cæteros magna cura obseruasse videtur. Sic enim apud illum Dominus ait: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* Et ad Patrem loquens *Verba*, inquit, *mea, quæ dedisti mihi, dedi eis.* Et: *Opera quæ dedit mihi Pater vt faciam, illa sunt quæ testimonium perhibent de me.* Et in pręsenti lectione: *Multa opera bona ostēdi vobis ex Patre meo,* &c. Quo loquendi genere, Auditores, monemur, vt quicquid rectè cogitamus aut loquimur, quicquid in operibus

Peccati deformitas.

Luc. 23.

Miracula mouent.

Ioan. 7.

bus pietatis agimus; meminerimus hæc omnia velut stillicidia quædã diuinę miserationis ad salutem nostram defluẽtia esse; ideoque nihil solis humanis viribus, sed omnia illius gratiæ accepta ferre debemus, & cùm Propheta dicere: *Virtutẽ meam tibi cantabo, quia Deus susceptor meus es tu.* Sic enim D. Hieronymus ex Hebræo vertit, pro eo quod nos legimus: *Adiutor meus tibi psallam.* Itaque vir sanctus & in hoc hymno, & in omnibus aliis, omnium rectè factorum gloriam fidelissimo tribuit. *Sed vos non creditis; quia nõ estis ex ouibus meis.* Si igitur isti non erant ex ouibus Christi, erant igitur ex hœdis diaboli; qui cùm sit Princeps tenebrarum, tenebras etiã eorum animis offundit, qui illius obsequio addicti erant. Peccatum enim velut atra quædam nubes est, quæ Soli iustitiæ Christo obiecta, lucis eius fluxum in hominis mentem impedit. Quò autem plura homo peccata cõmittit, eò magis nubes illa obscuratur atque densatur: donec tandem Ægypti tenebris similis fiat, quę manibus palpari poterant. Quo fit, vt qui huiusmodi tenebris circunfusi sunt, in meridiana quoque luce caligent; hoc est, etiamsi apertissima miracula videant, vel grauissimis etiam à Deo propter scelera sua plagis vapulent, non ideò tamen à semel cõcepta prauitate resiliunt. Hoc ita apparet in obstinatione, & horrenda Ægyptiorum cæcitate esse. Huiusmodi improbi longè sunt à cœtu ouium Christi. Ouium simplicitas & sinceritas docilis & fidelis est: at Pharisæi animos gestabãt ambitione cæcos, auaritia, terrenisque cupiditatibus infectos, & à simplici ouium mansuetudine & simplicitate alienos. Hinc ad Pharisæos Saluator ait: *Quomodo potestis credere, qui gloriam abinuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis?* Hæc ergo præcipuè Iudaicæ perfidiæ causa exstitit: quare orãdus semper nobis est Deus, ne in hoc superbiæ & ambitionis præcipitium nos ruere permittat. Vbi verò Dominus hãc perfidiæ illorũ causam exposuisset, quòd illi videlicet ex ouiũ suarum grege non essent: incipit deinde ouium suarum mores & ingeniũ describere. Sic enim ait: *Oues meæ vocẽ meam audiunt, & ego cognosco eas, & seq.* &c. In his pauculis verbis, cælestem Philosophiã, sapientiam, verã animarum quietẽ & tranquillitatem inueniemus. Quicquid enim aliàs in literis sanctis vagũ & dispersum est, hac breui oratione continetur. Omnia quippe diuinorum voluminum scripta, duos nos potissimùm docent: alterum quid nobis facto opus sit, vt diuinæ voluntati pareamus: alterum quod à Deo parentibus præmiũ propositum sit. Vtrumque autem in his verbis Dominus breuiter exponit. Duo

Opera nostra stillicidia à Deo sunt.

Psalm. 58.

Peccatum nubes atra.

Exod. 10.

Ouiũ mores qui.

Ioan. 5.

Summa nostræ salutis.

Litera sacra quid contineãt.

enim sunt quæ ab ouibus suis requirit, & duo item quæ illis promittit, vt paria paribus reddantur. Summum studiũ ouium Christi duabus potissimùm rebus continetur: nempe vt verba eius audiant, & exempla vitæ sequantur. Audiunt autem eius verba, non quidem sola aure corporis, sed multò magis aure cordis, Propheticum illud exsequentes: *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Sciunt enim, quia non auditores legis iustificabuntur apud Deum, sed factores legis. Sed quia longum iter est per verba, breue per exempla & efficax: ideò non contentus Dominus verbis suos ad iustitiam erudire, exemplis etiam confirmat: & quos ipse aliis labores iniungit, prior subit. Vnde alibi de ouibus suis, séque earum Pastore agens, dicit: *Et cùm proprias oues emiserit, ante eas vadit, & oues illum sequuntur.* Quia enim eum præcedere vident, posito metu, quacunque perrexerit, sine cunctatione sequuntur. Itaque si is per viam humilitatis, patientiæ, obedientiæ, atque omnium laborum incedat, magno animo ductorem suum per has vias sequuntur. Sciunt enim scriptum esse: *Magna gloria est, sequi Dominum, longitudo enim dierum assumetur ab eo.* Domini hìc apparet charitas, qui nos virtutum suarum exemplis, ceu stimulis quibusdam, acuere & excitare dignatur. Euenit aliquando vt peritus medicus amico ægro amarum pharmacum, valde tamen eius morbo necessarium, porrigat: quod is tamen bibere recusat. Cúmque nullis precibus flecti possit, vt medico pareat, ipse vt horrorem recusanti adimat, partem eius bibit; vt hoc exemplo sui gratia æger faciat, quod medicus nulla morbi necessitate, sed sola charitate constrictus, propter illum facit. Hoc igitur cælestis medicus nobiscum agere misericorditer voluit: quos cùm videret neque minis, neque promissis ad salutaria diuinæ legis medicamenta sumenda induci posse; ipse prior illa omnia, & multò grauiora, nulla sua necessitate, sed sola charitate subire dignatus est: vt, quos suæ salutis cura minùs mouere poterat, ardentissima eius charitas incitaret. Quo factum est, vt huius tantæ dilectionis beneficio incensi homines, non ad obseruantiam modò diuinarum legum, sed ad cruces, ad gladios, ad ignes, ad rotas excarnificandi alacri & prõpto animo currerent. Vehemens enim amor, Christi amore excitatus, aspera omnia & amara in dulcedinem vertit. Omnia námq; grauia & difficilia, imò & impossibilia, leuia & suauia facit amor. Minùs autem amare conuincitur, cui, quod dilecto gratum est, displicet.

Hactenus quod sit ouium Christi munus & officium, expo-

Psal. 118.
Rom. 2.
Exempla docent.
Ioan. 10.
Eccles. 23.
Simile.
Amanti nihil difficile est.

simus: quod sit autem his ouibus præmium propositum, exponit ipse, cùm subdit: *Ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Causamque huius tantæ securitatis protinus explicat, dicens: *Pater quod dedit mihi, maius est omnibus, & nemo potest rapere de manu Patris mei.* Quocirca si nemo rapere oues de manu Patris potest, nec de manibus quidem meis eripiet: quia ego & Pater vnum sumus. Nunc quid illis vicissim promittat, videamus. *Ego cognosco eas, & ego vitam æternam do eis.* Duo ergo à nobis exigit, & duo item (vt antè diximus) promittit: hoc est, bona gratiæ in præsenti seculo, & bona gloriæ in futuro. *Cognosco*, inquit, *oues meas.* Hoc cognitionis verbo, quo bonus Pastor oues suas cognoscit, non nudam & sterilem cognitionem designat (hac enim Dominus non oues suas modò, sed etiã diaboli hœdos agnoscit) sed cognitionem amori summo cõiunctam significare voluit: vt idem sit cognoscere, quod diligere, fouere, protegere, & singularem ouium suarum curam & procurationem gerere. *Ecce*, inquit apud Ezechielẽ, *ego pascam oues meas, & ego eas accubare faciam. Quod perierat requiram*, &c. Quos luporum ac ferarum incursus, sub huius Pastoris custodia, poterunt oues formidare? Est & aliud præmium, quod venturo seculo reseruatur: *Et ego*, inquit, *vitam æternam do eis.* Quæ sit autem hæc vita æterna, ipse alibi exponit, dicens: *Hæc est autẽ vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* In hac cognitione, in hoc perspicuo illius pulchritudinis amore, felicitatis nostræ summa est constituta, sicut ait Propheta: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* In ipso sunt omnia bona quæ desiderari poterunt: ideóque nihil erit, quod humana mens extra illum quærere aut desiderare queat. Hoc solo vniuersali, & plenissimo bono voluntas nostra plenissimè satiabitur. Rerum enim conditor Deus, qui eam vim atque naturam magneti contulit, vt ferrum ea illitum, in solum mundi polum aspiciat, & in vno illo conquiescat, extra illum verò irrequietis semper motibus agitetur; eam quoque vim atque naturam humanæ menti indidit, vt in vno diuinitatis aspectu & amore plenissimè conquiescat: exrra illa verò, etiamsi vniuersa mundi bona possideat, semper anxia, semper solicita & inquieta sit. Essent hîc innumera dicenda, quæ de hac summa felicitate nos consolantur; quæ tamen temporis angustia iam non admittit. Hæc autem satis esse nobis debent, quò sic vitam nostram instituamus, vt inter Christi oues numerari mereamur, quas hæc tanta gloria manet.

Securitas nostra in Christo est.

Ezech. 34.

Ioan. 17.

Psal. 15.

Magnetis natura.

Non igitur animum despondeamus, non nos itineris labor terreat, non virtutis, si qua initio fuerit, asperitas frangat, non Dæmonum fraudes, non mundi tempestas, nõ carnis mollities nos à contento pietatis & iustitiæ cursu reuocet; cùm tam magnifica in cælis præmia sint reposita: quandoquidem *non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

Rom. 8.

PARS HAEC CONCIONIS PAUCIS *agit de summo diuinæ prædestinationis beneficio, ac de signis prædestinationis, appositè ad captum populi.*

OVES *meæ vocem meã audiunt.* Hoc in loco ouium nomine Saluator eos intelligit, qui ad cælestem vitam æterna Dei electione cooptati sunt. Id enim apertè indicat, cùm de illis protinus subdit: *Et ego vitã æternã do eis, & non peribũt in æternum.* Hæc enim verba in solos electos cadunt. De hoc diuinæ electionis beneficio, & occulto mysterio, simulque de electionis huius signis, paucis agemus; sic tamen, vt hoc nemini vel desperandi, vel peccandi licentiam tribuat: salutarẽ tamen timorem, & salutis suæ curam omnibus ingerat. Iam ouem esse Christi, summum est diuinæ liberalitatis beneficium: ouem ex earum numero, quæ à dextris eius in extremo iudicio collocandæ erunt. Hæ sunt prædestinatæ ab æterno: sic dona & adiumenta impartita illis, quibus hac tãta gloria dignę effici mereantur. *Quos*, inquit Apostolus, *præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui*, &c. Sicut enim pater, qui filium Ecclesiæ ministerio destinauit, ab ipsa statim infantia illum iis artibus instituendum curat, quibus idoneus tandẽ Ecclesiæ minister esse queat: ita quos diuina bonitas ad hanc tantam dignitatem elegit, eos deinde iis donis atque virtutibus ornat, quibus ad eam peruenire mereantur. Quemadmodum autem hoc summum bonum hominis, ita malorum omnium extremum est, ęterno supplicio pro peccatis esse plectendum; vt meritò Dominus de quodam reprobo dixerit: *Melius erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Si enim aliquis totius orbis ditionem & imperium teneret, sciretque tandem, se transacto breui huius vitæ curriculo, æternis ignibus deputandum: quale gaudium in maxima illa sua opulentia capere posset, quoties huius adeò infelicis exitus meminisset? Contrà verò, si quis

Ouis Christi quæ.

Matth. 25.

Rom. 8.

Simile.

Matt. 26.

quis extrema inopia confectus. Domino tamen reuelante, certò sciret se parem cum mendico Lazaro sortem in fine vitæ percepturum: quam illi molestiam hæc eius infima fortuna afferre posset, quam certissima tantæ beatitudinis spes non vel leuaret, vel in lætitiam commutaret? Cùm autem omnium sit incertus euentus, & diuina iudicia sint inscrutabilia, ideò sicut piorum, ita & improborum Angeli solicitè curam gerunt, cùm quis vtrorumque finis futurus sit, prorsus ignorent. Magno tamen consilio Dominus sortem nostram latere nos voluit, ne electi hac spe securi, negligentiùs se in vita gererent, & reprobi salutis suæ desperatione concepta, sese in omnia flagitia præcipites agerent. Nescit homo, vtrùm odio vel amore dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta. Sunt tamen nonnulla certa signa, quæ nos de salute nostra vtcunque reddunt securos, vt bono animo esse queamus, quo pietatis & iustitiæ labores perferre valeamus. Sunt varia signa, ac ferè omnia partim ex lectione præsentis Euangelij, & partim ex Euangelio præteritę Dominicæ colliguntur. Illic enim Dominus ait: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* hîc verò: *Oues meæ vocem meam audiunt.* Pij ea mente concionatorem audiunt, qua ęgroti salutis cupidi, medici præcepta auscultant. Sic Paulum audiebant, illi tamen credebant qui erant præordinati ad salutem. Contrà verò Pharisæi, quales omnes improbi, qui se sceleribus suis æternæ mortis reos fecerunt, docentis Domini verbis fidem non habebant, sicut ait: *Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Signum æternæ salutis est, abstinuisse à lethalibus criminibus: tribulationum & laborum humilis perpessio. Si compatimur & conregnabimus.* Et: *Si socij fuerimus tribulationum,* &c. Vide quæ beatitudines. Mansuetudo, quæ maximè est propria ouium. Cum timore ergo & tremore salutem nostram operemur, vt tandem ad æternam securitatem perueniamus, duce diuina gratia.

Luc. 16. *Thomas.* *Vita nostra in statera posita* *Eccles. 9.* *Ioan. 8.* *Actor. 13.* *Rom. 8.* *2. Cor. 2.* *Matth. 5.* *Philip. 2.*

FERIA

FERIA SEXTA POST DOMINICAM IN PASSIONE, CONCIO, IN qua lectio Euangelica explanatur, item exemplo Pharisæorum, quàm infelices sint improborum exitus, declaratur.

THEMA. *Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium, dicentes: Quid facimus? quia hic homo multa signa facit.* Ioan. II.

IN hodierna sancti Euangelij lectione proponit nobis S. Euangelista sacrilegum Pharisæorum & Sacerdotum concilium, Satanæ spiritu impellente congregatum: in quo definitum est, vt vitæ auctor indignissima morte necaretur. Tribuit huius concilij occasionem insigne miraculum, quo Dominus quatriduanum Lazarum resuscitauit. Quidam hoc miraculo crediderunt; quidam verò ita à Diabolo excæcati sunt, vt ad Pharisæos profecti, rem gestam eis retulerint. Quæ res Pōtifices & Pharisæos impulit, vt, coacto cōcilio, in necem Domini coniurarent. Satis hoc indicio apparet, impios homines ipsis etiam feris esse immaniores. Feræ enim, nisi fame extimulante, aut iniuriis incitatæ, nemini nocent: peruersi autem homines, beneficiis quoq; affecti, pro benefactis malefacta rependunt. Videmus eos qui seruantur, Domini beneficio seruari; eos verò qui pereūt, vitio & prauitate sua perire. Viderant isti tantum miraculū, & tamen permanserunt in sua perfidia; iam cui nisi sibiipsis hoc acceptum referre possunt? Liquet pios beneficio Dei seruari, malos verò sua culpa perire. Si enim duobus hominibus aut in mari, aut in puteo (vnde per se exire nequeunt) periclitantibus funem demittas, cuius ope emergere inde possent; quorum alter oblato auxilio diligenter vtatur, alter verò vti eo nolit: non dubium quin alter alieno beneficio viuat; alter verò suo vitio & socordia pereat. Vtriusque exemplū in duobus Regibus, Nabuchodonosor & Pharaone, videre est: vbi hic, repugnans Deo periit: alter obsequens, ac Deum cognoscens, seruatus est. *Perditio*, inquit apud Prophetam Dominus, *tua ex te Israël, tantummodò in me auxilium tuum.* Quocirca omnes Propheticum illud acclamare debemus: *Tibi Domino Deo nostro gloria; nobis autem confusio*

Concilium Iudæorum iniquum.

Simile.

Improbi suo vitio pereunt.

Simile.

Daniel. 4.

Osee 13.

faciei. In nobis nihil est vnde gloriemur, in te nihil est quod queramur, sed propter quod gratias perpetuò agere debeamus. Vt piè & vtiliter progrediamur; cælestem opem sacratissimæ Virginis interuentu, imploremus.

AVE MARIA.

COLLEGERVNT *Pontifices & Pharisæi conciliū, dicentes: Quid facimus? quia hic homo multa signa facit.* Duo cōcilia coacta sunt: alterū, quo summa Dei bonitas & sapientia cognoscitur: alterum, quo summa hominum malitia, & ignorātia apertè declaratur. In terra peruersi homines Christi gloriam conantur extinguere: in cælis id agitur, vt eiusdem Domini gloria per eiusdem necem & ignominiam miro modo illustretur. Homines, per ignominiam crucis, nouam lucem in mūdo exortam exstinguere nitūtur: Deus autem hac ipsa crucis ignominia, exortam lucem per vniuersum orbem dilatare constituit. Vide in 2. Psalmo: *Adstiterunt Reges terræ*, &c. Volebant Christi morte eius gloriam obscurare; at nulla re illa magis illustrata est, quàm hac eorum peruersitate. *Propter ignominiam* quippe *crucis Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen.* Hac sua amentia, & se, & Rempublicam suam euerterunt, & Christi gloriam promouerunt. Hæc impiorum concilia meritò ridenda & subsannanda erant. Videmus quid inueterata peccandi consuetudo potest. Miraculum resuscitati Lazari præbuit impij concilij occasionem. Scire oportet, ea quæ miraculorum testimoniis confirmantur, multò esse certiora, quàm quæ oculis vsurpamus. Quæ enim miraculis comprobantur, Dei testimonio vera esse intelligimus. Fecit Dominus miracula, quæ doctrinæ suæ fidem facerent, ex his impij occasionem sumpsēre, vt Dominum ad mortem raperent. Debebant illis esse causa salutis; at illi suo vitio effecēre, vt essent causa ruinæ. Verendum ne apud nos sint multi, qui his non dissimiles sunt. Multi enim sunt, qui libera possunt fateri voce, se diuinæ bonitatis & misericordiæ fiducia fretos peccasse, ac in sceleribus permansisse. Si igitur tantoperè illorum impietatem execraris & horres; cur te quoque ipsum, qui in simili penè crimine versaris, non accuses & horreas? Sed quoniam hæc mentis nostræ cæcitas satis deplorari & amplificari non potest, cætera persequamur.

Concilium Dei & hominum.

Philip. 2.

Miracula certa testimonia.

Hac igitur Pharisæi mētis caligine circunfusi, deliberare incipiunt, dicētes: *Quid facimus? quia hic homo multa signa facit?* Quænā, ô miseri, illa signa sunt, quæ vos ita cruciant. Nēpe cæ-

Signa Christi qualia.

cos illuminare, leprosos mũdare, omne genus morborũ è finibus vestris pellere, & mortuos ad vitam reuocare? Mitto nunc ea quæ ad animæ salutem spectant: humanis hoc rationibus agamus. Nónne vobis debebatis gratulari de tanto medico? nónne felicem regionem vestram existimare deberetis, quæ ab omnibus morborum generibus illo præsente immunis est? Est quidem plerisque mortalium familiare, vt rerum dignitatem non ex natura earum, sed ex propria vtilitate metiantur. Christus Saluator, qui à Prophetis, *Desideratus cunctis gentibus* dicitur, venit in mũdum. At cùm is natus esset, *turbatur Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo*: cùm tamen de promissi Regis & Seruatoris aduentu non turbari, sed summo gaudio exultare debuerit. Sed cùm nec Herodes, nec eius factionis homines, huius beneficij magnitudinem pro ipsius dignitate, sed pro sua vtilitate metirentur, eò quòd Herodiani regni gloriam per Christum minui posse crederẽt; necem illi inferre conati sunt, cui summum decus & honorem afferre debuissent. Noluerunt enim commune totius mundi bonum cum priuato aliquo detrimento suo (vt illi existimabãt) admittere. Ad hunc ergo modum Pharisæi Christi gloriam (quæ salutaris toti mundo erat) dignitati & gloriæ suæ aduersari falsò existimantes; non quid publicæ saluti, sed quid cupiditatibus expediret, considerantes, mortẽ illi machinati sunt. *Multa*, inquiũt, *signa facit*. At si nulla faceret, essetis vos apud Deum magis excusabiles: at quia multa (cùm signa sint suæ diuinitatis testimonia) iam inexcusabiles estis. Aliter Nicodemus sentiebat: *Rabbi*, inquit, *scimus, quia à Deo venisti magister, à Deo legatus: nemo enim potest hæc signa facere*, &c. Ecce vnde alij vitam, isti mortem hauserunt. Hos sanè nocturnis auibus meritò comparare possumus, quæ propter oculorum imbecillitatem, splendorem Solis ferre non valentes, vnde cæteræ aues videndi facultatem accipiunt, ipsæ cæcutiunt, & volantes passim offendunt. Sic & apes noxias herbas in suauissimum mel, aranei verò salutares etiam & innoxias in lethale venenum vertunt. Verendum ne apud nos sint, qui his persimiles sunt, qui vnde alij ex confessione & cõmunione Sacramenti hauriunt salutem, inde isti perniciem: quia veterem peccandi consuetudinem deserere nolunt. Pergunt in consilio: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrũ, & gentem*. hoc est, honoris & dignitatis locũ in hac Repub. amittemus. Videte quid ambitio, quid auaritia efficere soleat. *Radix*, inquit Apostolus, *omnium malorũ est cupiditas*. Hi autem non modò circa fidem naufragium

Aggai 2.
Matth. 2.
Christus Pharisæorum cupiditati obfuit.
Ioan. 3.
Peccati tabes quid efficere queat. Simile. Piorum & impiorum discrimen.
1. Tim. 6.

giũ fecerunt, sed auctorem etiã fidei, & consummatorẽ Iesum, è medio tollere decreuerunt. Rectè Sapientes viri cupiditatem omnem atro fumo, atque nebulæ densissimæ comparant. Sicut enim aër huiusmodi nebula oppletus, ipsum etiam meridiani Solis aspectũ ita adimit, vt ne qua is cæli parte vagetur, caligine impediente, videamus: ita mentis nostræ acies vehementioris cupiditatis nebula obscurata, vehementer in rerum expetendarũ iudicio caligat. Hoc modo primum generis nostri parentem peccasse D. Augustinus ait. Neq; enim errore deceptus, sed maritali affectu (ob carnis delicias) deliquit. Iam in Iudæorũ pectore æstuãs ille ardor ambitionis, hoc modo illos timefaciebat, vbi tamen nulla timendi causa erat. Iam Caiphas quidã, qui anni illius erat Pontifex, qui in hoc consilio dignitate & auctoritate prior, hoc tantum adduxit malum: *Vnus autem ex illis Caiphas nomine*. Itaq; cùm alij in varias sententias scinderentur, & mitiora forsitan morte consilia excogitarent, hic vnus crudelissimus aduersus innocentissimum Dominum sententiã tulit. Videte, quæso, quò mundi sapientia affectibus obcæcata, & Dei luce atque timore destituta, perueniat. Quòd si exemplum aliud desideras, in Salomonem illum oculos conniicito, quò amentię peruenerit. His exemplis monemur, primùm vt sceleratorum consilia declinantes, proborum hominum monita amplectamur. Deinde, vt nullum opus moliamur, in quo non Patrem luminum consulamus, & ab ipso res nostras dirigi assiduis precibus postulemus. Cùm ignoremus quid facere debeamus, hoc solũ habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te. Vbi enim diuinum negligimus consilium, & nostræ innitimur prudentiæ, sæpe contingit, vt inde lacrymas colligamus, vbi lætitiæ semina iecisse nos credimus. Vide quid tandem Iudæorum temeraria consilia sequutum sit. Volebant populi salutem stabilire; at miseræ genti extremum exitium attulerunt. Sic filij Iacob innocentem Ioseph, inuidia stimulati, in Ægypto vendiderunt, vt hac ratione omnem illi somniorum suorum spem adimerent. Sic Hieroboam suo malo consilio sibi interitum consciuit. Sic & Pharao, cùm putaret se infantibus Israël perniciem inferre, ipse tandem cum exercitu toto submersus interiit. Quid tyranni in martyrum persecutione consecuti sunt? D. Augustinus ait de S. Vincentio martyre: *Clariorem nobis martyrem tormenta faciebant. Omnia transierunt, & ira Daciani, & pœna Vincentij: nunc autem pœna Daciano, & corona Vincentio manet*. Sic de S. Ignatio legimus: Ego, inquit in epistola, *nequitiis carnificum magis erudior*. Ad hunc

Simile.

Adam quare peccauit.

Magnates errare possunt.

1. *Reg.* 11.

Iosaphat.
2. *Par.* 29.

Genes. 37.
3. *Reg.* 12.

Augustinus.

S. Ignatius.

hunc ergo modum infelices Iudæi, dum Christum Dominum perdere, & Rempubl. suam iniquis consiliis seruare voluerunt, seipsos quidem & Rempubl. perdiderunt: Christi verò nomen illustrius inuiti reddiderunt. Hoc igitur decreto perfidus Pontifex longam illam deliberationem hac sentẽtia conclusit: *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & nõ tota gens pereat.* Subdit autem Euangelista: *Hoc autem à semetipso nõ dixit,* &c. vsque ad finem. Itaque quod Pontifex sceleratus & sacrilegus definiuit, non tanquam hominis decretum, sed tanquam totius diuinitatis oraculum accipiendũ est. Esset hîc dicendum quàm fuerit ad humani generis salutem expediens, vt pro eo Christus Dominus moreretur: quod Pontificis verba testãtur. Quia verò tam multi & admirandi fructus ex hoc diuino decreto & consilio consequuti sunt, vt ne multis quidem integris concionibus enumerari valeant: nunc pro angustia temporis id solùm dicam; quòd quamuis humanę salutis amator Dominus, multis aliis rationibus lapsum genus hominum erigere, & à morte ad vitam euocare potuisset, omnibus tamen aliis posthabitis, Christi mortem ad hoc potissimũ destinauit: quòd nullus esset alius modus, neque sanandæ nostræ miseriæ, neque diuinæ gloriæ amplificandæ, bonitatísque & iustitiæ diuinæ declarandæ commodior. Hinc Apostolus, *Decebat*, inquit, *eum per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat auctorem salutis eorum per passionem consummari.* Hinc Saluator post resurrectionem suam cum duobus discipulis in Emaus pergentibus agens, O, inquit, *stulti & tardi corde*, &c. Hac igitur tam acri loquendi figura facilè indicauit, nihil videlicet ad generis humani salutem excogitari cõmodius potuisse, quàm quod sceleratus Põtifex, Spiritu sancto suggerente hoc in loco ait: *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Sed vt innumeras alias huius sacratissimæ mortis vtilitates & fructus omittam, ad hoc maximè expediens fuit Christum Dominum mori, vt totum genus hominum nõ periret. Morte quippe sua commune totius generis humani peccatum, & quæ deinceps ab illo orta sunt, expiauit. Cõstat enim illius peccati grauitatem duplici nomine fuisse infinitam; tum quia aduersus infinitam Dei maiestatem admissum erat; tum quia ad infinitos homines, qui ab illo stipite propagari poterant, latissimè porrigebatur. Oportebat ergo esse aliquẽ infinita virtute præditum, qui hoc tantum, & tam latè patens scelus sanguine suo expiare posset. Vnigenitus Dei Filius (cuius est infinita dignitas & maiestas) nostri misertus, communem hũ-

Christum pati oportuit.

Hebr. 2.

Luc. 24.

Mali possunt prophetare.

Christi mortis fructus.

gen-

generis humani causam suscepit, & Deo Patri pro communi generis humani peccato satisfecit. Sed qua ratione satisfecit? Nimirum sanguine & morte sua: hoc est, eam in se pœnam atque sententiam mortis suscipiens, quæ in vniuersum genus hominum diuino decreto lata erat. Quia enim mors peccati pœna erat (*inuidiâ enim Diaboli peccatum introiuit in mundum, & per peccatum mors*) eo ipso quòd Christus Dominus peccatum expiare voluit, mortem etiam peccati iure contractam subire debuit, vt hac ratione nos & à peccato, & peccati pœna liberaret. Omnes enim homines in Adam, hoc est, in prima illa generis humani radice, peccauerũt: omnesque ad mortem peccati iure damnati, mortis debitores effecti sunt. Nemo autem poterat morte aliàs pro se debita, commune generis humani debitum soluere. Opus erat vt innocẽs aliquis à stirpe Adæ nasceretur, qui vt omnis expers culpæ, ita vnus esset inter mortuos, ab omni mortis debito liber: vt is tandem mortem indebitam, pro debita aliorum morte offerret. Vt enim si alicui creditori multi debitores decies aureos mille deberent, pro illis autem fideiussor aliquis pretiosissimam gemmam, quæ longè pluris æstimaretur, creditori offerret, is planè hac vna gemma, multorum debita plenissimè persolueret: ita vnius Christi mors multò copiosiùs humani generis debita, quàm vniuersorum hominum mortes, exsoluere potuit. Liberati quidem sumus à morte, sicut à iugo legis per eundem liberati. Spiritus quidem Christi facit, vt pij viri sua sponte, & libenti animo legem Domini amplectantur, eamque non iugũ graue, sed onus leue, imò suauissimas animæ delicias arbitrentur: ita idem Spiritus facit, vt iidem mortem non tanquam mortem, sed tanquam laborum finem, nauigationis portum, & sempiternæ vitæ initium, auidissimè cupiant. Hinc viri sancti delectantur cum Propheta *in via testimoniorum Domini, sicut in omnibus diuitiis*: *ijdémque* cum Apostolo *dissolui cupiunt, & esse cum Christo*. Sciunt enim quia *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorũ eius*. Hinc Ioãnes in Apocalypsi vocẽ audiuit de cælo, dicẽtem, *Scribe. Quid scribam? Beati, ait, mortui, qui in Domino moriuntur. Cur beati? Quia amodò dicit Spiritus, vt requiescant a laboribus suis.* Quid ergo mali habet mors, quæ ad requiem & beatitudinem transitus est? Cæterùm peccatorum mors pessima esse dicitur, eorum videlicet, qui vitio suo, huius beneficij fructum percipere noluerunt. Videris ergo quantum inter vtrorumque mortem discriminis sit? Illi enim dum moriuntur, feliciter renascuntur, & veluti seminantur ad vitam: isti verò

Christus nobis satisfecit.

Sap. 2.

Simile.

Spiritus Christi qd agat.

Psal. 118.

Philip. 1.

Psal. 115.

Apoc. 14.

Mors optãda piis.

infelicissimè à tẽporaria morte rapiuntur ad sempiternã. Quæ in re impleri in veritate videmus, quod Samsoni contigit in figura. Is námque *in leonis ore*, quem iter faciens occiderat, *fauum posteà mellis reperit*. Vnde illud ænigma manauit: *De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo*. Leo autem, qui omnia vastabat, & dominatum in omnes habebat, non modò Diabolus, sed mors etiam inexorabilis & implacabilis est. Vbi ergo Christus Dominus illud Osee vaticinium impleuit: *Ero mors tua, ô mors* (quando videlicet morte sua mortem omniũ præcipitauit) tunc sancti viri in eius ore, quod omnes degluticbat, fauum mellis inueniunt, quia per eam non ad mortem, sed ad æternam vitam & felicitatem transeunt. Hoc igitur primum & summum Seruatoris nostri beneficium est, vnde cætera, quæ penè sunt innumera, consequuntur.

Iudic. 14.

Osee 13.

Aenigma Samsonis explicatur

Quid igitur ex his consequens, Auditores? Quid hoc tantum diuinæ bonitatis opus iure suo à nobis efflagitat? Nimirum vt flagrantissima charitate, summam hanc Saluatoris nostri bonitatem & charitatem prosequamur, milliesque (si id fieri posset) pro eo vitam profundere cupiamus, qui vitam suam pro salute nostra impendere dignatus est. Tum illud etiam consequens est, vt qui tot eius in nos dilectionis obsides habemus, tot bonitatis & misericordiæ eius argumenta tenemus, in illum curas omnes proiiciamus: certi atque fidentes, nihil illum nobis, quod ad salutem nostram pertineat, negaturum, cùm gloriosus modò regnat in cælis, qui cùm in terris ageret, vt salutem nostram constitueret, tam multa pati dignatus est: cùm idem Dominus, idem animus, eadem in genus nostrum charitas in cælo & in terra sit. Postremò illud etiam sequitur, vt quoniam Christi Domini passio, summæ humilitatis atque patientiæ opus fuit, has præcipuè virtutes (quæ in eius morte maximè enituerunt) summo studio imitari curemus, quo quidem ardore sancti Martyres arserunt. Hunc igitur, Auditores, animum, hunc affectum imitari studeamus, illud exploratum & constitutum habentes, quod Apostolus ait: *Nempe, si compatimur, & conregnabimus: & si fuerimus socij passionum, erimus & consolationum*, quæ abundè illis in cælesti gloria suppeditantur, qui variis in hac vita pro Christo ærumnis atque doloribus exercentur.

Christo qd debeamus.

Felicitas nostra.

2. Cor. 1.

EX ALIO QVAE SEQVVNTVR ADDITA.

Dici non potest, quàm sit horrendum peccatum, contu-

ma-

manifestam veritatem, atque adeò contra Deum ipsum pugnare. Tale consilium inierunt non Gentiles, sed Pontifices & Pharisæi, quorum erat, & scientia & pietate alios præcellere. Discimus quòd gratuita illa Dei dona, si non adsit fides, magis obsunt quàm prosunt. *Scientia sine charitate inflat.* Ex hoc loco videmus, quòd plerumque sapientes & potentes huius mundi nihil aliud sunt, quàm vasa iræ Dei. Noli igitur gloriari de sapientia vel potestate: nescis enim in quem finem hæc tibi data sint. *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Ad concilium plures requiruntur personæ. Causa huius concilij, quia Christus euidens ediderat miraculum. Cogitant de Christi occisione: erant dati in reprobum sensum. Iudæi Principes duos habebant consultores pessimos, ambitionem scilicet & auaritiam. Sic ambitio effecit, vt Chore cum suis contra Moysen se erigerent. Sic auaritia effecit, vt Iudas Christum venderet. Auaritia & ambitio Principes prophanos ad bella & discordias incitant. Si veram gloriam cupis, si veras diuitias, fuge falsas. Fuerunt olim pessimæ consultationes, sicut contra Ioseph, contra Israëlitas, contra Dauid Achitophel & Absalon, contra Hieremiam impij Sacerdotes, contra Susannam; sed istud omnium pessimum, contra Deum, contra bonũ opus. *Quid facimus*, clamant impij illi. *Fuit concilium vanitatis, fuit concilium malignantium.* Multa & nos consultamus, nemo tamen de emendatione vitæ cogitat, non admittimus sacram Scripturam. Hominem ex contemptu vocant. Declarant animi sui inuidiam. Olim petierant signa, iam ob ea perdere volunt. Christi innocentia innotescit. Prætendunt bonam speciem, sed in corde aliud versatur. Homo falli potest; at Deus non, nec tua conscientia. O impij pastores! timent temporalia bona, at æterna nihil curant, id quod mundani omnes faciunt. Discimus, vbi non est fides, siue timor Domini, quòd frustra ibi omnia administrentur. Magistratus boni est, vt seditionis auctores tollat, ne bonis obsint: verùm Christus vbique pacis auctor fuit & mansuetudinis. Piorum in terris conuersatio, non est causa periculorum, sed mali perturbant, vt ad Achab Elias ait. In potestate constitutis necessaria est gratia Dei, alioquin Rempubl. nunquam bene administrabunt. Paulus vult orari pro eis. Struunt Christo insidias, in quas tandem ipsi inciderunt. Caiphas planè oblitus suæ professionis contra Christum innocentem insurgit hîc & alibi. Adsit nobis Christus, ne quicquam contra eum designemus. Amen.

Dona externa quibus obsint. 2. *Cor.* 8.

Luc. 1.

Concilium quæ coturbent.

Num. 16.

Concilium pessimum quod.

Psal. 25.

Matt. 12.

3. *Reg.* 18.

1. *Tim.* 2.

DOMINICA IN RAMIS PALMARVM, CONCIO, IN QVA LECTIO Euangelica explanatur: tum de ineffabili Christi bonitate & charitate, & aliis doctrinis salutaribus maximè necessariis tractatur, vt legenti facilè apparebit.

THEMA. *Benedictus qui venit in nomine Domini, &c.* Matth. 21.

PRAESENS S. Euangelij lectio aduentum Domini Saluatoris in Hierusalem, ad explendum opus obedientiæ à Patre sibi iniunctæ, nempe generis humani redemptionem, breui oratione describit. In hoc igitur opere Christus Dominus (qui in absolutissimum obedientiæ exemplar nobis datus est) quàm diu inter homines vixit, vsque ad crucis patibulum desudauit, vtpote qui de seipso ait: *Descendi de cœlo, non vt facerem voluntatem meam, sed eius qui misit me.* Quo opere per mortem crucis absoluto, tandem ait: *Consummatum est*; videlicet obedientiæ opus à Patre mihi iniunctum: atque ita demùm inclinato capite tanquam verus obedientiæ filius, emisit spiritum. O verè felices & beati, qui in hac obedientia, Redemptoris sui vestigiis insistere perpetuò student! Hunc enim (vt alia prætermittam) mirabilem fructum ex hac obedientia percipient, vt quomodo ipsi diuinæ semper voluntati obsequuntur, ita Deus simili studio eorum voluntati pareat. Annon hoc illa Iosue voce apertè declarat, quæ anhelantem in itinere suo Solem in medio cæli stare iussit immotum? *Stetit itaque*, ait Scriptura, *Sol in medio cæli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei.* Non fuit anteà & posteà tam longa dies obediente Domino voci hominis. Dominus obedienti seruo, tam magnifico præmio obediuit. Hinc illa Salomonis sententia: *Vir obediens loquitur victoriam.* Cùm ergo tantum apud Deum virtus obedientiæ valeat, hanc præcipuè Dominus virtutem ad mundi salutem elegit, vt, quod inobedientia destruxerat, obedientia repararet. Vnde idem Saluator ad Patrem loquens, ait: *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti, siue aperuisti, mihi. Ipse Christus Patri obediens factus est ad mortem vsque:* qui etiam

Obediẽtiæ exemplar Christus.

Ioan. 6.

Homo Deo imperat.

Iosue 10.

Prou. 22.

Psal. 39.

Philip. 1.

etiam obedientia corpus suum tradidit percutientibus, & genas suas vellentibus. Agnosce igitur, Christiane, duplicem salutis tuæ auctorem; nempe Filium mouentem, & Patrem præcipientem: illum ex obedientia patientem, hunc verò ex dilectione Filium tradentem, sicut ipse ait: *Sic Deus dilexit mundum*, &c. Neque minùs ipse Filius dilexit, de quo idem Ioannes ait: *Qui dilexit nos*, &c.

Ioan. 3.
Apoc. 1.

AVE MARIA.

CVM *appropinquasset Dominus Hierosolymis, & venisset Bethphage ad mōtem Oliueti, tunc misit duos*, &c. Hoc in loco inquisitione dignum est, cur Dominus ad equitandum iumēta quærit, quem nunquam aliàs in sacra Historia legimus equitasse? Quando enim à Iudæa per mediam Samariam trāsibat in Galilæam, pedes incedebat: ideóque fatigatus ex itinere sedebat supra fontem. Cur ergo modò contra pristinum morem suum vehiculum quærit, præsertim cùm tam breue iter esset conficiendum; & vehiculum adeò humile & abiectum, qualis asina erat & pullus eius? Hęc iumenta ad triumphum aliquem parum videbantur conuenire. Hac iumentorum vilitate (vt alias omittam causas) Iudæorum errorem, qui Messiam quendam potentem & Thrasonicum exspectabant, funditùs eliminare voluit. Quis enim talis Rex vnquam asina & pullo, in die maximæ suæ gloriæ, vectus est? Regnum Christi (quod longè à terreno abest) non vnus descripsit Propheta, sed omnis Prophetarum chorus vno ore Christum Dominum prædicant Regem, & hac de causa Messiam (hoc est, Regem vnctum) appellant. Sed Christus in tota sua vita nihil magnificum, nihil regale præ se tulit. Verùm Christi regnum non corporale & terrenum fuit, sed cæleste & spirituale, vt coram Pilato testatus est: *Regnum meum non est de hoc mundo*. Optimi Regis officia cùm multa sint, tum illud præcipuum est, suos ab hostium armis & furore defendere, quod quidem mun⁹ & officium Christus Dominus cumulatissimè præstitit. Inter omnes autem spirituales animæ nostræ hostes omnium maximus peccatum est: nulla enim nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. Sunt tamē hostes nostri nō modò peccata, sed ea etiam omnia quæ peccato consinia sunt. Ideóque mors quoque truculentissimus hostis noster est, quia ab eodem peccato profecta. *Per vnum hominem peccatum introiuit in mundum*, &c. Infernus simili ratione hostis est. Insuper & Dæmon, atrocissimus animæ nostræ hostis, qui peccatorum omnium incentor est & auctor. Caro quoque,

Dominica prima Aduentus.
Ioan. 4.
Christus vsus iumento.
Christi Regnū quale.
Ioan. 18.
Regis officiū quale sit.
Hostes nostri qui sint.
Roman. 5.

familiaris & domesticus hostis, instar blandi serpentis: qui tantò est potentior ad nocendũ, quantò nobis propinquior. Ab his crudelissimis hostibus, per crucis trophæum nos Christus Dominus liberauit. A peccato liberauit. *Deponet omnes iniquitates nostras, & proiiciet in profundum maris.* Hi spirituales Ægyptij in mari rubro (hoc est, Christi sanguine) submersi & interempti sunt. A morte quoque per illum nos esse liberandos Apostolus prædicit, cùm ait: *Nouissimo tempore* (hoc est, in communi corporum resurrectione) *inimicam mortem esse destruendam, quæ iam in hominibus ab eo die locum habere non poterit.* Ab inferorum quoque supplicio per ipsum nos esse liberandos, idem Apostolus apertè declarat, cùm ait: *Nihil dãnationis est iis qui sunt in Christo Iesu, qui non secundùm carnem ambulant, sed secundùm spiritum.* A Dæmonis autem crudeli dominatu esse nos per illum eripiendos, ipse Dominus paulò ante passionem suam significauit dicens: *Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi eiicietur foràs.* Vt caro nostra, quæ est hostis domesticus, dometur: habemus in passione Christi remediũ; vt vetus homo crucifigatur cum vitiis & concupiscentiis. Nec solùm ab hostibus liberauit, sed etiam bonorum omnium compotes fecit, dicente Apostolo: *In omnibus diuites facti estis in illo.* Quæ verò diuitiæ cum his quas Christus Dominus in mundum attulit, comparari queant; quando quicquid in thesauris cælestibus reconditum erat, in Ecclesiæ sinum effudit? Euangelij totum negotium Christus regnum cælorum appellauit: quòd videlicet ea quæ in eo continentur, cælestia sint atque diuina. Ipsum namque in cælum nos dirigit, & cælesti Spiritu roborat, cælestemque vitam non solùm docet, sed etiam præstat: ac postremò homines in terra degentes, diuinos & cælestes facit. Talem eius regni Regem velut digito nobis hodie Zacharias Propheta indicat, cùm dicit: *Ecce Rex tuus venit tibi:* talemque reclamantibus Pharisæis, pueri faustis hodie vocibus celebrant, dicentes: *Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israël.* Quòd si Regis hui⁹ ingeniũ & mores explorare velis, hoc protinus Euangelista (Prophetã interpretatus) subiecit; dicens: *Venit tibi mansuetus.* Hoc enim est, quod potissimùm in Regibus desiderare homines solẽt, ne in superbiam elati, cum austeritate imperent, & cum potentia. Vt enim Salomon ait: *Misericordia & veritas custodiunt Regem, & roboratur clementia thronus eius.* Hæc ergo prima Regis nostri laus est: quam ipse quoque suis imitandã proposuit, cùm ait: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Si talis ergo

Mich. 7. — *1. Cor. 15.* — *Rom. 8.* — *Ioan. 12.* — *1. Cor. 7.* — *Euangeliũ regnũ cælorum.* — *Zach. 9.* — *Prou. 20.* — *Matth. 11.*

ergo Rex noster est, meritò de illo Zacharias ait: *Venit tibi mãsuetus.* Mansuetus, non terribilis, nõ metuendus. Non enim ad hoc venit, vt bella suscitet, vt tributa populis imperet, vt eos molestis oneribus premat, nec vt terrena bona auferat, qui cælestia donat. *Venit tibi mansuetus,* videlicet ad improperia ad contumelias, ad plagas & verbera sustinenda. *Corpus* enim *suũ dedit percutientibus, & genas suas vellentibus.* Denique tanta huius Regis mãsuetudo exstitit, tantaque per eam nobis bona cõtulit, vt cùm Apostolus vellet obnixè ab hominibus aliquid petere, eos per mansuetudinem Christi adiuraret: *Obsecro,* inquit, *vos fratres per mansuetudinem Christi.* Non enim credendum erat huic virtuti aliquid negaturos eos, qui eius meritosaluati & redempti erant. Ad huius Regis nostris exemplum vitam nostram cõponamus. Quid facit in pectore Christiano ferarum iracundia, serpentum furor, vindictæ cupiditas, & viperea lingua, quę tota die detrahit, maledicit, & malè precatur? Hæc Christi lenitas facit ad charitatem excitandã. *Fili,* inquit, *in mansuetudine opera tua perfice, & super gloriam hominum diligêris.* Qua de causa & Prophetæ, & Euangelistæ, ac præcipuè vterque Ioannes, Agni nomine Christum celebrant, quò huius nominis lenitate ipsum hominibus cum primis amabilem & placabilem esse ostendant. Habent terreni Reges leones, vrsos, aquilás in suis insignibus: Regis autem nostri præcipuum insigne est Agni lenitas & mansuetudo, qua omnium mẽtes demulceat, neque ad terrorem, sed ad amorem excitet.

Christus mãsuetus.

Esa. 54.

1. Cor. 1.

Mansuetudo Christi imitãda.

Feminis commune vitium.

Eccles. 3.

Christi insigne est Agnus.

Commemorat deinde Euangelista discipulos iussà Domini peregisse, & asinam atque pullum adduxisse; nõ defuisse tamen qui reclamarent atque dicerent: *Quid facitis, soluentes pullum?* Quæ verba nõ otiosè à Marco relata sunt: iis enim significare voluit, nunquã defuturos, qui & Apostolis, & Apostolorum sectatoribus, & omnibus qui in Christo piè viuere vellent, importunis vocibus obstreperent, & à virtutis studio auocare niterentur. Diabolus non dormit; semper enim id satagit, vt nos in fraudem impellat. Insidiatur omnibus, præsertim iuuenibus: quare & Dauid iuuentutis suæ delictorum veniam petit, & Iob peccatis adolescentiæ à Domino consumi lamentatur. Videte iuuenes, vt vobis solicitè prospiciatis. Cæterùm cùm allatis iumentis Dominus insidens. Hierosolymam peteret, tota ciuitas hoc tam felici aduentu commota, cum ramis palmarum & oliuarum (eius non modò victoriam, sed etiam misericordiam, ipsis arborum ramis prædicans) ei obuiã processit. Neque defuerunt etiam, qui maiori erga Dominũ amore

Marc. 11.

2. Tim. 3.

Psal. 18.

Iob 13

Iuuenes sibi prospiciant.

Deuotio populi in Christum. atque deuotione incensi, vestimenta sua prosternerent in via: quod genus obsequij nulli hactenus Regi aut Imperatori triũphanti exhibitum esse legimus. Hoc autem postremum obsequium spiritualiter Domino exhibent, qui veterem hominem *Ephes. 4.* exuentes, pristinos mores propter Christi gloriam deponere conantur. Quod quamuis aliàs semper, hoc tamen tẽpore potissimùm faciendum est, quando pœnitentia omnibus Christi fidelibus indicitur: *vt peccata cum Christo crucifigentes, & vnà* *Rom. 6.* *cum illo resurgentes, in nouitate vitæ ambulemus.* Quisquis igitur hoc obsequium Domino præstare cupis, depone odium, respue libidinem, ac omnia vitia. Si viuis aliorum opibus, his te *Vitia quæ deponẽda.* spoliare debes, ac dominis suis reddere. Si aliqua familiaritate periculosa, aut contubernio ad malum traheris, Diaboli hæc vincula solue. Si hoc sacro tempore non facis, quãdo igitur facturus es? Moueant te tot externa tum exempla, tum mysteria crucis Christi. Si vis Christi passionem & resurrectionem deuotè celebrare, depone veteris hominis vestimenta, pristinos mores, & cupiditates conculca, & ita gratissimũ ei obsequium præstitisti. Turbę Domino concinebant indiscriminatim laudes; imò & paruuli, parentum exempla sequuti, simili voce & affectu cũ illis clamabãt: *Osanna filio Dauid.* Qua in re videre licet, quantum parentum exempla apud filios valeant. Ita enim naturâ comparatũ est, vt pro lege accipiant liberi, quicquid in *Simile.* moribus parentum animaduerterint. Sicut enim loquendi formam ab eis accipiunt, cùm eos loquẽtes audiunt; ita etiam viuendi regulam, cùm eorum opera contemplantur. Si enim *Parentum mores liberi imitantur.* orantes viderint, ipsi orant: si facilè pauperibus tribuentes, ipsi quoque tribuunt. Contrà verò, si ludentes viderint, ludunt: si peierantes, peierant: si malè precantes famulis, ipsi quoque malè precantur. Quo magis piis parentibus enitendum est, vt non modò suo, sed etiam filiorũ nomine seipsos in officio cõtineant, ac linguam præcipuè moderentur. Cæterùm Pharisæi, *Pharisæi inuidi.* pro more suo luce ipsa excæcati, & inuidiæ liuore exstimulati, audientes pueros ac discipulos laudes Domini acclamãtes, dixerunt illi: *Audis quid isti dicunt? Quibus Dominus: Nunquam (ait) legistis in Scripturis: Ex ore infantium & lactentium* *Psal. 8.* *perfecisti laudẽ?* Videmus omnes tum adultos, tum infantes, à Spiritu sancto actos, laudes Dei celebrare debere. Nec Dominus hoc contentus, addit: *Dico vobis, si hi tacuerint, lapides clamabunt.* In passione Domini scissi sunt lapides. Creaturæ irrationales Deũ laudare iubentur; quãtò magis homo, ob Dei beneficiorum magnitudinem? Liberati olim fuerunt filij Israël *Laudes Dei cantandæ.*

de

de Ægyptiaca seruitute,& carmen Domino cecinerunt,at nos liberati à captiuitate diabolica(quam illa captiuitas Babylonica præfigurabat) quid nos facere par est,qui à Satanæ potestate, & ab æterna captiuitate, æternoque cruciatu, per Christi mortem redempti; quid, inquam, nos facere conuenit? Quæ cùm ita sint,ánnon æquum est,vt nos quoque præcedentibus & sequentibus turbis voces nostras iungamus,dicentes: *Benedictus qui venit in nomine Domini:benedictum quod venit regnũ Dauid*,&c. Quid his vocibus iustius? Scriptum est: *Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris: posuit enim animam suam pro te.* Tria nobis ob oculos ponenda,vt mirabilem Dei maiestatem & charitatem intelligamus: nempe doni magnitudo,donationis modus, & donandi causa.

Eccl. 2.

Tria consideranda.

Doni nomine,intelligo bona illa omnia quæ nobis Dominicæ passionis merito cōtigerunt,ea verò infinita sunt. Vt alia prætermittantur,sustulit per passionem suam Christus omnia mala nostra,contulitque nobis bona sua.Eripuit nos à malis,& tantis nos donis cumulauit. Eripuit à Diaboli tyrannide,& ab æterna damnatione. *Deo autem*, inquit Apostolus,*gratias,qui dedit victoriam per Iesum,per quem & mors mortua,& peccati regnum euersum est.* Neque ab his tantis malis eripuisse contentus,bona quoque sua liberalissimè nobis impartitus est. Sicut ille humanitatis nostræ consors effectus est,ita nos dignitatis suæ & diuinitatis participes effecti sumus.Ille Rex noster est,erimus & nos per illum reges. *Fecisti nos Deo nostro regnũ & sacerdotes. Quotquot baptizati estis, Christum induistis.* Baptismate abluti sumus à peccatis; at modò per pœnitentiam denuò renouamur.Sic filius prodigus nouis vestibus & annulo exornatus est. Sic Ionathas Dauidem (quem sicut animam suam dilexit)nouis vestibus,& regiis induit.Videtis quomodo illũ amare,illi gratias agere,in illius Cruce gloriari nos oportear cum Paulo Apostolo, qui tanta pro nobis sustinuit. Sicut enim homines repertis frugibus,glandes contempserunt(quæ pecorum cibus sunt) ita anima,quæ celestem panem inuenit, siliquas porcorum facilè fastidit ac proterit.Illud autem donũ est quod Apostolus nobis offert, cùm ait: *Liberati à peccato, serui autem facti Deo,habeamus fructum nostrum in sanctificationem,finem verò vitam æternam.*

1. Cor. 15.

Apoc. 3.

Galat. 3.

1. Reg. 18.

Simile.

Rom. 6.

Iam modus donationis videndus. Dominus maiestatis mala nostra in se suscepit,vt in nos bona sua cōferret. Huius enim tantæ humilitatis atque patientiæ merito,tātorum nos bonorum compotes effecit.Mala verò nostra duplicia erāt;quędam

II.

Naturæ nostra mala.

naturæ, quædam culpæ vtraque verò ipse suscepit; illa, vt sustineret; ista, vt expiaret. Assumpsit naturam humanam, vt nobis diuinam conferret: assumpsit humilitatem nostram, vt suam nobis gloriam donaret: assumpsit mortem nostram, vt suā nobis vitam largiretur. Videte quantò plus est quod redemptor reddidit, quàm quod conditor donauit. Itaque, ô homo, quàm sis pretiosus, si factori non credis, interroga redemptorem. Nonne meritò cum Propheta exclamare poterimus; *Domine, quid est homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quia reputas eum?* quem videlicet tanti facis, vt vitā tuam propter illū morti obieceris? Quid, inquam, homo est, quòd cum pestifero morbo laborātem inuisas, & eius vulnera tuis vulneribus sanes?

Psal. 143.

III. Iam donandi causa inuestiganda. Quid quæso te Domine impulit, vt tanto tuo incommodo commoda nostra captares? Homines enim, nisi commoditatis alicuius spe inducti, ad omnem laborem torpent & languent. Hic noster Saluator nullius planè indiget. Non propter vllam commoditatem suam, sed propter nos homines, & propter nostram salutē, non contentus malis nostris consuluisse, mala insuper nostra, hoc est, debita nostra, in se suscipere misericorditer voluit. Quid ergo Redemptori nostro pro hac tāta misericordia repēdere possumus? Nunquid, vt D. Chrysostomus ait, si per singulos dies mortem subiremus, pro eo qui nos ita dilexit, meritū hoc, vel minimam eius partem exsolueremus? Cæterùm quoniam hoc modo vicem illi reddere non possumus, æterno saltem grati animi officio, continuis laudibus, assiduaque huius tāti muneris consideratione, vicē ei aliqua saltem ex parte rependamus. Vide quàm grati tres illi pueri coniecti in fornacem ignis ardentis fuerint, qui omnes creaturas ad Dei laudem inuitarunt. Hi à momentaneo igni, nos ab æterno liberati, æternisq; deliciis in cælo per Christi mortem & passionem donati sumus. Nos igitur pio affectu cum pueris Hebræorum hodie dicamus: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, simulque illud quod sequitur, adiungamus: *Osanna in excelsis.* Qua oratione non terrenam & temporariam, sed cælestem & æternam salutem à cælesti Rege postulamus.

Hominum natura.

Chrysostomus.

Daniel. 5.

DE CHRISTI REGNO NONNVLLA.

CHRISTVS à Prophetis vocatur Rex, cùm tamen nihil in se habuerit, quod Regiam pompam referre potuerit, & ipse hoc munus à se ablegauerit. Homini enim à se paternæ hæreditatis

ditatis legitimam diuisionem petenti respondit: O *homo, quis me constituit iudicem ac diuisorem inter vos?* Sciendum regnum esse duplex, corporum ac animarum. Regnum autem Christi, non corporale, sed spirituale esse prædicamus: omnia enim quæ reges optimi ad salutem corporum moliuntur, ipse in salute animarum procuranda efficit. *Ipse est*, inquit D. Petrus, *qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum.* Ipse nos ab hoste sempiterno & eripuit, & quotidie defendere non cessat, & facultatem calcandi vim inimici tribuit. Idem etiam sacratissimæ passionis & vitæ suæ meritis nos mirificè ditat, & bonis omnibus cumulat. Vnde Apostolus Corinthiorum nomine gratias agit, quòd in omnibus per illum diuites facti sint in omni verbo, & in omni scientia; ita vt nihil illis deesset in vlla gratia. At is tandem electos suos ad æternam felicitatem perducit, sicut ipse de ouibus suis loquens, ait: *Ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum*, &c. Vt enim illud viduæ oleum in plura vascula effusum non minuebatur, sed magis augebatur: ita diuinæ opes dando non deficiunt, sed augentur, dum eius imperium dilatant, & familiam amplificant. Quo fit, vt ardentiùs quidem diuina bonitas opes suas donare, quàm auiditas & inopia nostra easdem recipere concupiscat. *Benedictus* igitur *qui venit in nomine Domini*: benedictus ipse qui venit, benedictus qui illum ad nos demisit: benedictus etiam, qui talem effudit Regem, intemeratæ Virginis partus, qui tam nouo regnandi more seipsum spoliat, vt suos ditet: se deiicit, vt suos attollat: se onerat, vt suos exoneret: se in mortem coniicit, vt ab æterna morte suos liberet. Benedictum hoc felix regnum Dauid, veri Salomonis. Infelices Iudæi, qui alium exspectant regem vulgari more regnantem. Superest vt nobis de talis Regis aduentu gratulemur, Deo autem gratias pro tanto munere agamus, & illud quod nobis præcipitur, impleamus: *Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem. Ecce Rex tuus venit tibi iustus & Saluator*, &c. Hic Saluator sit semper nobiscum. Amen.

Luc. 12.

Regnum corporũ & animarũ.

Actor. 10.

1. Cor. 1.

Christus animarũ rex.

Dei gratia immẽsa.

FERIA

FERIA QVINTA IN COENA DOMINI, CONCIO, IN QVA TVM lectio Euangelica explanatur, tum etiam de præparatione ad sacram Eucharistiam sumendam agitur: scatétque optimis doctrinis.

THEMA. *Sciens Iesus quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem*, &c. Ioan. 13.

QVAMVIS omnia Domini Saluatoris opera, quæ pro salute nostra inter homines gessit, omnes superent & hominum & Angelorum laudes: quæ tamen discessurus ex hoc mundo ad finē vitę reseruauit, cæteris omnibus longè præstantiora & mirabiliora sunt. Hoc tamen nemo experitur, nisi quisquis piè & religiosè Dominum colens, beneficiorum eius particeps effectus est. Adeò enim vitæ puritas, & deuotionis affectus inter se cohærent, vt nemo rectè viuat, qui magnificis Dei operibus contemplandis non afficiatur: nemo verò sic afficiatur, qui non rectè vitam instituat. Hic meritò cum Propheta dicere potest: *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis.* Sed qui sunt, qui ita in admirationem & confessionem diuinorum operum rapiuntur? Nimirum illi præcipuè, qui exquirunt voluntatem eius, qui se totos diuinæ legis studio addixerūt. Hi námque vt spirituali vita, ita quoque spirituali sensu præditi, spiritualibus ac diuinis rebus miro modo afficiuntur: atque eò magis, quò magis diuinorum munerum virtutem in vita sua experti sunt. Nemo enim misericordias Domini pleniùs commendare poterit, quàm qui earum in se vim aliquam expertus est. Talis fuit S. Propheta Dauid, vt videre est in toto illo quinquagesimo Psalmo, vbi aut commissi sceleris veniam petit, aut rationes affert, quibus Dominum ad misericordiam prouocet. Sic qui diuinis muneribus exculti sunt, ea pro dignitate laudare, proque illis gratias agere norunt. Duo mysteria sub vnius diei solennitate hodie celebrat Ecclesia: nempe postremum Domini Saluatoris de humilitate & charitate mandatum: & venerabile Eucharistiæ Sacramētum, quod hac sacra die institutum est, & illud quidem in Euangelica lectione, hoc verò in epistola tractatur. Sed quoniam de vtroque, propter inopiam

Psal. 138.

Spiritualia qui norint.

Psal. 50.

tempo-

temporis, dicere non vacat, Euangelicæ lectionis historiam (quæ prius mysterium continet) enarrare constitui. Imploremus diuinam opem, ac Christi matris intercessionem.

AVE MARIA.

INCIPIAMVS, Auditores, singula Euangelicæ lectionis verba,& quę in ea gesta referuntur,quantũ Dominus dederit,diligẽtiùs expendere. Ait ergo S.Euãgelista:*Ante diẽ festum Paschæ,sciens Iesus, quia venit hora eius,vt trãseat ex hoc mundo ad Patrem.* In hoc primo Euangelij limine,paululùm subsistamus. Quid est quod S.Euangelista, horam mortis, *horam eius*,hoc est,horam Domini appellauit? Ego quidem eo sensu hanc horam Domini appellatam esse credo,quo idem Dominus diem mortis suæ, diem suum apud eundem Euangelistam appellauit, cùm dixit: *Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum; vidit, & gauisus est.* Quid ais Domine Iesu? Cur(quæso)diem mortis,diem tuum;& horam mortis,horam tuam appellas: in qua tot iniurias, tot flagella, tot supplicia subiturus eras? Annon magis hæc hora hostium tuorum,sicut ipse dixisti: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*, appellanda fuit: in qua filij noctis & tenebrarum sanguinem tuum, quem auidissimè sitiebant, biberunt: & furorem suum suppliciis tuis exsatiarũt? An potiùs hæc hora nostra est,qui per eam morte tua à morte excitati, sanguine tuo empti, & supplicio crucis in cæleste regnum trãslati sumus? Verè hæc nostra hora est, in qua tam multa per te nobis donata cõcessáq; sunt: in qua non modò ipse transisti ad Patrem,sed nobis etiam transitum ad eundem aperuisti: in qua nos à tyrannide Diaboli eripuisti, mortem nostram moriendo destruxisti, & qua peccata nostra (quæ malorum omnium causa erant) expiasti, & in profundum maris proiecisti. Verè hora nostra,hora salutis,& redemptionis. Tres horas hîc aduertere licet: est enim hora Iudæorum hora nostra, & hora item Christi: multò tamẽ magis Christi Domini,quæ mala nostra depellit, quæ nos bonis omnibus ornat. Ipse enim magis fuit solicitus pro nostra salute, quàm de vita sua: nec curat quid illi ferendum sit,sed quid nobis, propter ea quæ ipse pertulit, conferendum sit. Hoc enim perfectæ charitatis est,vt sui negligens, non quæ sua sunt, sed quæ dilecti, quærat. Ad historiæ seriem redeamus. Paratis à proditore insidiis,& morte decreta,priusquã ad agonem suum Dominus pergeret, *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, &c.* hoc tam nouo & mirabili obsequio Dominus non modò

Ioan. 8.
Dies & hora Domini.
Luc. 22.
Mich. 7.
Christi amor in nos quantus.

dò memorabile charitatis & humilitatis exemplum fidelibus relinquere, sed totum etiam redemptionis nostræ opus (quod perficiēdum erat) quadam imagine voluit adumbrare. Videris hîc illum à mensa surgentem, vestes deponētem, linteo se cingentem, aquam in peluim mittentem, discipulorúmque pedes lauantem. Quid igitur hæc noua rerum facies, nisi redemptionis nostræ seriem modúmque designat? Surrexit enim Dominus ab illa beata mensa, de qua ipse Apostolis ait: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater*, &c. Assumpsit carnem, factus est nobis proximus, qui tamē vbique est præsens iuxta diuinitatem suam. Posuit vestimenta; celauit gloriam suæ maiestatis. Præcinxit se linteo; humanitatem diuinitati ita circumfudit, vt præsepio arctaretur, qui cōtinet mundum: misit aquam in peluim ad lauandas discipulorum sordes, cùm lateris sui vndam precioso sanguine mixtam, in Ecclesiæ peluim, cæteráque Sacramentorum vasa effudit: qua non pedum sordes, sed animarum labes abluuntur. Absolueris per Sacerdotem in confessione à peccatis: Christus Dominus ipse, tanquam per canales, ex latere suo fundit gratiæ vndā, qua scelerum sordes abluit. Offers tu pedes animæ tuæ, hoc est, peccatorum omnes sordes ipse ex carne sua speculum fecit omnium virtutum: sic etiam aquam ablutionis ex latere suo fudit, vt hoc argumēto videas, quantum illi debeas, & quanti ei constiterit sanctificatio tua. Dominus præcinxit se linteo, & quidem adeò strictè, vt semper essent duæ extremæ partes, quæ lotis pedibus tergendis sufficerent. Quo exemplo parsimoniam nobis, & vitæ sobrietatem commendauit, vt ea videlicet moderatione rebus nostris vtamur, vt semper aliquid supersit, quo fratrū pedes, hoc est, pauperes & abiectos homines foueamus. Si enim Apostolus laborare in hoc fideles iubet, vt habeant vnde tribuant necessitatem patienti; quid eos facere par est, qui amplum patrimonium à maioribus traditum acceperunt, quíque suo labore, aliorum laborem & inopiam leuare possunt? Si parcè & frugaliter vixeris, non nutriendo inutilem familiam, non insumendo inutiliter in comparationibus, ædificiis, vestitu; supererit aliquid, quo pauperum pedes tergas. Seneca auarū hominem famelico cani comparat, cui ad mensam astanti si frustum panis proieceris, priusquam terram attingat, in momento deuorans, protinus eodem vultu, eadémque auiditate, se tibi obiicit, vt aliud atque aliud nunquam satiandus accipiat. Sitim illam ardentem Dominus improperat, cùm ait: *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum ad agrum copulatis.* Qua in re

Luc. 22.

Caeremoniæ Christi quid innuant.

Absolueris qualiter.

Pauperes fouendi.

Ephes. 9.

Seneca.

Simile.

Esa. 5.

magnus

magnus pudor est, quòd à plerisque Ethnicis Christiani homines in hac parte superamur, vt videre est in historiis. Facilè sanè perspicitur, in quàm miserabili nunc statu mundus sit positus, quando radix omnium malorum cupiditas tam latè dominatur, pręsertim apud illos qui Christum nudum nudi in cruce adorare deberent. Ita enim hoc tempore humana pectora auaritiæ pestis inuasit, vt omnes aliæ cupiditates in hanc vnam transisse videantur.

Cùm ergo Dominus se ad Petri pedes submitteret, séque ad eos abluẽdos pararet, tanta Petrus Domini humilitate stupefactus, exclamat: *Domine, tu mihi lauas pedes?* Quid te, Domine, in terra & in cęlo sublimius? quid verò me misero homuncione & peccatore vilius? quomodo ergo tu sordidos pedes meos lauabis? Ego tuos, Domine, pedes lauare debeo, ante illos procũbere. Tu me in naui in captura illa maxima piscium non parũ terruisti: hanc igitur, Domine, submissionẽ tuam quî ferre potero? Cui Dominus: *Quod ego*, inquit, *facio, tu nescis modò: scies autẽ posteà.* Hæc verba non solùm Petro, sed piis omnibus dicta esse putemus. Dominus sic se interdũ cum piis gerit, quando quæ sibi ad perniciem suam esse metuunt, ipse ad eorum salutem vertit. In hoc igitur rerum statu putẽt sibi hæc à Domino eadem verba dici: *Quod ego facio, tu nescis modò: scies autẽ posteà.* Intelligebat hoc S. Iob, ideóq; tot modis à Dæmone vexatus, & ab ipso Deo ita derelictus, vt diceret: *Quasi arbori euulsæ abstulit spem meam: & sic me habuit, quasi hostem suum:* tamen in spem quodammodo contra spem credens aiebat: *Etiamsi occiderit me, in eo sperabo.* hoc est, mori quidem potero, desperare non potero. Idẽ etiam S. Rex Dauid se facere ostendit, cùm variis periculis & terroribus vallatus, ait: *Ego autẽ semper sperabo, & adiiciã super omnẽ laudem tuam.* Cæterùm Petrus nihil his Domini verbis commotus, in instituta semel volũtate persistens, ait: *Domine non lauabis mihi pedes in æternũ.* Cui Dominus: *Si nõ lauero te, non habebis partẽ mecum.* Hæc summa Dei comminatio est; nulla enim pœna maior apponi potuit. Sensit protinus Petrus huius tanti fulminis vim, vtpote qui probè tenebat, quale esset bonũ illi' amittere, quod tenebat, ideóque humilis iam & venerabundus respondit: *Domine, nõ tantùm pedes meos, sed & manus & caput.* Quod perinde est ac si diceret: Totũ me tibi Domine lauandũ, imò & laniandum (si opus ita fuerit) permitto: modò me à te separari non sinas. Melius est mihi non viuere, quàm viuere sine vita, quæ tu es, Domine, teste D. Augustino. Iam qui variis internè curis

Luc. 5.

Iob 19.

Psal. 70.

Augustinus in Soloq.

curis & anxietatibus in mente distrahuntur ac torquentur, Christum non habent, cùm sint irrequieti & turbidi. Meritò Petrus ad vocem Domini expauescens, ait: *Domine, non tantùm pedes meos, sed & manus & caput.* Ad vocem Domini semper attendere debemus. Hoc animo fidelis quisque esse debet, vt quotiescumque hoc verbum Domini eius insonuerit auribus: *Si hoc feceris, non habebis partem mecum*, protinus cum Petro respondeat: *Domine, non tantùm pedes meos.* Hoc est, non hoc solo lucro, aut voluptate, quæ modò mihi per peccatum proponitur, sed vita ipsa, & si quid amplius esse potest, carere paratus sum, priusquam id committam, quo te vnum & summum bonum amittam. Solicitat Diabolus ad peccatum lethale, vt pro Deo commutemus suum regnum, huic viriliter obsistere debemus. Sic mater illa septem Machabæorum, non vitam suam modò, sed septem etiam filiorum vno die intercidere libentissimè passa est, ne hoc tanto bono, violata Dei lege, priuaretur. Annon ista ergo cum Petro Domini arbitrio cuncta permisit, ne tantum illud bonum amitteret?

Deo parendum.

2. Mach. 7

Vbi ergo Dominus discipulorum pedes lauit, cùm iterum recubuisset, ait: *Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister & Domine.* Contemplare (quęso) modestiã verborum Christi Saluatoris. Potuisset rectè dicere: *Ego sum Magister & Dominus*: imò &, *Ego sum cælorum & Angelorũ Dominus*: nihil tamen horum ait, sed, *Vos vocatis me Magister & Domine*: quasi hæc honoris nomina, non tam honorati merito, quàm honorantis officio illi deferrentur. Quibus verbis quid potuit modestius fingi? Subditque deinde: *Si ego laui pedes vestros Domin⁹ & magister, & vos debetis alter alterius*, &c. En quò totũ hoc Domini obsequium tẽdebat, vt videlicet morti iam proximus, hoc nobis quasi hæreditario iure, venerandæ humilitatis memorabile præberet exemplum. Huius virtutis exempla tum multa præcesserunt, tum multa subsecuta sunt. Huius tamen vtilitas tanta est, vt ea omnium virtutum fundamentum, & vitiorum omnium sit ruina. Superbia est caput & origo omnium vitiorum. Sicut autem huius virtutis maxima est dignitas, ita maxima eius assequendæ difficultas. Cur ita? Nimirum, quia potentissimum intra nos habet aduersarium, nempe flagrantissimam propriæ excellentiæ ac honoris cupiditatem: quæ non modò humilitatis, sed omnium etiam virtutum ac legum diuinarum perniciem machinatur. Lucretia illa laudata, honoris magis, quàm pudoris rationem habuit, quãdo, ne honorem amitteret, pudorem prostituit: & multas quidem tales Lucretias passim reperi

Humilitas virtus optima.

Cupiditas honorum.

reperire licet. Vide quid Athalia regnandi cupiditate fecit, quæ omnes filios & nepotes suos, vt sola regno potiretur, interemit. Abimelech septuaginta fratres, Gedeonis filios, super vno lapide, regnandi cupiditate percitus, iugulauit. Sic legimus recentia exempla de Turcis. Nero matrem ob regnum occidit. Cùm ergo humilitatis Magister, & Sapientia Patris, omnia hæc probè teneret, nihil illi in huius virtutis commendatione nimium visum est, cuius tanta erat necessitas, tantáque rursus eius adipiscendæ difficultas. Qua in re sapientis Architecti prudentiam imitatus est, qui cùm latissimũ in aliquo insigni opere fornicem exstruere vult, magna illum vi vtrinque à lateribus fulcit, ne pondere suo totam operis fabricam soluat. Sic igitur peritissimus humilitatis Architectus, magna illam exemplorum vi aduersus impotentem hanc dominandi libidinem fulcire necessarium duxit. Quid enim difficilius ad assequendum, quàm quod tam potenti defenditur aduersario? quem quidem superare, totam vitiatæ naturæ vim & potentiam superare est. Summo igitur studio commendari debuit, quod principale salutis est, & vehemẽtissimè attolli, quod difficillimum, ne operis difficultate homo deterretur. Simile quiddam facere solent, qui clauum (quo magna pars ædificij nititur) altissimè infigere conantes, non contenti iterum atque iterum illi malleum impegisse, frequentissimis ictibus infixum iam feriunt, vt ita tandem firmissimè hæreat, immobilisque persistat. Hac ergo ratione Dominus post innumera humilitatis exempla, hoc etiam addere voluit, quia nimirum sciebat, huic vni fundamento totam spiritualis ædificij fabricam inniti; præsertim cùm intelligeret, nunquam satis docéri, quod nũquam satis discitur. Christus itaque sicut suos dilexit ad finem vsque, id est, perseueranter, ita etiam humilitatis exempla vsque in finem exhibuit. Ignis semper ignis est, atque eodẽ modo semper ardet: quod maximè charitati Christi congruit, quæ in eo (sicut & gratia) summa exstitit. Eius charitatis flamma, quæ in sacro illo pectore latebat, in fine clariùs emicare, & radios suos longiùs effundere cœpit, dum tanta alacritate pro salute nostra mitissimus Agnus vltrò se ad mortem obtulit. Cuius alacritatis causa fuit, quòd nihil sit ardenter amanti gratius, quàm amorẽ suum amato vel verbis, vel rebus ipsis aperire. Ipse huius dilectionis tot argumenta exhibuit. Ab hac diuina dilectione ille Iudas proditor lõgissimè abfuit: in eo enim accidit, quod in Amnon Dauidis filio, qui sororem suam Thamar arte diaboli vehementissimè amauit, qua potitus & corrupta, eam incredibili

4. Reg. 11.

Iudic. 9.

Tyrannorũ exempla.

Simile.

Simile.

Simile.

2. Reg. 13.

odio habuit: ita Iudas à diabolo inuasus, adeò pecuniam dilexit, vt Dominum suum innocentem pro vili pretio venderet, & posteà ita eam sit detestatus, vt seipsum suspenderet.

PROBET AVTEM SEIPSVM HOMO, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, &c. 1. Corinth. 11.

INTER omnia Christianæ religionis mysteria maximè mirabile atque sublime, Deoque dignissimum est, venerabilis Eucharistiæ Sacramentum. Quid enim aliud magis diuinam nobis charitatem & omnipotentiã repræsentat? Summæ enim bonitatis fuit, quòd Dominus maiestatis hoc modo voluerit creaturis suis se communicare: summæ verò charitatis, quòd sub hac specie voluerit nobiscum perpetuò manere: summæ potentiæ, quòd solo Sacerdotis verbo, substantiã panis & vini in corporis & sanguinis sui substantiam vertat: summæ prouidentiæ, quòd hoc cęlesti cibo voluerit quotidię infirmitati nostræ cõsulere: at verò summæ benignitatis, quòd tam dulci pabulo vitam nostram alere, & ab illecebris seculi huius, ad cælestium bonorum amorẽ traducere dignatus fuerit. Sacrificium immolationis vnigeniti Filij Dei fuit gratissimum Deo Patri: at quia Christus iam non ampliùs moritur, hanc se denuò offerendi rationem excogitauit, vt qui semel cruentum in Cruce obtulerat sacrificium quotidie in altari offerret: & quod obsequium semel gratissimum Patri & hominibus salutare fuisset, quotidie in Ecclesia innouatum, eidem cælesti Patri pro nobis offerretur. *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationẽ*, hoc est, in memoriam passionis & mortis meæ, & charitatis meæ, qua mihi vitam eripui, vt vobis sempiternam donarem vitã. Verè Ioannes ait: *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Hic sanguis, sempiternus apud Deum Aduocatus noster est, longè meliùs pro nobis clamans quàm sanguis Abel. Quis tantorum bonorum hoc pretioso sanguine collatorum obliuiscatur? Est & alia huius sacræ institutionis nõ inferior causa: nempe quòd Saluator non solùm huius beneficij memoriã excitare, sed infirmitati etiam nostræ huius Sacramenti virtute mederi voluerit. Vt enim D. Bernardus ait, *Homo per peccatum velut in saxosum quoddam cænum præcipitatus fuit: quo factum est, vt non solùm immundus, sed etiam fractus, debilitatúsque iaceret.* quamobrem duplici egebat remedio: altero, quo eius sordes abluerentur; altero, quo debilitas roboraretur. Et ad illud quidem Baptismus & Pœnitentia: ad hoc verò Euchari-

Dei benignitas in nos.

Christus offertur in altari.

Apoc. 1.

Bernardus

Homo vt saluari queat.

Eucharistia potissimùm destinata est: quæ nimirum panis ille est, qui cor hominis confirmat; & mensa illa, quæ in conspectu nostro paratur aduersus omnes qui tribulant nos: ac denique spiritualis ille cibus, quo non modò ad æternitatem alimur, sed etiam ad pugnam roboramur. Erunt igitur in extremo iudicio reprobi inexcusabiles de delectibus suis, cùm potuissent per cibum hunc viuum roborari contra vitia & infirmitates suas. Confert hic quoque cibus mirabilem quandam suauitatem contra Legis amaritudinem. Sic qui purgato animæ palato ad illum accedunt, cum Propheta clamãt: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* Et, *Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa. Desiderabilia super aurũ & lapidem pretiosum*, &c. Commendat & hic panis mutuam in nobis dilectionis virtutem. Sacramenti huius officium est, fideliũ multitudinem in vnum corpus coagmentare, eosque ad mutuum amorem tanquam eiusdem corporis membra, incitare. *Vnus panis, & vnum corpus*, &c. omnes qui hoc Sacramẽtum sumũt, in vnum corpus coëunt, quorum eadem caro, idem sanguis, idémque spiritus est. Iam vidẽdum qua religione, quo timore, ad hoc summum Sacramentũ accedere debeamus, quando ad illa veteris Legis Sacramenta soli Sacerdotes tanta reuerentia, totque præcedentibus cæremoniis accedebant. Videndum qua reuerentia talis hospes intra cordis domicilium excipiẽdus sit. Hæc enim vel sola consideratio, ad omnẽ nos animi puritatem & reuerentiam (cùm ad hoc mysterium accedimus) excitare potest. *Probet*, inquit Apostolus, *seipsum homo*, &c. Probet se homo, an illa cælesti mensa sit dignus, an indignus. Capitale crimen facit indignum. Vide quid arca Dei fecerit, quãdo Dagon idolum ad illam statutus est. Vide quid passi duo filij Aaron, qui subitò extincti sunt, quòd indignè accesserunt. Dominus olim voluit, vt manus & pedes filij Aarõ lauarẽt, antequam accederent ad altare: *Ne fortè*, inquit, *moriantur*. Voluit esse summã mũditiam in ministris. Vide quod sumpsit supplicium de Oza, de Ozia rege, de Bethsamitis, de Nadab, de Abiud. *Reus erit corporis & sanguinis Domini, qui indignè mãducat*: non fraterni sanguinis, qualis fuit Abelis, sed ipsius Dominici sanguinis reus; quia non contra solum hominẽ, sed contra Deũ & hominẽ peccat. Vide quid accidit immũdo illi regi Balthasari, qui indignis manibus vasa tẽpli Domini contrectare ausus est. Oportet igitur, vt peccata detestemur, vt ea sacerdoti confiteamur, vt futura vitare omni ratione studeamus atque proponamus, & periculosas eorundẽ occasiones ante omnia fugiamus.

Psal. 118.
Psal. 18.
1. Cor. 10.
Ioannes Chrysostomus.
1. Cor. 11.
1. Reg. 5.
Leuit. 22.
Eucharistia dignè sumenda.
Daniel. 5.

Si hæc ipsa studiosè peregerimus, non peccamus dum ad hæc tremenda mysteria accedimus, etiamsi nondum diuinæ gratiæ compotes effecti simus. Adsit bonis cœptis Dominus Iesus. Amen.

FERIA SEXTA IN PARASCEVE, CONCIO, QVA PRIMVM DE INEFFABILI redemptionis humanæ beneficio: deinde de passionis acerbitate, & magnitudine dolorum Christi Domini agitur.

THEMA. *Recogitate eum qui talem sustinuit aduersus semetipsum à peccatoribus contradictionem: vt non fatigemini, animis vestris deficientes.* Hebr. 12.

DVo sunt, Auditores, quæ à nobis Ecclesia hoc sacratissimo tempore exigit: alterum, vt summum salutis & redemptionis nostræ beneficium officiosis & gratis animis recolamus: alterum vt Domino Saluatori tam dira pro nobis supplicia patienti pro compassionis affectu compatiamur. Neque pars hæc posterior à priori dissentit. Maxima enim beneficij pars est, pretij & laboris magnitudo, qua beneficium partum est. Redemptori nostro maximas debemus gratias, qui nos tam multis in cruce doloribus regenerauit, qui nos vinculis absoluit, sanguine suo redemit, & morte sua ad immortalem vitam reparauit. Ad redemptionis nostræ pretium cogitandum nos Apostolus inuitat, cùm ait: *Recogitate eum qui talem sustinuit aduersus semetipsum*, &c. quibus verbis nos ad laborum & dolorum Christi magnitudinem, non semel atque iterum, sed perpetuò considerandam, hortatur. Hoc enim, recogitandi verbo significare voluit. Ea enim huius beneficij magnitudo est, vt nullo vnquam tempore eius apud nos memoria intercidere debeat. Neque minùs in hoc officio vtilitatis, quàm iustitiæ & æquitatis ratio mouere nos debet. Quam idem Apostolus breuiter insinuat, cùm ait: *Vt non fatigemini, animis vestris deficientes.* Hoc est, vt ad omnes iustitiæ labores, ad omnes huius vitæ ærumnas, & calamitates perferendas instructi & armati sitis. Si enim passio Redemptoris ad memoriam reuocetur, nihil est quod

Christo agēdæ gratiæ.

Paßionis Christi vtilitas.

quod non æquo animo toleretur. Vtilitas autem, siue finis passionis est, vt homines à vitiis ad virtutum studia traductos ad æternam tandem felicitatem (ad quam conditi sumus) perducamus. Hoc est quod præcipuè molimur, hoc toto studio captamus, vt quod Dei Filius passione & morte sua effecit, nos non vt ille indigna ferendo, sed salutaria vobis monita suggerendo, efficere valeamus. Hîc nobis duplici via ingrediendum: altera, cùm vitiorum fœditatem cum virtutum dignitate & elegantia conferimus: quo & illa, vt par est, detestemur, & ad harum amorem & studium rapiamur: altera, cùm diuina beneficia, atque in primis ineffabile Dominicæ passionis mysterium commemoramus: quo tantæ bonitatis & charitatis amore succensi, illum diligamus, illius obsequio adiungamur, à quo tam multa & magna dona percepimus. Mysterium igitur Dominicæ passionis si penitus introspicias, & causas eius euoluas, inuenies planè, magis ad vitiorum odium & virtutum studium facere, quàm si explicitè & singillatim de vitiis ipsis, & virtutibus sermonem haberes. Apostolus Petrus ait: *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini*, hoc est, sicut ille carnis suæ passione, peccati regnum excidit: ita vos eiusdem passionis consideratione, aduersus peccatum arma capite; illud animo voluentes, quanta sit eius rei deformitas, quæ, nisi sanguine & morte Filij Dei, non potuit expiari. Hîc amor in nobis accendi debet, cùm tantam eius videamus dilectionem. Iam aduersus antiqui hostis assultus & tentationes, quid nos magis quàm vulnerum Christi cogitatio iuuare poterit? A Propheta enim rectè dicitur: *Petra refugium herinaciis*. Petra autem Christus est, ad quam lepores (vt alij habent) hoc est, piorum animæ, venatoris antiqui metu perterritæ, confugere tutò solent. Qui ad hanc confugiunt petram, quã eos Dominus benignitate excipiat, in Canticis sponsam alloquens, ait: *Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ*. In his foraminibus sese columba tutatur: in his passer inuenit sibi nidum: in his denique lepores, hoc est, timoratæ mentes, malorum omnium perfugium inueniunt. Hîc diuus Bernardus: *Quid non, inquit, boni in petra? Ibi exaltatus, securus & firmus sto. Vbi enim tuta quies, nisi in vulneribus Saluatoris?* Videtis, Auditores, quantum pia huius beneficij consideratio ad charitatis, cæterarumque virtutum officia calcar addat. Vt de hac materia aliquid vtile proferamus, ipsam in qua mundi vita pependit crucem consona Ecclesiæ voce salutemus.

Exempla magis quã verba mouent.

1. Petr. 4.

Psal. 103.

Cant. 2.

Bernard⁹. Refugium nostrum quale.

O CRVX AVE, SPES VNICA, &c.

Beneficii passionis Dominicæ optima portio est, à gehennæ incendiis liberari, & sempiterna vita & felicitate beari. De hoc enim idem ipse beneficij auctor ait: *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Et iterum: *Venit Filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.* De illo autem Apostolus ait: *Christum Dominum eripuisse nos ab ira ventura.* Vtrumque Saluator complexus est, cùm ait: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis: vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Cùm igitur pij hæc animo reuoluunt, quòd per vulnera Christi (cuius liuore sanati sunt) aditus illis ad æternitatis gloriam patefactus sit: quas tunc Redemptori gratias agent, *qui non corruptibilibus auro & argẽto, sed sanguinis sui pretio hãc illis gloriam mercatus est?* Tunc igitur cùm æternitate fuerint potiti, pleniùs redemptionis suæ beneficium agnoscent, quando quid per illud consequuti sint, apertè videbunt. Neque modò à gehennæ incendiis, sed etiam à tyrannide peccati (quod gehenna ipsa grauius est) nos liberauit. At peccati malitia tanta est, quantus is est aduersus quem peccatum committitur. Ideóque quoniam bonitas & maiestas illa & infinita & incomprehensibilis est, peccati quoque malitia à nobis cõprehendi nullo modo potest. Sicut igitur huius malitiæ magnitudo omnẽ intelligentiæ nostræ vim superat: ita nulla cogitatio beneficium illud pro meritis æstimare potest, quo à tam ingenti malo liberati sumus, neque solùm à malitia peccati, sed etiam à peccatorum fomite, hoc est, à cupiditatis, & carnis nostræ tyrannide, per eundẽ liberati sumus. Quod Apostolus expressit, cùm ait: *Vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato.* Vt enim homines in Republica iuxta legum normam vitã dirigere solent: ita fomes hic, siue corpus, siue lex, longè potentiùs homines adigit, vt cupiditatibus suis obtemperent. Huius autem fomitis vim atque potentiam, simul & remedium idem Apostolus complexus est, cùm ait: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* hoc est, de corpore peccati: respondet sibi Apostolus: *Gratia Dei per Iesum Christum.* Hac autem suffulti omnes Sancti, à peccato immunes fuerunt: quorum etiam multi vitã omnem ab omni lethalis peccati cõtagio puram & integram conseruauerunt. Et quid in illis potissimùm spectandum fuit? Gratia Dei, & charitas. Cùm enim perpenderẽt dolorum Christi

Ioan. 10. Luc. 19. Ioan. 3. 1. Petr. 1. Peccati malitia magna. Rom. 6. Simile. Rom. 7. Sanctos quid conseruauit.

Christi magnitudinem, quibus hæc tanta bona nobis Saluator promeruit, ipsi succensi, libenter suam perferunt crucem post eum. *Aquæ multæ*, inquit, de charitate illa loquens, *non potuerunt charitatem exstinguere, & flumina non operient eam.* Quocirca si plurimum nos Christo Domino, propter ea quæ nostri gratia pertulit, debere fatemur, longè plus est, quod eius amori, quàm quod dolori debemus: plus enim amauit, quàm doluit. Cùm S. Abraham filium immolare parabat, aries illi pro filio à Domino oblatus est. Rectè sanè: *Melius erat arietem immolari, quàm filium.* Itaque Dominus arieti non pepercit, vt Filio parceret. Sed inuertamus ita hoc sacrificiũ: vt pius Pater, quò arieti parceret, filium immolaret. Quis hoc non miretur? quis non obstupesceret? Quantò ergo maius est æternũ Patrem, vt inutili & malo seruo, atque adeò inimico suo parceret, Filiũ tradidisse? Hoc est igitur quod Ecclesia stupefacta miratur, cùm ait: *O ineffabilis dilectio charitatis! vt seruum redimeres, Filium tradidisti. Ipse condidit, ipse redemit.* Potuisset quidem Dominus, si voluisset, alicuius Angeli opera nos redimere, & salutem nostram operari; at vtroque nomine ipse nobis deuinctus esse voluit, creationis & redemptionis. *Gloriam*, inquit, *meã alteri non dabo.* Habemus eum vt rerum omnium conditorem, quem vt summum bonum diligere tenemur; ita eundem etiã tanquam redemptorem, & salutis æternæ largitorem amare debemus.

Cant. 8.

Genes. 22.

Christus immolat⁹.

Esa. 48.

Anselmus.

SECVNDA PARS.

QVANTVS fuerit dolor Dominicæ passionis & cruciatus, declarant planè cùm alia multa, tum præcipuè ea quæ in sacra passionis eius historia contigisse Euangelistæ referunt. Primus & maximus cruciatus exstitit, sudor ille sanguineus, vi summi doloris, quo interiùs anima illa sanctissima premebatur, expressus. Nunquam talis sanguinis sudor inter homines vsquam fuit visus. Secundus verò fuit piissimę & amantissimæ matris recordatio atque compassio: cuius animam sciebat acutissimi doloris gladio transfigendam, cùm se in cruce inter facinorosos homines pendentem, tótque plagis concisum, deformatum, irrisum, cerneret. Tertia doloris causa, & quidem vrgentior, discipulorum scandalum & ruina fuit, quorum alius eum negauit, alius pecunia vendidit, & osculo prodidit: cæteri autem (quos tam fideliter instruxerat) eo relicto turpissimè, metu exanimati, fugerũt. Quarta doloris causa, miserandi illius populi, qui mortem illi machinabatur, peccatum simul & excidium, quod illi iamiam imminebat, exsti-

Dolores Christi maximi.

Discipulorũ ruina.

Iudaici populi excidium.

tit:& facinus illud execrandũ, quod sciebat æterno exilio mulctandum. Ante passionem vidit ciuitatem, pias fudit lacrymas propter illius vastationem: quo dolore iam affectũ fuisse putandum (qui omnia præsciuit) cùm facinus illud detestandum instaret & velut in foribus futurũ excidiũ esset? Hac enim de causa pias feminarum sese ad crucem sequentium & lamentantium lacrymas compescuit, quando conuersus ad eas, dixit: *Filiæ Hierusalē, &c.* Quibus verbis indicauit, magis se de Iudæorum excæcatione, & irreparabili casu, quàm de suo interitu dolere. Synagoga ita deperdita, nouæ sponsæ, id est, Ecclesiæ iuncta est. Quinta doloris causa exstitit, innumerabilium penè hominum socordia & ingratitudo: qui hanc tantã salutem: & efficacem medicinam erant repudiaturi, quam is tot laboribus, tot opprobriis & cruciatibus, illis peperisset. Hi sanè multò grauiùs puniendi, qui tantã hanc salutis opportunitatẽ leuissimi laboris metu contemnunt. Omnes igitur hæ dolorũ causæ, velut agmine facto, mitissimum illud pectus impetebant, ex quibus tantus ille dolor conflatus est. Iam quid Pater cælestis dilectissimo in hac tanta cordis agonia constituto, præstiterit, expendamus. *Apparuit illi*, ait Euangelista, *Angelus de cælo confortans eum.* Angelus fuit Orator & Legatus ad Dominum, qui variè cum Saluatore egit, vt Moyses & Elias in monte. Hic sanctus ille Patriarcha, cum Isaac filio montis verticem conscendet, & filius qui ligna super humeros portabit, & pater cum igne & gladio aderit. Hoc sacrificiũ, quod tanto antè præcessit, crastina die perfectissimè celebrandũ est. *Si*, inquit Propheta, *posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.* Vide quid Iacob alieno vestitu amictus designet? Christus innocentiæ auctor, peregrinum & alienum habitum, hoc est, peccatoris & malefactoris imaginem suscipiens; eam à Patre benedictionẽ impetrauit, vt quicunq; illi benedixerit, id est, illius laudes prædicauerit, & ardenti fide & amore copulatus fuerit, sempiternę benedictionis gloriã consequatur adolescens inermis cum armato Golia, solo baculo armatus, & quinq; lapidibus munitus, congredietur, & prosternet. Serpens æneus in altũ exaltatus, attraxit ad se omnia. Vide quid illa rufa vitula velit. Sacra illa humanitas Christi est vitula rufa, quæ partim sceleribus hominum partim charitatis suæ ardore hunc colorem refert; in qua nulla vnquam peccati macula inuẽta est. Huius cineres, id est, sacrificij merita in Ecclesia ad peccatorum expiationem, reseruanda sunt. Hæc Angelum Domini cum Christo tractasse

credendum

Luc. 19. Luc. 23. *Iudæi abiecti.* *Passione Christi qui abutãtur.* Luc. 22. Matt. 17. Genes. 22. Esa. 53. Genes. 27. 2. Reg. 17. Num. 21. Deut. 21. *Figuræ explicantur.*

credendum est. Explicuimus animæ dolorem: nunc multitudinem dolorum, quos in corpore suo pertulit, adducere incipiamus. Christus cruciatuum acerbitate erat cõtentus, vt esset hominum redemptio copiosa: iam dæmon ex odio contra Christum, illi perniciem per suos satellites machinatus est. Dominus ex charitate; dæmon verò ex crudeli odio eandem tormentorum vim expetebat. Vide quot Christo peperit tormenta, quot verbera. Inde est quòd Iudas, eo instigante, Christum tradiderit, electus discipulus suum Dominum osculo tradidit. *Qui*, inquit, *intingit manum mecum in paropside, hic me traditurus est. Tamquam ad latronem*, inquit, *existis cum gladiis & fustibus comprehendere me.* Sequitur discipulorum fuga, quæ magistro magnum mœrorem intulit. Illos tam diligenter erudierat; iam illi omnium bonorum obliti, eum deserunt magistrum. Captus autem quàm multis iudicibus iniquis atque tribunalibus sistitur? Omnes fuêre iudices iniqui, & prauo affectu corrupti. Dominus ad manifestissimum accusationis mendacium tacuit. Doloribus, discipuli amantissimi additur negatio, qui ob ancillæ vocẽ negauit, qui tot eius viderat testimonia. Adspicit eum Dominus, & resipiscit discipulus, Dominus, qui pro latronibus patiebatur, tot sustinet verbera, vt martyres ad patientiam animaret. *Disciplina pacis nostræ*, inquit Propheta, *super eum, & liuore eius sanati sumus.* Verbera, quæ nostris sceleribus debebantur, ipse sustinuit, quò læsæ maiestati satisfaciens, pacem nobis & amicitiam Patris conciliaret. Iam verò quis irrisiones, contumelias, iniurias, oratione consequi possit? Contumeliæ & contemptus grauiores sunt, quàm corporis dolores; quòd his quidem vita, illis autẽ honor & existimatio peratur. Dominus hac in re omnes suis tormentis superauit martyres. Vide vt tua frangatur arrogantia. Ne autem quid deesset summæ ignominiæ, duos proponũt, Barabbam & innocentem Iesum, & omnes in latronis liberationem consentiunt, & in Christi damnationẽ. Iam ingratitudinis vitio quid peius? Quot beneficiis Iudæorum populum Dominus affecerat? Vbiq; reliquerat suæ beneficentiæ signa. Quid repẽderunt? Agatur, clamãt, in crucem; moriatur, qui vitã, qui salutem tam multis attulit: seruetur Barabbas, viuat latro, pergat concitare & occidere, vt antè fecit. Quæ maior populi ingratitudo? Quę verò maior Domini Saluatoris charitas, humilitas, & patiẽtia? Hac ergo ratione satis abundè ingratitudinis & superbiæ nostræ scelus expiare Saluator voluit. Transit nox, in qua tot iniurias, tot cruciatus coronæ pertulerat, adiudicatur ad crucem,

Christus & dæmon.

Matt. 26.

Iudices iniqui omnes.

Esa. 53.

Ingratitudinis vitium.

quam ipſe ſuis humeris baiulare cogitur, alloquitur in itinere eiulantes mulieres, offertur illi vinum felle mixtum, quod nec latronibus crudeliſſimis offerri conſueuit. Supereſt iam nunc extremum & atrociſſimum crucis ſupplicium: quod qualiter acciderit, facilè ex eorum malitia conſiderare poteris. Contigit in celeberrima tum ciuitate, tũ celebritate, ac populi frequentia. In iſtis animi & corporis doloribus adfuit triſtiſſima mater ſpectatrix. Omnibus cruciatibus illis, canes illi ſæuiſſimi non erãt ſatiati, quin & conuiciis plurimis illum afficerent. *Is cùm maledicerετur, non maledicebat: tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè.* Hîc iam Prophetæ illud locum habuit: *Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerũt me aceto.* Videmus Domini dolores, omnes alios cruciatus ſuperare. Verè Propheta dicere potuit: *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus.*

1. Petr. 2. *Pſal. 68.* *Thren. 1.*

Nũc, Auditores, ex his, quæ hactenus dicta ſunt Philòſophari aliquid incipiamus. Nullam enim altiorem Philoſophiam, quàm Crucis Chriſti eſſe, Apoſtolus teſtatur: qui quamuis in tertium cælũ raptus, audierit arcana verba; nihil tamen ſe niſi Chriſtum, & hunc crucifixum ſcire profitetur. Quo quidem teſtimonio, maximam eſſe Dominicæ Crucis Philoſophiam intelligimus. Requiritur vt pio compaſſionis affectu, & mœrore, patienti Domino compatiamur; ne in illam D. Hieronymi iuſtiſſimam indignationem incidamus: *Omnis,* inquit, *creatura compatitur Chriſto morienti: ſol obſcuratur, terra mouetur, petræ ſcinduntur, velum templi diuiditur, ſepulchra aperiuntur, ſolus miſer homo non compatitur, pro quo ſolo Chriſtus patitur.* Quid hac immanitate indignius? Deinde gratiam fideiuſſoris noſtri ne obliuiſcamur, qui animam ſuam pro nobis poſuit: ſed eam, quàm diu viuimus & ſpiramus, ſemper ante oculos habeamus, & immortales illi gratias agamus, quòd, cùm tam multis aliis rationibus ſine vllo ſuo incõmodo aut labore, ſalutem noſtram operari potuiſſet, hac tamen mirabili ratione nobis opem ferre voluerit: quòd ea ſanandæ miſeriæ noſtræ, & promouendæ ſaluti commodiſſima eſſet. Quid enim magis nos ad ſpem in Deum, ad eius amorem pariter ac timorem, ad mundi rerúmque terrenarum contemptũ, ad peccati odium, ad veram humilitatem vehementiùs, quàm Chriſti crucis myſterium poterat incitare? Videmus quòd non ſolùm cæleſtia aſtra nobis inſeruiant, verùm etiam quòd rerum omnium conditor Deus in humanę ſalutis miniſtrum ſeipſum dederit, & hominum pedes lauerit, & inter latrones eius gratia pepende

1. Cor. 2. *Hieronymus.* *Crux Chriſti cuius nos admoneat.*

pependerit. Sol non minus lucis & caloris cuiuis hominum tribuit, cùm omnibus luceat, quàm si vni alicui oriretur: ita passio Christi nihil minus præbet vnicuique, quàm si pro eo solo suscepta fuisset. Vide quã D. Augustinus precationem ad Dominum Iesum instituerit: *Quid commisisti, dulcissime Domine, vt sic iudicareris? Ego enim sum tui plaga doloris, tua culpa occisionis Offendit impius, & damnatur pius. Quid, Rex meus, & Deus meus, quid retribuam tibi, pro omnibus, quæ tribuisti mihi?* Requirit Deus, vt peccatũ, quod is morte grauius habuit, summo odio detestemur, ne videlicet vlteriùs committamus, quod maiorem nunc illi dolorẽ (si doloribus obnoxius esset) quàm mors ipsa incuteret. Vnde D. Bernardus sic Dominum loquẽtem inducit: *Nónne satis propter te vulneratus sum? Nunquid non pro iniquitate tua afflictus sum? Cur addis afflictionem afflicto? Magis aggrauant me vulnera peccati tui, quàm vulnera corporis mei.* Eusebius Emissenus nos admonet his verbis: *Custodiamus solicitè, quod tanti sudoris commercio Christus redemit.* Reus itaq; erit non parui pretij, sed sanguinis Christi, sanguine & passione eius mundatus. Illud etiam à nobis exigit, quod ipse, exposita priùs beneficij magnitudine, à Sponsa sua in Cant postulat. Sic enim ait *Sub arbore malo suscitaui te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* In his enim verbis salutis humanæ lapsum, simul & remedium, comprehendit. Mater enim omnium viuentium Eua, iuxta arborem illam à Domino interdictam, à serpente decepta atque violata est, cùm diuinæ gratiæ, & originalis iustitiæ integritatem amisit. Quã tamen misericors & pius Dominus in arbore obedientiæ, hoc est, in ligno crucis, à mortuis excitauit: quando scelus illius trãsgressionis & inobedientiæ, suæ humilitatis & obedientiæ merito dissoluit. Exposita igitur beneficij magnitudine, quid pro eo exigat, declarat protinus his verbis: *Pone me sicut signaculum super cor tuum, & super brachium tuum.* Vox est Sponsi in cruce pendentis: qui à Sponsa, hoc est, fideli anima exigit, vt illam crucifixi imaginem, in corde suo velut expressam & insculptam perpetuò gerat: vt tanti beneficij memoriam nullo vnquam tempore intercidere patiamur: atque, vt verbis vtar D. Augustini, *toto nobis figatur in corde, qui pro nobis est fixus in cruce. Ego,* inquit Apostolus, *stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Illi portant stigmata, qui carnem suam cum omnibus vitiis crucifigunt. Ad satisfaciendum pro totius mundi peccatis, vel vna pretiosi sanguinis gutta diuinitati vnita, satis erat: sed ille tamen totum sanguinem per tot

Simile.

Augustinus in Meditat.

Bernardus

Emissenus.

Cant. 8.

Crux vt ferenda.

Galat. 6.

tot vulnera effundere voluit. Christus de bono pastore ait: *Ipse ante eas vadit, & oues sequuntur illum:* hoc est, prior in laboribus, in ieiuniis, in vigiliis, & in aliis pietatis operibus. Offeramus illi, id est, Deo Patri, Iosephi nostri tunicam, & illum ad misericordiam inclinabimus. Hoc est enim quod olim Dominus adumbrauit, cùm Agni sanguine postes & superliminaria domorum tingi præcepit: vt eo inspecto, gladium suum ab ea domo coërceret, cùm in alias Ægyptiorum domos desæuiret. Sanguis ille Filij vnigeniti, est symbolum propitiationis: clamat hic misericordiam, sanguis Abel iustitiam. Tantum beneficium, tam caro emptum pretio sempiterna memoria & affectu celebrandũ, & in intimis sensibus recondendum est. Amen.

Ioan. 10.

Exod. 12.

DE PASSIONE DOMINI CONCIO SECVNDA: IN QVA DE CAptiuitate & redemptione generis humani, & aliis articulis necessariis agitur: in extrema verò Concionis parte, quid à nobis Dominus pro hac tam pia liberatione postulet, explicatur.

THEMA. *Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris: posuit enim animam suam pro te.* Eccles. 29.

CVM supera atque infera hæc considerauerimus, non possumus non, ob eorum pulcherrimum ordinem, in maximam trahi admirationem. Verùm si rerũ omnium conditorem & auctorem inspexerimus, ánnon in maiorem rapiemur admirationem? Iam quid mirabilius, quàm Deũ mori, Deum in crucem agi, Deum inter latrones pendere? Regina Saba non habebat vltrà spiritum, cùm Salomonis familiam, domum, gloriámque videret. Quãtò verò mirabilius est, Dei Filij humilitatem, quàm Salomonis sublimitatem cernere? Hoc certè non modò verbis exprimi, sed ne cogitatione quidem comprehendi potest. Videbant amici Iob eum ita in sterquilinio sedentem, & ita exanimati sunt, vt per dies septem tenuerint silentium. Si ergo tãto hi stupore correpti sunt, cùm hominẽ sic affectũ viderent, quãtus quæso stupor erit, nõ solũ hominẽ, sed Deum pariter atque hominẽ in cruce pendentem, & leprosi speciem exhi-

3. Reg. 10.

Iob 2.

Admiratio quæ maxima.

exhibentem,& à vertice vſque ad pedes tot liuoribus deformatum, tot plagis contritum,cernere? Sic Achior, vbi vidit caput Holofernis abſciſſum, præ ſtupore corruit in terram. Nos autem, Auditores, qui myſterium hoc ſumma fide amplectimur & veneramur, illud certè fateri debemus, magnum aliquod & ingens negotium fuiſſe, propter quod ſumma illa Sapientia ſubire mortem dignata ſit. Tanta enim res, quæ omnem ſuperat admirationem, non niſi maximi alicuius fructus cauſa ſuſcipi debuit. Cùm Rex aliquis ingentem exercitum, & claſſem multarum triremium apparari iubet, non alicuius viculi, ſed regni, aut munitiſſimæ vrbis expugnandæ gratia, comparare credẽdus eſt. Cùm ergo nihil magis humana mens quàm Deum mori concipere poſſit; conſequens erit, vt nihil hac ratione, vel ad genus hominum ſalutarius, vel ad Dei gloriam ſublimius fieri potuiſſe credamus. Non poteſt enim non ſummum eſſe beneficium, quod tantis impendiis paratum fuit. De hoc igitur ineffabili opere duo nobis hodie dicenda ſunt: alterum, quàm multa & præclara munera per Chriſti mortem nobis donata ſint; alterum verò, quàm multis doloribus hæc omnia nobis ipſe parauerit; illud quidem, vt immortales tantæ ſalutis auctori gratias agamus; hoc verò, vt tanquam viua membra, capiti noſtro patienti compatiamur. Hanc enim membrorum conditionem eſſe Apoſtolus ait, vt ſi quid patiatur vnum membrum, compatiantur cætera membra. Verùm ad hæc duo tractanda mortalis homo planè impar eſt. Vt autem aliquid religioſè præſtare valeamus, cæleſtem opem, ſacratiſſimæ Crucis adoratione & ſalutatione, imploremus.

Iudith 14. — *Simile.* — *Deũ mori mirum.* — *1. Cor. 12.*

O CRVX AVE, SPES VNICA, &c.

DOMINVS Deus eſt quidem ſublimis & excelſus, *qui ſublimia & alta à longè cognoſcit, & humilia reſpicit in cælo & in terra*: eſt quoque munificus & liberalis in bonorum ſuorum diſtributione: vult tamen vt pro collatis beneficiis illi gratiæ offerantur. Sic Iacob illi ædificauit altare, quod erat grati animi argumentũ. *Surge & fac altare Domino*, &c. Sic cũ Patriarcham Abraham tot itineribus exercuiſſet, voluit ſibi filiũ immolari. Sic quoque filios Iſraël, quos liberauerat de ſeruitute Ægyptiaca, exercuit. inde, vt huius tam mirabilis liberationis apud illos iugis eſſet memoria, voluit quotannis agi feſtũ. *Erit*, inquit, *quaſi ſignũ in manu tua*, &c. Huius liberationis memoriam voluit eſſe memorabilem per cunctas generationes & familias. *Vt*, inquit, *lex Domini ſit ſemper in ore tuo.* Hoc eſt, vt huius

Pſal. 131. — *Pſal. 112.* — *Altare Deo ædificatum.* — *Geneſ. 35.* — *Exod. 12.* — *Exod. 13.*

huius tanti beneficij consideratione, Dei omnipotentiã, charitatem in suos, & seueritatẽ in improbos agnoscens, illum verearis, illũ diligas, in illo spem omnẽ salutis reponas, quo tandem immortalitatis & felicitatis æternæ gloriã consequaris. Nunc quæso paulisper, Auditores, animos erigite, vt beneficij comparatione, redẽptionis & liberationis nostræ beneficium expẽdamus. Illo enim beneficio populus à Pharaonis potestate liberatus fuit: hoc verò à Diaboli tyrannide & potestate, cui veteris debiti iure traditi eramus, erepti sumus. Illo à plagis & laboribus, quibus populus in Ægypto premebatur; hoc ab æternis plagis & incẽdiis, quibus damnati in gehenna torquentur. Ad illud beneficium præstandum præcepit Dominus agnũ immolari, cuius sanguine postes domorũ tingerẽtur, & Dei populus à vastatore Angelo liberaretur: ad hoc verò voluit cælestis Pater nõ pecudẽ aut agnũ, sed vnicum Filiũ suum in sacrificium mactari: vt eius sacrificij merito, ab omnibus his malis, quæ suprà diximus, seruaremur. Ibi hostes submersit insequentes, hîc peccata suo sanguine interimit. Ibi aqua è petra ad sitim sedandã fluxit: hîc nobis è latere Christi, aqua quæ salit in vitã æternam. Ibi manna, quæ mortem nõ arcebat: hîc caro & cibus Christi viuus, panis Angelorũ proponitur. *Patres vestri*, inquit, *manducauerunt manna*, &c. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternũ.* Finis beneficij illius exstitit, filios Israël, post longos itinerum errores, ad promissam illis terram adducere: huius verò finis est, nos in hæreditatẽ incorruptam, nullo vnquam tempore finiendam, introducere. Quantum igitur beneficium beneficio præstat. Illud terra, hoc cælum: illud caro, hoc spiritus: illud denique agni morte, hoc Filij Dei morte perfectum est. Si ergo memorem illius beneficij animum à populo suo Dominus exigebat, vt annua recordatione minimè cõtentus, semper ob oculos obuersari voluerit: quid quæso à nobis pro hoc tanto beneficio repẽdi cupiet? Vide quã illi debeamus pietatem, & charitatem, atque gratiarum actionem. Agnoscamus, quantũ facultas nostra tulerit, beneficij huius magnitudinem. Quò enim magis hoc agnouerimus, eò magis grati ac deuoti in auctorem tantæ salutis erimus. Nulla magis ratione versari in hoc pio studio poterimus, quàm si rationem, quam Dominus Abrahæ præscripserat, vt omnia promissæ regionis loca lustraret, imitati fuerimus. Cõstat totius Christianæ Philosophiæ summam in vna peccati detestatione positam esse. Cùm autem peccatum nomino, non solùm illud parentis primi peccatum intelligo, quod tam infecit naturam: sed quæcum

Collatio beneficiorũ veteris & noui Testamenti.

Exod. 12.

Ioan. 6.

Gratiæ referendæ.

Genes. 22.

Philosophia Christiana quæ

cumque etiam lethalia peccata, quę homines passim designant: qualia sunt fraternum odium, impudicus amor, cõuicium, furtum, alienæ famæ denigratio, & quæ sunt eius generis. In his námq; omnibus peccatis includitur, quod in illo grauissimum fuit, nempe Dei contemptus, & auersio à summo bono, vnde cætera mala consequuntur. Porrò octo sunt mala, in quæ homo propter quoduis lethale peccatum incidit, quæ hîc breuiter enumerabo. Primùm per huiusmodi peccatum homo à Dei gratia & amicitia cadens, in eius iram & inimicitiam incurrit: odio est enim Deo impius & impietas eius. Amor Dei in nos, omnium donorum primum, & aliorum omnium caput est. *Peccata vestra*, inquit, *diuiserunt*, &c. Secundò, per peccatum à cælesti regno excludimur, quo primum tempore delinquimus, dicente Domino: *Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.* qui planè est electorum liber, in quo ij conscripti sunt, & cæli ciues decreti. Tertiò, per peccatum non solùm à regno excludimur, sed etiam ad gehennæ supplicia dãnamur. *Stipendium peccati mors.* Hæc est mors secunda. Quartò per peccatum tradimur in potestatem Diaboli, in quam nos tradimus ipsos. *Vt resipiscant*, inquit, *à Diaboli laqueis*, &c. Nosipsi sumus captiuitatis nostræ & miseriæ causa. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Nec vinctus modò est atque captiuus, sed etiam eiusdem peccati maculis adeò impurus atque deformis, vt Dominus per Hieremiam dicat: *Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam Borit*, &c. Sicut enim in rebus corporeis, vbi candida vestis, cœnum vel sordes contingit, ipsa quoque maculatur & sordidatur: ita homo per peccatum à Deo recedens, rebúsque terrenis, fœdísq; voluptatibus se immoderato amore coniungens, earũ quoque fœditatem atq; sordes cõtrahit, dicẽte Domino: *Abominabiles facti sunt, sicut ea quæ dilexerunt.* Nec sordidus modò atque deformis, sed cæcus etiam per peccatum homo efficitur, & in tenebris agere dicitur. Hinc extrema illa & summa rationalis creaturæ cæcitas ortum habet, quòd tunc tẽporis feliciter atq; præclarè se viuere arbitratur, cùm visibilibus hui⁹ vitæ bonis fruitur, & carnis voluptates explere potest. Peccatũ est tanquam atra nubes. Nec modò cæcum, sed infirmũ etiam & debilẽ ad omnia pietatis officia reddit. Quod satis indicat ille qui incidit in latrones, qui eũ spoliauerunt, & vulnerauerunt. Sicut si à cadauere myrrham abstraxeris, protinus computrescet, & in vermes abibit: ita planè, si diuinæ gratiæ myrrham ab anima nostra secreueris. Postremò per peccatum

Mala quæ per peccatum contingunt.
Esa. 59.
Exod. 32.
Rom. 6.
Apoc. 21.
Prouerb. 5.
Hierem. 2.
Simile.
Osee 9.
Sextũ malum.
Septimum malum.
Luc. 10.
Simile.
Octauum malum.

anima

anima mortem incurrit: quia veram vitam suam amittit, dicente Iacobo: *Peccatum cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Et sancta illa Susanna: *Si hoc,* inquit, *egero*(id est, cupiditati vestræ obtemperauero) *mors mihi est.* Peccatum appellauit mortem. Amissa verò gratia, auctorem vitę suæ Deum amittit. Hinc illud Augustini: *Non sunt in te viscera pietatis, si luges corpus à quo recessit anima, non luges animam, à qua recessit Deus.* Hæc sunt mala in quæ totum genus hominum decidit per peccatum: & in quæ vnusquisque nostrûm incidit, quoties capitale crimen admittit. Quando incendia vitamus, vt de D. Benedicto scribit diuus Gregorius, vincim⁹ peccatum. Sic & sanctus Franciscus in tentatione fecit. Ab his malis, in quæ per peccatum incurrimus, nullo modo se miser homo potest extricare, quia non poterat læsæ Maiestati satisfacere. Cùm igitur miser homo in hoc tam infelici statu ageret, vnicus Dei Filius tãtam lapsi hominis cladem miseratus, causam eius in se suscipere decreuit, ipse vadem se pro reo homine & debitorem fecit. Hæc omnia fecit solo salutis nostræ amore. Vehemẽtissima charitas Christi, omnia mundi scelera (quæ instar locustarum Ægypti, non vnam aliquam regionem, sed vniuersum genus hominum vastabant) in se suscepit: & ea omnia in mare rubrum, id est, in pretiosi sanguinis sui flumen, proiecit, vt in eo prorsus interirent. *Atque ita,* inquit Emissenus, *immensa illa Maiestas de nostro obtulit sacrificium, de suo contulit pretium.* Oportet in Saluatore nostro tria actionum genera obseruare Quædam enim sunt propria Dei, quædam hominis, quædam Dei simul & hominis opera. Creare, peccata remittere, & id genus alia, solius Dei opera sunt: obedire Deo, Deo gratias agere, solius hominis: at verò emittere Spiritum, & pro voluntate ponere animam, & iterum sumere, se à mortuis excitare, sunt opera eius, qui simul Deus & homo est. Cùm igitur vtraque Dei & hominis natura perfecta in Christo fuerit: habuit planè ex altera quidem vnde satisfaceret, ex altera verò, vnde pro totius mundi peccatis satisfaceret.

Quoniam satisfacientis virtutem infinitam vidimus, satisfactionis modum videamus: hoc est, qua via & ratione læsæ Maiestati Redemptor noster satisfecerit. Si iustitiæ rationem expendamus, satisfactio medicinæ naturam imitatur: quæ contraria contrariis curare solet: nempe frigida calidis, & calida frigidis. Ad hunc ergo modum Saluator contraria via ingrediens, quæ nos sceleribus nostris commeruimus, contrariis ipse virtutibus expiauit. Quia igitur prima mortis & perditionis

Iacob. 1. *Daniel. 13.* *Augustinus.* *Gregorius lib. 2. Dialog.* *Vadẽ quis se pro nobis posuit.* *Exod. 10.* *Mich. 7.* *Christus tria in se habuit.* *Primus satisfaciendi modus.* *Obediẽtia causa salutis.*

nis nostræ causa exstitit inobedientiæ crimen, & effrenatæ mentis rebellio, qua primus homo, cæterique deinde ab eius stirpe propagati, imperium Dei nefariè detrectabant: fuit vtique consentaneum, vt Christus obedientia sua numen Patris placaret nobis iratum, & illis, qui deinceps illius iussis obedirent, causam salutis afferret.

Hæc vna ratio diuini numinis placandi, & pro nobis satisfaciendi exstitit: audite nunc aliam non minùs æquitatis & iustitiæ legibus accõmodatam. Vnigenitus Dei Filius, qui nostram in se personam & causam misericorditer suscipere, & secundùm iustitiæ leges diuinæ Maiestati satisfacere voluit, debuit vtique pœnas sceleribus nostris (ne quid impunitum relinqueret) irrogatas in se suscipere; vt ipso pro nobis satisfaciente, nos ab hoc pœnarum debito solueremur. Liberauit nos à morte. Gratis quippe Filius Dei mori non debuit. Mitissimus Agnus cum Propheta dicere potuit: *Pauper sum ego. & in laboribus à iuuentute mea.* Vltima pœna exstitit secunda mors. Hîc tria supplicia concurrunt. Homo traditur in potestatem Dæmonis: caret omni solatio damnatus; & omnibus sensibus torquetur. Hac ergò satisfactione Christus Dominus & peccatum, & mala omnia, in quæ per peccatum incidimus, è medio sustulit. Quòd autem is peccatum sustulerit, testatur ipse Dominus, qui sanguinem suum in remissionem peccatorum fundendum esse ait. Testatur Ioannes Baptista, cùm digito illum demonstrat, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Testatur Paulus, cùm ait, ipsum tulisse chirographum, in quo peccata nostra descripta erant, & illud cruci affixum clauis dirupisse, & fuso sanguine obliterasse. Peccato verò sublato, cætera deinde mala ex eo prodeũtia sustulit. Et primùm quidem, Deus Pater nos in gratiam & amicitiam suam recepit; sicut idem Apostolus ait: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum: & posuit in nobis verbum reconciliationis.* Deinde cælestem hæreditatem, quã amiseramus, restituit; sicut idem Apostolus ait: *Conuiuificauit nos in Christo, & conresuscitauit, & concedere fecit in cælestibus.* Tertiò, sublato peccato, à reatu mortis æternæ, cui addicti eramus, liberauit; sicut ipse per Prophetam testatur, cùm ait: *Ero mors tua, ô mors: morsus tuus ero inferne.* Pro quo beneficio gratias agit Propheta, dicens: *Misericordia tua, Domine, magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Quartò, liberauit nos etiam à diaboli tyrannide, qui captiuos tenebat, & in suum regnum & carcerem detruserat. Hanc

Christus pœnas nostras assumpsit.

Psal. 87.

Matt. 26.

Ioan. 1.
Colos. 1.

Bona quæ per Christum accepimus.

2. Cor. 5.
Ephes. 2.

Oseæ 13.

Christi victoriam Ecclesia hodierna die celebrat, cùm ait: *Hodie portas mortis, & seras pariter Saluator noster disrupit: destruxit quidem claustra inferni, & subuertit potentias diaboli.* Idem etiam peccatorum nostrorum sordes & maculas sustulit, sicut Ioannes ait: *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Idem etiam mentis nostræ cæcitatem, & tenebras dispulit, cùm atram peccati nubem; luto ex saliua confecto (hoc est, incarnationis suæ sacramento) cæci nati, hoc est, humani generis, oculos aperuit, & illud impleuit quod per Prophetam pollicitus est: *Educam cæcos in viam*, &c. Idem etiam animæ nostræ vulnera, vulneribus suis sanauit, sicut Propheta dixit: *Disciplina pacis nostræ super eum*, &c. Hac sanitate percepta, facilè potest homo viam mandatorum Dei currere, qui alioquin infirmus & æger, vix se loco mouere poterit. Postremò resurrectionis suæ sacramento ad vitam nos reuocauit. *Viuificauit nos post duos dies*, &c. ait ille.

Apoc. 1. *Esa. 42.* *Esa. 29.* *Osea 6.*

En, Auditores, octo illa mala, in quæ per peccatum incidimus, Christi meritis tolluntur; si nos per fidem & charitatem operantem, illi tamquam viua membra copulemur, atque redemptionis eius participes efficiamur. Vt hæc tam multa beneficia in nos conferret, quadruplicem personam pro nobis sustinere voluit: nempe fideiussoris, sacerdotis, aduocati, atque bellatoris. Vt fideiussor, vadem se pro nobis obtulit, & omnia peccatorum debita per se dissoluenda suscepit. Quia non habuit peccata propria, redemit aliena. Sacerdotis verò personam sustinuit, quando seipsum in ara crucis pro salute communi immolauit. Aduocati autem personam sustinuit, quando causam nostram ante supernum iudicem defendit: in qua causa Deus iudex, diabolus accusator, homo reus, Christus verò rei hominis patronus & aduocatus exiitit. Christus Dominus rei patrocinium suscipiens, de suo, Iudici obtulit, quod reus homo non habuit. Iam quomodo Christus bellatoris sustineat personam, contemplemur: hoc est, qua ratione communem generis humani hostem bellando superauerit. Duplex est ratio præliandi: aut enim viribus, aut astu & arte, hostem superamus. Posteriori genere decertandi Saluatorem nostrum cum communi hoste decertasse, omnis sanctorum Patrum consensus apertissimè declarat: vt is qui arte, & dolo, atque mendacio hominem superauerat, arte quoque, consilio, & bono dolo superaretur. Quod quidem Saluator fecit, cùm passibilem humanitatis naturam, & variis obnoxiam doloribus, hosti obiiciens, diuinitatis gloriam occultauit: atque hac ratione hostem ad

Christus quadruplex persona. *Aduocatus Christus.* *Diabolus vt victus.*

se

se impendendum, qui sui iuris non erat, prouocauit. Aggressus est eum Diabolus; at quomodò illi successit? Hoc tali exemplo doceri potest. Sicut tyrannus, qui à Rege maleficos puniendi potestate accepta, innocentem Regis filium occidisset, omni esset potestate priuandus: ita dæmon, qui communis peccati merito, mortis iudicium in omnes homines exercebat, cùm eadem potestate in innocẽtem Regis æterni Filium abusus est; potestate, quam Deo permittente acceperat, spoliatus fuit: atque ita demùm pios homines, qui redemptionis Christi participes effecti sunt, non potest (quod antè faciebat) in suum regnum & carcerem detrudere. Cuius rei imaginem Daniel expressit, cùm Babylonis Draconem, qui à Dæmone agebatur, solidioris cibi virtute confecit Hac igitur præliandi ratione Imperator noster cõmunem hostem superauit, & ab eius nos potestate, non vi atque potentia, sed iure & ratione eripuit. Vnde liquet, duplici iure hominem à Diaboli potestate ereptum: primùm, quia aduocat⁹ noster de suo obtulit, quod homo nõ habebat: deinde, quia Dæmoni se inuadendi occasionem præbuit.

Simile.

Dan. 14.

Nunc tempus exigit, Auditores, vt quid pro hoc tanto munere Christus Dominus à nobis requirat, expendere incipiamus. Cùm autem multis modis tantæ salutis auctori obnoxij simus; illud ante omnia exigit, vt gratum semper animum, atque huius beneficij memorem habeamus; immortalesque illi laudes & gratias pro hoc tanto munere offeramus, & ab eius nunquam laude cessemus. Sanctus Propheta Dauid, cæterique veteris testamenti Patres, si vitam omnem in huius beneficij consideratione, quod futurum sperabant, insumebant: quid nos facere par est, qui illud suscepimus, quibusque aditus in cælum patefactus est, qui illis occlusus? Certè non toties respirare quoties huius beneficij meminisse deberemus. Hoc quoque exigit, vt summo & acerbissimo odio lethale peccatum detestemur: ad peccati enim deletionem opus fuit, vt vnigenitus Dei Filius tot cruciatus, tot labores, postremò acerbissimum mortis supplicium perferret. *Opus est,* inquit Emissenus, *vt ita laboremus, ne quod Christus elaborauit, nos iterum polluamus: ne scindamus vulnera, quæ ille sanauit: ne quod semel in nobis deleuit vnda Baptismi, rursum excoquere necesse habeat ignis inferni.* Sicut qui mercem magno pretio atque labore emptam contemnit, & pro nihilo ducit, eius quoque pretium cõtemnit: ita qui animam suam, Christi sanguine redemptam, peccatis inficit & perdit, eius quoque pretiũ, hoc est, Christi sanguinem, conculcare atque contemnere dicitur; quod Apostolus valde

Pro beneficio quid Christo referendum.

Eusebius in Homil.

Simile.

Hebr. 10.

iniquum ducit. *Irritam quis faciens legem Moysi*, &c. Quid ex huiusmodi redemptione consequatur, Apostolus mira breuitate complexus est, cùm ait: *In hoc Christus mortuus est, vt viuorum & mortuorum dominetur: vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.* Mors Christi est permutatio quædam inter Deum atque homines, qua Deus homini vitam suam contulit, vt vitam suam homo auctori vitæ suæ Deo redderet. In hac permutatione nobis vtrumque præstandum est, vt quod ille diligit, diligamus; & quod odit ipse, odio habeamus nos. Da ergo Domine, qui tot in nos munera contulisti, da etiam, vt te vnicum Dei Filium, & salutis nostræ auctorem, amplectamur, tibique semper adhæreamus, te toto corde diligamus, à tua laude nunquam cessemus, & pro te mori pulchrum putemus: quo amorem amore, & sanguinem sanguine compensantes, pretiosi sanguinis & passionis tuæ, te donante, participes effici mereamur. Amen.

Rom. 4.

Mors Christi permutatio.

Oratio.

CONCIONVM TOMVS TERTIVS:

De tempore, quod est à Paschate ad Dominicam primam post Pentecosten.

IN DIE SANCTO PASCHÆ, CONCIO: IN QVA LECTIO EVANgelica explanatur.

THEMA. *Iesum quæritis Nazarenum, crucifixum, surrexit, non est hîc: sed ite, & dicite discipulis eius,* &c. Marc. 10.

SACRATISSIMIS his diebus, quibus Dominicæ resurrectionis gaudium festis laudibus lætabunda celebrat Ecclesia, nulla vox frequentiùs auditur, quàm quæ nos ad eiusdem gaudij communionem inuitat. Hinc toties versiculus ille repetitur: *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* Erunt autem fortasse multi, qui hodie lætentur; sed non eo modo quo nos Apostolus lætari præcipit, cùm ait: *Gaudete in Domino semper: iterum dico, gaudete.* Non gaudent autem hoc modo, qui ob id solùm gaudēt, quòd ieiuniorum & pœnitentiæ laboribus finem hodiernus dies attulerit; quòd iam carnibus ingurgitari; quòd, cùm libuerit, edere, ludere, & libetiùs viuere liceat: quodque iam à confessionis pudore & molestia liberi sint. Qui enim hoc modo gaudent, non de Christi resurrectione gaudēt. Nihil enim habet sancta hęc lętitia commune cum ea quæ ex his rebus nascitur: quas vt Christus Dominus ex hominum pectoribus extraheret, tot iniurias, & ludibria pertulit, & tam multos labores, molestiasque tolerauit.

Psal. 117.

Philip. 2.

Gaudium quale Ecclesia requirat.

Vbi enim terrena gaudia penitus dominantur & vigent, hæc sancta lætitia locum non habet: quæ carnis voluptatibus & infensa est, & inimica. Quínam ergo tantæ huius lætitiæ participes erunt? Primùm quidem illi, quorum spes & gloria simul cum Christo resurrexit. Hoc enim modo S. Propheta gaudebat, cùm diceret: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Cur ita gaudes in Deo viuo? Nimirum, quia illo resurgente, & in æternum viuente, resurrexit cum illo salus mea, spes mea, quæ concidere nunquam poterit: vtpote quæ illo fundamento solidissimo nitatur, habent iusti hodie, cur meritò gaudere debeant: habent & peccatores eandem lætitiæ causam, si tamen ipsi pœnitentia veteres peccatorum sordes diluerunt; si in nouam vitam transierunt cum Christo. Rectè de talibus dici potest: *Mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est.* Sacramento Dominicæ passionis ad cælestem vitam excitamur; meritò igitur gaudere debemus. Iam quibus salus animæ suæ chara est? qui à peccati morte per Christi gratiam excitati & animati, spirituali sensu, dignam de hoc mysterio concipiunt lætitiam. Vt horum sorti connumerari possimus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, imploremus.

Psal. 83.

Colos. 3.

Luc. 16.

AVE MARIA. aut, VICTIMÆ PASCHALI, &c.

IN lectione S. Euangelij, Auditores, magnum veræ charitatis exemplum tres istæ sanctæ feminæ, quæ cum aromatibus ad vngendum sacrum Domini corpus venerunt, nobis exhibent. Cùm enim illum paulò antè efflantem in cruce animam vidissent, deque eius resurrectione desperassent, tumulumque ipsum armatis militibus, qui aditum prohiberent, septum esse scirent, nec alium tunc temporis ex officio suo fructum, quàm doloris augmentum, defuncti corporis conspectu se reportaturas crederent: nihilominùs tamen, vt sacro illi corpori aliqua saltem ratione inseruirent, extremum hoc amoris officiũ impendere decreuerunt: tantùm apud eas cõcepta semel in Christum charitas valuit. Perfectæ charitatis natura est, nõ vtilitatis fructum, sed officij debitum; non commoditatem, sed honestatem; non quo sibi consulat, sed quo dilecto placeat, solerter attendere. A quo studio lõgissimè absunt, qui hæc verba iactare solent: *Ne Deo quidem obsequerer, nisi obsequij mei fructum aliquem percepturum sperarem. Vera* enim *charitas,* inquit Bernardus, *mercenaria non est, quamuis sine mercede non sit.*

Mulieres cuius nos admoneãt.

Charitas vera quæ. Bernardus

Et valde manè vna sabbathorũ veniunt ad monumentũ. Nihil in

in hoc humanitatis officio istæ sanctæ feminę prætermisisse videntur. Quo enim die Dominus crucifixus est, vespere eius diei aromata emerunt & parauerunt: sabbatho verò siluerũt, secundùm mandatum: sequenti verò Dominico die non Solis ortum exspectauerunt, sed valde manè iter arripuerunt: quamuis iam orto Sole ad tumulum venerunt. Noctem duxerunt insomnem: ideò & Angelos, imò Angelorum Dominum à mortuis resurgentem viderunt, quæ tanto studio illum summo diluculo quæsierunt. O felices, qui sic auroram ad quærendum Dominum præueniunt, quique simili ardore & pietate illum desiderant! *Consurgat*, inquit Sapiens, *diluculo, qui quærit bona. Ego*, inquit Sapientia ipsa (qui Christus est) *diligentes me diligo: & qui manè vigilauerint ad me, inuenient me.* Inuenit quidem Maria corporaliter Iesum, ad quem vigilabat; ad cuius monumentum, cùm adhuc essent tenebræ, excubatura venit. Tu verò quæ iam non debes nosse Iesum secundùm carnem, sed secundùm Spiritum, spiritualiter eum inuenire poteris, si simili eum desiderio quæsieris, si te similiter in oratione peruigilem aduerterit. Dic cum Psalmista: *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.* Tunc poteris liberè cantare: *Repleti sumus manè misericordia tua: exultauimus & delectati sumus in te.* Sic Sancti maturè ad laudes diuinas se aptarunt. Sic sanctus Dauid verbis his se incitabat: *Exsurge gloria mea, exsurge psalteriũ & cithara, exsurgam diluculo.* Sumite, Auditores, aliquam matutini temporis partem, & eam diuinæ laudi, & gratiarum actioni impendite, & donorum Spiritus sancti communionem sentietis in vobis: qua percepta, mora nulla erit, quin, spirituali dulcedine prægustata, quæcunque in mundo grata sunt, pro nihilo facilè ducatis. Nec mirum hoc videri debet: quandoquidem hæc spiritualis dulcedo, non de creatura, sed de creatore cõcipitur, quæ omnem aliam dulcedinem multis partibus superat. Inde adeò fit quod diuus Gregorius ait: *Animæ videnti Deum, angusta est omnis creatura. Videnti*, ait, hoc est, cognoscenti, amanti, atque fruenti, omnis creatura, huius tantæ suauitatis comparatione, vilescit. Hinc diuus Bernardus: *Feruore spiritus*, ait, *feruor extinguitur aliorum desideriorum, & pestiferam dulcedinem vitiorum, iucunditas spiritualis vnctionis excludit.* Iam ad sanctarum feminarum historiam redeamus. Dum adhuc igitur in itinere essent, amouendi lapidis ab ostio monumenti curâ distinebantur. *Quis*, inquiunt, *reuoluet nobis lapidem ab ostio monumẽti? Erat quippe magnus.* Hæc verba aptè nobis hoc tẽpore occurrunt. Multi hæc eadem verba in animo suo, dum

Prou. 11.
Prouerb. 8.
Iesus vt inueniendus.
Psal. 91.
Psal. 56.
Dulcedo spiritualis qualis.
Gregorius in Dialogis.

de pœnitentiæ ratione, & vitæ mutatione cogitare incipiunt, repetunt, *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Lapis enim, qui accessum prohibet ad Christum, peccatũ est, & causa peccati: *Peccata enim*, ait ille, *diuiserunt inter vos & Deum vestrum.* Hæc enim velut murus quidam adamantinus sunt, qui nos à Christo separat. Peccatorum verò omnium causa, immodicus amor sui; & propria voluntas est: qua cessante, ignem quoque gehennæ cessaturum diuus Bernardus ait. In quem enim sempiternus ignis ille, nisi in propriam voluntatem deseuiet? Amorem verò sui, peccatorum omnium seminarium esse, vel ex eo patet, quòd nemo peccat, qui non alicuius vtilitatis aut voluptatis amore inductus, peccet. Quis ergo hoc tã graue saxũ à cordis sui penetralibus amouere possit, quò malorum omnium incentorem à se depellat? Quis potentissimum hunc affectum, à quo cætera oriuntur, consilio regere valeat? *Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Quis igitur hunc grauissimum lapidem, qui nos à Christo separat, ab ostio cordis amouere possit? Hic sui amor, est illa bestia, id est, amor honoris, pecuniarum & voluptatum, quæ ab hoc amore proficiscuntur: quis superare poterit? quis propriæ voluntatis impetum poterit expugnare? Verùm quid huic quæstioni respõdeatur, sequentia protinus verba declarant: *Et respicientes viderunt reuolutum lapidem.* His verbis satis apertè propositæ quæstioni respondetur. Quod enim sanctis feminis ferè impossibile, femineísque viribus impar videbatur, sine suo labore factum cælesti potestate viderunt. Idem autem quotidie in Ecclesia multis verè pœnitentibus contingit, vt quos animi sui motus & impetus insuperabiles iudicabãt, vbi ad Dominum tota mente cõuersi, illi adhærere, & eius opem ardentibus votis implorare cœperunt, sine labore animaduertunt factum, quod vix fieri credebant. Sicut ergo cum paruulo filio iter faciẽs pater, vbi fortè vel ad fluuium aliquem, vel difficilem ad transeundum locum ventum est, humeris aut gremio impositum filium secum transfert (quo fit, vt minori negotio per asperam quàm per planam viam paruulus gradiatur; illam enim alienis humeris, hanc autem pedibus suis conficit) ita planè quæ in virtutis via magis ardua sunt, Deus ipse, tanquam pius Pater, in nobis (non tamen sine nobis) speciali quodam auxilio operatur (vtpote qui quasi nutritius Ephraim, nos in humeris suis portet) faciliora verò nobis, nec tamen sine ope sua, peragenda committit. Quo fit interdum, vt qui maiora impedimẽta facilè superant,

Esa. 56.

Immodicus sui amor.

Peccatum voluntarium.

Ioan. 12.

Apoc. 13.

Voluntas propria, bestia.

Simile.

Deus fidelis in operibus suis.

perant, minora difficiliùs possint. Quod pia Dei dispensatione fieri diuus Gregorius ait: vt apertè pij homines hoc indicio videant, se maiora illa Dei auxilio vicisse, cùm difficulter ipsi minora quædam superare valeant. Sic solet Dominus agere cum illis quos ex spirituali Ægypto, hoc est, ex huius mundi tenebris liberat, vt ad promissam cælestis patriæ terram perducat. Qua ex re liquet, quantum salutis nostræ auctori debeamus, qui non modò prœmiũ iustis laboribus tribuit, sed robur etiam ad ferendos labores addit, & omnia iustitiæ impedimẽta misericorditer tollit. Hic est noster Ioseph, Saluator mundi, qui panem Angelorum hoc est, cælestem gloriam; & pecuniam qua hic panis ematur, hoc est, diuinæ gratiæ opem, nobis donare dignatur. Hoc est igitur quod cęlesti virtute reuolutus ab ostio monumenti superna virtute lapis insinuat. Sequitur deinde.

Gregorius.

Ioseph noster, Saluator mũdi.

Et introeuntes monumentũ, viderunt iuuenem sedẽtem in dextris, coopertũ stola candida, & obstupuerunt. Qui dicit illis, Nolite expauescere: Iesum quæritis Nazarenũ, &c. Cur hoc in loco singularis Petri fit mentio, cùm cæteri eius socij cõmuni discipulorũ nomine designentur: præsertim cùm Petrus cæteris fœdiùs in passione corruerit? Alij enim fugerunt, Petrus etiã negauit. Certè ob hoc ipsum quòd grauiùs deliquit, oportebat illi animum addere, & in spem erigere, diffidentiamq; omnem adimere. Peccatum enim robur animi frangit, & ad imũ vsque mentem deiicit. Vnde est illud: *Fugit impius nemine persequente, iustus autem quasi leo confidens stabit.* Petrus, vt Publicanus ille, conscius suæ infidelitatis, non audebat ante Dominum apparere: tribuit autem Dominus non lacrymis, sed infirmitati eius. Hoc enim modo infirmiora Ecclesiæ membra tractare frequẽter solet Dominus: vt sæpe tribuat infirmitati, quod meritis non debetur. Petrus non ex malitia, vt Iudas, sed ex infirmitate deliquit. Adde etiam quòd hac ratione Dominus singularem veræ pœnitentiæ virtutem declarare voluit, quæ interdum maxima doloris vĩ, ad altiorem dignitatis gradum verè pœnitentes attulit & extulit. Quod Petro contigisse credẽdum est, qui amarissimis illis lacrymis maiorem fortasse gratiam, quã antè habuerat, consecutus est. Qui enim plus diligit, huic plus dimittitur: quid ergo mirum, si plus quã cæteri Petrus Dominum dilexerit, cui plus ab ipso donatum est? Plus autem illi donauit, quem peccantem protinus misericordię oculis adspexit eiúsque singularem mentionem fieri voluit, & (quod mirabilius est) illi etiam ante alios resurgens apparuit, vt testantur illi duo discipuli in Emaus euntes. Hunc inde amoris ardorem

Petri mẽtio cur fiat.

Prou. 18.
Luc. 18.

Petrus & Iudas non eodem animo deliquerunt.

Luc. 24.

Ioan. 21. Petrus ostendit, dum super aquas ambulando venit ad Iesum. *Simile.* Longè aliter Deus, atque homines, errata cōdonare solet. Vir si adulteram vxorem post admissum scelus in gratiam receperit, vix vnquam pristini erroris memoriam deponit, neque satis eius virtuti & integritati fidit: at misericors Dominus verè pœnitentium peccata post tergum suum proiicit, teste sancto *Psal. 64.* Propheta. Hæc igitur omnia nobis Angel⁹ Domini insinuauit, cùm sanctis feminis ait: *Ite, dicite discipulis eius, & Petro, &c.* Sed quid est quod statim subdit: *Quia præcedet vos in Galilæā?* Quid enim sibi vult, quòd tanto consensu Euangelistæ, atque adeò ipse Dominus resurrectionis suæ Sacramentum in Iudæa celebratum, in Galilęa videndū prædicet, præsertim cùm is eo ipso die quo excitatus est, & sanctis mulieribus & Apostolis in vnū congregatis, & duobus discipulis in Emaus pergentibus, & ipse aliàs in variis Iudææ locis visus sit? Illud certè mysterio vacare non potest, cùm & anteà toties prædictū, & posteà fuerit impletum. Quod quoniam in litera minùs inuenimus, necesse est vt in Spiritu requiramus. Quòd ergo Dominus alibi quidē crucifixus, alibi excitatus agnoscitur, fortassis hoc significat, quòd alibi passionis ignominia, alibi resurrectionis gloria prædicanda erat: quoniā is in Iudæa erat crucifigendus, sed in Gentibus adorandus. *Vobis*, inquit Paulus ad Iudæos obsistētes verbo Dei, *oportebat primū loqui verbū Dei, &c.* Hoc igitur Galilææ nomē, quod transmigrationē sonat, innuere videtur, quo designatur, resurrectionis Dominicę fidē aliò ex Iudęa trāsmigrare debere, vt ipse Dominus testatur, cū ait: *Auferetur à vobis regnū Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Conuenit quoque vt spiritualiter in Galilęā proficiscamur, id est, ab improbitate ad pietatem transmigremus, vt sic idonei simus percipere Dominicæ resurrectionis fidem. Nulli enim magis mysteriorum Christi veritatem & virtutem agnoscunt, quàm qui illorum in se vim & efficaciam experti sunt, vt diuina sint illis voluptati quæ anteà fastidio erant: vt imperent affectibus, quibus anteà seruiebant: & sic carnē cū vitiis & cōcupiscentiis crucifigāt, quā deliciis priùs ac omni cura & studio fouebāt. Quicunque sic in Galilæam perrexerunt, hoc est, qui sic in personam aliam migrauerunt, & in nouam creaturam ex veteri translati sunt, facilè resurrectionis suæ argumento Dominicæ resurrectionis mysterium amplectuntur. Qui verò nondum in Galilæam profecti sunt, hoc est, qui nōdum à vetustate sua ad cælestis huius vitæ nouitatem transmigrarunt, sed in veteribus peccatis mortui semper iacuerunt, vt resurrectionem suam nō agno-

Christus cur in Galilæa videndus.

Actor. 13.

Galilæa quid.

Matth. 13.

Mira mutatio & transmigratio.

Galilæa quid sonet.

agnoſcunt, ita difficiliùs Dominicam credunt. Hoc enim vel præcipuum, maximéque notandum inter corporis & animæ mala diſcrimen eſt, quòd mala corporis tunc præcipuè ſentimus, cùm patimur, non cùm euaſimus. *Mulier enim cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius: ſed cùm peperit puerum, iam non meminit preſſuræ, propter gaudium.* Cæterùm animæ mala, hoc eſt, peccata, ferè non agnoſcimus, cùm admittimus, imò verò nonnunquam in illis etiam gloriamur: tunc verò illorũ vim & damna ſentimus, cùm ea beneficio Domini euaſimus, eorúmque deformitatem, Spiritu docente, videmus. Sicut qui intempeſta & caliginoſa nocte iuxta præcipitium aliquod, vel hiatum terræ altiſſimum, iter facit, imminens eius loci periculum tunc temporis non aduertit, quia non videt; aduertit autem, cùm iterum per eandem viam interdiu regreditur (tunc enim periculi magnitudinem, quod euaſit, miratur & obſtupeſcit) ita planè cùm homo diu in peccatis agens, in tenebris obſcuriſſimis verſatur, miſeriam quidem & periculum ſuum eo tempore nõ agnoſcit; agnoſcit autem, cùm peccati tenebris diſcedentibus, diuinæ gratiæ lumen recipit: tunc enim præteritorum malorum miſeriam apertè videt. Quiſquis enim in peccatis obſtinatus eſt, vt cæcus nihil videt, vt mortuus nihil ſentit: imò verò malis ſuis oblectatur, quibus, vt gratiſſimis contubernalibus, diu noctúque familiariter vtitur. Quis huic lumen præbebit, niſi ſolus Deus? Tandem excitatus & illuminatus, ſentiens beneficium, lætatur quòd recepit ſalutem, & quòd euaſit periculum. Hoc enim affectu D. Auguſtinus à morte ad vitam, Domini ope reuocatus, aiebat: *Serò te cognoui lumen verum, ſerò te cognoui. Erat enim nubes magna & tenebroſa ante oculos vanitatis meæ, quæ faciebat, vt veritatis lumen videre non poſſem, &c.*

Ioan. 16.

Simile notandum.

Peccator cæcus & mortuus.

Auguſtinus in Meditat.

Hactenus Euangelicam lectionem expoſuimus, Auditores, reliquum eſt, vt Concionis huius finem coniungamus principio. Diximus in exordio, reſurgente Chriſto, ſpem, ſalutem, & felicitatem noſtram cum illo ad vitam redeunte, ſimul reſurrexiſſet: *Pater enim cæleſtis,* vt Apoſtolus ait, *cum illo conuiuificauit nos, & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cæleſtibus.* Vbi enim fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ: vbi caput noſtrum fuerit, ibi & membra collocabuntur. Quantum verò huius tantæ felicitatis ſpes viua, pios omnes ad omnem virtutis laborem exſuſcitet, quantúmque illis in omni calamitate conſolationis & patientiæ tribuat, nulla oratio explicare ſatis poterit. *Scio,* inquit S. Iob, *quòd Redemptor meus viuit, & in nouiſſi*

Ephes. 1.

Iob 19.

Iob quid senseritante Legem & Euangelium.

nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circundabor pelle mea,& in carne mea videbo Deũ saluatorem meũ. O aurea verba ante Legẽ & Euangelium, *Quem visurus sum ego ipse,& non alius, & oculi mei conspecturi sunt!* Quid apertius, quid significantius dici potuit? Hanc mentem non habuit vir sanctus ab vlla Academia, siue ab vlla ratione ante legem, quæ impossibilis videbatur Sadducæis; sed fide sola, quam Deus Optimus menti instillauit, hæc potuit, hæc credidit. Constanter inter omnes calamitates dicebat: *Credo quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum.* Hac spe labantem animum fulciebat; hac spe dolorũ omnium acerbitatem leniebat: hanc spem in corde repositam habebat & seruabat. *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Vbi enim vulnus hærebat, ibi antidotum collocabat. Videtis ergo, Auditores, vel hoc vno exemplo, quantũ resurrectionis fides ad aliorum omnium leuamentum conferat? Nec minùs etiam fides hæc ad omne virtutis studium, quàm ad malorũ solatiũ adiuuat. Hinc vbi Apostolus multis ac maximis rationibus resurrectionis mysterium comprobasset, fideles omnes protinus ad omnem pietatis & iustitiæ laborem exstimulat his verbis: *Itaque fratres, stabiles estote abundantes in omni opere Domini, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino.* Contrà verò si hæc spes hominibus adimeretur; quid inde cõsequi necesse erat, nisi quod idem Apostolus continuò subdit: *Si secundùm hominẽ* (hoc est, quantum homini possibile fuit) *ad bestias* (hoc est, ad feros & immanes homines) *pugnaui Ephesi; quid mihi prodest si mortui non resurgunt? Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Deniq; ait, *si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Hinc D. Chrysostomus: *In omni re aut actu, virtus agendi spes est futuri. Qui enim arat, arat vt metat: qui pugnat pugnat, vt vincat.* Et post pauca: *Tolle ergo spem resurrectionis, & resoluta est obseruantia omnis pietatis.* Quare Plutarchus Epicuri sententiam, qui finẽ, & felicitatem hominis in sola voluptate posuit, prorsus explosit. Hac enim spe sublata, omnem veræ ac solidæ voluptatis materiam è vita vesanus ille Epicurus sustulit. Mea immobilis fides est, omnipotentiam Dei, mortua dispersa, & in nihilũ redacta corpora, ex terra, aqua, & igne rursum comportare & viuificare posse, qui in principio cæli & terræ, hominem, cùm nihil esset, è terra quiuerit creare. Noua iterum corpora Deus non creabit, sed hæc nostra (manemus enim homines) glorificabit, hoc est, cælestia & immortalia facta, è sepulchris exsuscitabit,

Resurrectio corporum adstruitur.

1. Cor. 15.

Chrysostomus super Matt. 22.

Plutarchus.

ſic,vt futuri ſimus,quod modò Angeli ſunt, qui nulla humana opportunitate laborant, nulli vſpiam caſui ſubiecti,ac ſuprà in cęlum rapti,cũ ineffabili gaudio ac iubilo Redemptori noſtro obuiã volabimus,vti columbæ in feneſtras ſuas.Hic articulus affirmatur in vtroq; Teſtamento:*Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob.* Quæ verba Dominus ipſe exponit : *Deus autem non eſt Deus mortuorum,ſed viuorum.* Daniel:*Multi qui in terra dormiunt,* &c.Ezech.37. vbi Dominus de mortuis oſſis agit. Matth.22. agit Dominus contra Sadducæos. 1 Cor.15. *Sicut in Adam omnes moriuntur,* &c. *Tuba canet,*&c. *Si credimus quòd Ieſus,*&c. 2.Tim.2. *Hymenæus & Philetus à veritate exciderũt,* &c.Huius tantæ ſpei ſtimulis agitati, ad propoſitum nobis æternæ felicitatis brauium alacriter curramus, neque hanc temporis opportunitatem, nunquam iterum poſt hanc vitam redituram, abire vacuam ſinamus. *Non nos exigui temporis labor terreat, quod æterna mercede penſandum eſt: quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam,quæ reuelabitur in nobis.* Quam nobis concedere dignetur Chriſtus Ieſus, qui cum Patre & Spiritu ſancto regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

Corpora in reſurrectione qualia.
Exod. 3.
Matt. 22.
Daniel.12.
1. Theſ. 4
Rom. 8.

FERIA SECVNDA PASCHÆ, CONCIO, IN QVA TVM LECTIO Euangelica explanatur: tum arduam eſſe virtutis viam,ex eiuſdem virtutis natura, exemplo Chriſti,probatur.

THEMA. *Qui ſunt hi ſermones,quos confertis ad inuicem,ambulantes,& eſtis triſtes?* Lucæ 24.

OMNIA huius temporis feſta,Auditores,in hoc potiſſimùm ab Eccleſia inſtituta ſunt, vt hiſce diebus fideles tantorum myſteriorum contemplationi vacantes, & pro tantis diuinæ bonitatis beneficiis, vniuerſo generi humano impenſis, gratias agẽtes,ſe totos eius obſequio tradãt,cuius benignitate ſeruati atq; redẽpti ſunt.Conſtat enim,moriente Chriſto,peccata noſtra, veterémque hominem cum illo mortuum fuiſſe; ac eo reſurgente, iuſtitiam, vitam, & ſalutem noſtram ſimul reſurrexiſſe;vt non nobis,ſed illi ſoli viuamus,cuius beneficio

Paßionis & reſurrectionis Chriſti fructus.

& peccata nostra expiata, & mos mortua, & vita reparata est. Cùm Dauid de manu regis Achis, singulari Dei beneficio, & prouidentia seruatus esset, illum Psalmum edidisse dicitur, cuius initium est: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Quia enim* (vt D. Basilius ait) *vir sanctus intelligebat, se dono Dei vitam recepisse; eiusdem se vitæ quam receperat debitorem agnoscens, ipsam prædicandis eius laudibus consecrabat.* Si ergo per Christi mortẽ & resurrectionem à tyrannide principis mundi, & æterna morte liberati sumus: cur non vitam ipsam eius obsequio mancipemus, qui nobis eam reddidit morte sua? Constat etiam, Christum Dominum morte ac resurrectione sua, Ecclesiam æterno sibi amoris vinculo copulasse, & in sponsam delegisse. Cuius ergo obsequio se fidelis anima nisi sponsi sui mancipare debet? *Mortuo veteri viro, quæ Lex erat, nouo nupsimus Christo, qui Ecclesiæ sponsus est.* Quid ergo ex his conficitur, nisi vt huic soli sponso viuamus, illum super omnia diligamus, ab illo omnia exspectemus, & vnum cum illo per fidem & charitatem efficiamur? Ipse morte sua (cuius debitor non erat, qui non peccauerat) debitam omnium mortem sustulit: iustum est, vt qui beneficio & morte illius viuunt, non iam sibi, sed illi viuant. Cuius rei gratia omnia pecudum sacrificia in morte sua cessare voluit, vt hoc symbolo innueret, se iam non pecorum sacrificia velle, sed hominum: vt corpus & animam in illius obsequium expendamus, & quæ nos auocant ab illius dilectione, valere iubeamus. Vt de Euangelica lectione aliquid vtiliter differamus, diuinum auxilium, Virginis interpellatione, imploremus.

Psal. 33. Basilius. Rom. 7. Sacrificia grata Deo quæ.

AVE MARIA.

DVO *ex discipulis Iesu ibãt ipsa die* (in qua videlicet Dominus resurrexit) *in castellũ, quod erat in spatio stadiorũ sexaginta ab Hierusalẽ, &c.* Scitis, Auditores, verũ esse, quod Saluator ait: *Ex abundãtia cordis, os loquitur.* Illud ergo versabatur in discipulorũ ore quod abundabat in corde. Quia verò ibi cordis nostri cogitatio est, vbi amoris thesaurus est: qui tã ardenter magistrum dilexerant, eum semper & in corde & in ore habebãt. Itaque loquebantur ad inuicẽ de iis omnibus quæ in eius passione acciderant: quorũ tristem lamentabilẽmque memoriam, amoris suauitas dulcem faciebat. Vterlibet pro suo affectu, eorum quę gesta erant, aliquid commemorabat. Alter mirabilem Domini patientiam & silentium inter tot falsa crimina referebat:

Matt. 12.

bat: alter crudelitatem hostium commemorabat: alter è cõtrà matrem Domini miserabatur: alter quòd magister à discipulis esset derelictus, & vili pretio à Iuda venditus. Lamentabantur suam sortem, quòd essent tanquã oues pastores destitutæ. Hæc inter se cõferebant dolenter & amanter. At nos quid facimus? Finita passione Domini, protinus & dolorum eius, & propositi nostri obliuiscimur, totos nos seculari lætitiæ tradimus. *Factũ est autem dum fabularentur, & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis: oculi autem eorum*, &c. Delectatus quippe piis eorũ affectibus Dominus, & ignorantiã miseratus, voluit eos benignè comitari, blandè cõsolari, prudẽter instruere, & in fide resurrectionis sua confirmare. Et sicut Magdalenæ in specie Olitoris, ita his apparuit in habitu Peregrini: vt videas quot subinde facies cælestis hic Magister commutet, vt variis nos modis erudiat, & salutẽ nostram commodiùs operetur. Omnia enim hæc propter nos. Meritò illis aderat, qui paulò antè dixerat: *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* In nomine Christi conuenerãt, qui corde & ore Christum personabant, cogitabant, totóq; affectu de Christi passionibus inter se mutuò conferebant. Ipse igitur, qui hunc illis animum & mentẽ inspirabat, operi quoq; suo aderat. Sicut enim Dominus aufert se à cogitationibus quę sunt sine intellectu: ita piis & sanctis cogitationibus adest. Sequitur: *Oculi autẽ eorum tenebantur, ne eum agnoscerẽt.* Dominus præbuit se amãtibus videndũ, non agnoscendũ. Hęc ad tẽpus occultatio, maioris beneficij occasio fuit. Lõga oratione mysterium redemptionis ex sanctarum literarum testimoniis aperire voluit. Quod quidem fecit, cùm incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant. Quàm illi cõmentationẽ attentis auribus audierunt: neque illis longus sermo fastidium aliquod, sed magis auiditatem & desiderium excitauit. Porrò autem si se illicò eis agnoscendũ præbuisset, tanta ex hac admiratione, exultatione & stupore complerentur, vt velut extra se positi, vix ea quæ dixisset, capere possent. Quocirca prudenter à Domino factum est, vt ad tempus eum non agnoscerent, quo ex iis, quæ tunc sedato animo didicissent, pleniùs eũ posteà & agnoscerent & diligerent. Ille piis semper adest, siue sentiunt, siue minùs, quod S. Iob expertus est. *Si enim nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto; quomodo ille inter tot malorum turbines ac procellas dicere potuit: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domi*

Querimonia discipulorum.

Ioan. 20.

Christus quibus nos erudiat modis.

Matt. 18.

Sapien. 1.

2. Cor. 12.

Iob 1.

Domini benedictum. Cùm autem nos consueta orationis & pietatis opera non intermittimus, si rem nostram, id est, professionem nostram, strenuè agimus, Dominus adest, etiamsi abesse videatur, & nos tepidiores simus. Nulla autem moueri tentatione, non nisi magnorum virorum est, & mentis in Christo solidatæ atque fundatæ. Qui absente ad tempus Domino in officio constanter ac fideliter persistit; is vtique, quò grauiora patitur, eò firmiùs intra se præsentem Dominum retinet. Hac firmitate nondum firmati erant discipuli, qui, licèt multa miracula Domini vidissent, passionis tamen tempore eum deseruerunt. Dominus his duobus suam præsentiam & exhibuit, & abscondit, vt eos maiori beneficio afficeret. Hoc ipsum in Psalmo confitetur: *Deum audientem & non audientem, longè absentem & præsentem. Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?* In fine: *Quoniam non spreuit nec despexit deprecationem pauperis.* Hoc igitur modo incognitus à discipulis Dominus interrogat: *Qui sunt hi sermones quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes?* Quid igitur? Annō tu Domine Hierosolymis eras, cùm hæc, quę discipuli memorant, gererentur? An oblitus es forsitan alaparum, vinculorum, verberum, sputorum, clauorum, vulnerum, & crucis quam pertulisti? Minimè sanè; sed tamē hæc à discipulis meis commemorari volo, quia beneficia mea in ore eorum versari gaudeo. Itaq; tota illa discipulorum narratio *de Iesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere, &c.* suauissima illi fuit. Amator quippe salutis nostræ tantis suis beneficiis gratos nos esse magnopere cupit: non vtique beneficia sua grati animi pretio vendens, sed gratitudinis nostræ merito augere desiderans. Sic olim ab Israëlitis gratitudinem, vt ei offerrentur primitiæ, exegit Dominus singulari cura voluit beneficiorum suorum, etiam minimorum, memoriam perpetuò retineri. Proprium est diuinæ sapientię (quæ suauiter disponit omnia) paulatim homines à minoribus ad maiora assuefacere & promouere. In Ægypto omnia primogenita, cùm filios Israël inde esset educturus, occidit: quid hic aliud volebat, quàm vt intelligeremus, quid à nobis pro Vnici sui morte exigeret, qui pro inimicorum suorum morte omnia primogenita postulabat? Cùm verò quotannis propter liberationem ab Ægyptiaca seruitute septem diebus azymum panem manducari, & Pascha celebrari præcepit: quid aliud volebat, quàm vt huius tanti festi solennitate admoneremur, quanti gratias pro liberatione ab æterna morte, & à Diaboli tyrannide agere deberemus, qui tātum pro liberatione à temporarii capti

Officiū nostrū diligēter exequendum.

Psal. 21.

Deut. 26.

Exod. 11.

Gratiarū actiones exigit Dominus.

captiuitate debebamus? Quòd verò Dominus tantopere gratum animum à nobis exigit; non auaritiæ, sed summæ potiùs largitatis & charitatis est. Hoc enim facit, vt ob grati animi officium vetera beneficia nouis cumulet. *Ipse*, teste Esaia, *omnia opera nostra in nobis operatur, & ob id gaudet, vt gratiam det pro gratia.* Omnes in conspectu eius sumus mendici, & commemorando inopiam nostram ipsum ad misericordiam prouocamus. Quicquid honestè cogitamus, piè gerimus, aut molimur, Dei donum & beneficium est. *Qui coronat nos in misericordia & miseratione; quia*, inquit diuus Augustinus, *eius miseratione bona operamur, quibus corona redditur.* Debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia quæ non debetur, præcedit vt fiant. Hoc expertus sanctus Ezechias, dum vitam à Domino peteret, præterita bona opera sua enumerauit. Vbi igitur discipuli & laudes magistri, & mortem eius narrauerunt, protinus adiungunt: *Nos autem sperabamus, quòd ipse esset redempturus Israël.* hoc est, ab Imperij Romani seruitute vindicaturus, & in pristinam dignitatē & gloriam (qualem sub Dauide ac Salomone habuit) reuocaturus. Hæc discipuli expectabant, hæc optabant: neque hanc persuasionem ac ignorantiam, tamdiu in schola pauperis humilisque magistri versati, deposuerunt. In quo miseranda humanæ naturæ infirmitas & cæcitas apparet, quæ vbi per peccatum velut è cælo in terram præcipitata, & spirituali luce & gratia orbata fuit, vsque adeò terrenis bonis incubat & inhiat, vt vix alia bona, alias opes, aliam felicitatem, aliam salutem, quàm corporeā & terrenam, aut esse credat, aut optet: vt appareat, spiritum ipsum in carnis quodammodo naturam degenerasse. Sed quid mirum, si seculi homines secularia bona suspiciunt, quando ipsi Apostoli atque discipuli Domini, temporalem redemptionem, temporale regnum Christi, temporalesque dextras & sinistras somniabant? Cuius rei gratia meritò à Domino hoc in loco acriter obiurgantur. Ait enim: *O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ.* Meritò stulti appellantur, qui res pueriles & inanes, moxque interituras tanti faciebant, & nec ipsis quidem Prophetarum vocibus toties admoniti, vera bona, verámque salutem, & verum Saluatorem agnoscebāt. Hunc igitur mundi Redemptorem, passum eò magis colere & amare debuerant, quò eis maiora præstitit, & indigna pertulit. Rectè enim diuus Gregorius: *Tantò*, inquit, *Deus ab hominibus digniùs honorandus est, quantò pro hominibus indigniora suscepit.* Hæc autem pia Domini aduersus discipulos indigna-

Esa. 26.

Psal. 102.

4 Reg. 20.

Ruditas discipulorū.

Secularia nimiū tractamus.

tio, inæstimabilem eius erga genus humanum charitatem declarat. Bis enim legimus eum in Euangelio aduersus discipulos grauiter commotum, semel aduersus Petrum, cùm is eum à supplicio crucis reuocare niteretur, quem satanam vocauit: & iterum hoc in loco, cùm hos discipulos stultos, tardos, & incredulos vocauit, quòd hoc redemptionis & salutis humanæ opus ab eo peractum non crederent. Vtraque indignatio, amoris est argumentum. Hinc Iesu, hoc est, Saluatoris nomen, sibi assumpsit, in quo potissimùm gloriatur. *Deus*, inquit apud Prophetam, *iustus & saluans non est præter me. Conuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terræ.* Increpata igitur discipulorum tarditate, subdit deinde.

Dominus bis commotus in discipulos.

Esa. 45.

Nónne hæc oportuit pati Christū, & ita intrare in gloriā suam? Pro tenuitate nostra breuiter causam reddemus, cur ad salutē nostram expediens fuerit, vt Christus Dominus per varios labores atque certamina intraret in gloriā suam. Primùm enim expediens hoc fuit, vt passionis & mortis suæ sacrificio, pro sceleribus nostris æterno Patri satisfaceret. Potuisset Deus alio modo redimere genus humanum, cùm nihil sit illi impossibile, at ille quid maximè deceat & expediat, in operibus suis, attendit. Deinde, vt exemplo suo nobis ostenderet, regnum cælorum vim pati, & violentos illud arripere; ac per multas tribulationes oportere nos in illud intrare. Postremò, vt eodem exemplo, dum ipse prior non pro sua, sed pro nostra salute calicem hausit passionis, nos ad eundem calicē pro nostra salute hauriendum animaret. Plurimum quippe in vtramque partem Principum ac Regum exempla valent. Nemo enim inglorium sibi ducit, quod Reges exemplo suo nobilitarunt. Cùm Dauid Rex Absalon filium fugeret, operto capite, ac nudis pedibus per cliuum montis ascendit: populus qui sequebatur, eodem habitu, eisdemque lacrymis desolatum Regem sequebatur. Rex cælestis, qui se nobis ducem in cælum præbuit, & iter quo post illum tendere deberemus, ostendit, & exemplo suo eius itineris labores mitigauit. *Sunt vitæ nostræ varia certamina, dum caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus sibi aduersantem carnem, & nouas quotidie voluptates ab eo incredibili ardore flagitantem.* Quocirca si rectā in cælum tendere volumus, si ad legem spiritus viuere; carnis cupiditas, quæ illi aduersatur, opprimenda est. Vita hominis est militia: semper nobis in statione pugnandum est. Virtus sine aduersario planè languescit: quæ nisi agitetur, nisi continua vexatione roboretur, non potest esse perfecta. Si iam accedant prauorum hominum

Christum quare pati oportuit.

Matt. 11.

2. Reg. 15.

Galat. 6.

Via quæ ad cælum ducat qualis.

num iniuriæ & contumeliæ, si & diuturna prauæ vitæ consuetudo, quæ carnem per se ad malum ex peccati corruptione procliuem, propensiorem ad illud reddit. Hic igitur tam potens spiritus nostri aduersarius prosternendus atque deiiciendus est, si secundùm legem spiritus viuere volumus, Apostolo testante, qui ait: *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini.* Facilè cōsiderare poterimus, si quid sapiamus, quo animo & studio opus sit, vt tot hostes posternere ac superare possimus. Petrus ille Damianus orans ait: *Præbe vires inexhausto decertanti prælio.* Quo sanè nomine incessabilem atque perennem spiritus & carnis nostræ conflictum significanter designauit. Cùm hæc ita sint; dux vitæ huius & antesignanus aliter vitam hanc nisi per varios agones nō potuit ingredi. Iam si quis fuerit præditus charitate in Deum, facilè hanc pugnam leuem & suauem efficiet. Hac enim de causa Saluator Euangelij iugum suaue, & onus leue esse ait. Vide quid in hominibus secularibus efficiat amor pecuniæ. Nemo ergo laborem detrectet, nemo crucem horreat, nemo crucem passionis fugiat. Bibit ex eo Rex noster, & reliquias eius in nouissima cœna discipulis & cæteris fidelibus inter se tradidit distribuendas. Hæc via ducit ad cælum. Qui sic carnem crucifixerunt cum vitiis, ad vitam peruenient æternam, vbi omnium dolorum erit finis. Quid in his virtutum officiis ex charitate non erit leue ac iucundum? Rectè Dominus ait discipulis: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* ac de fidelibus operariis agens, *Fructum*, inquit, *afferunt in patientia.* Patientia non aliter necessaria, quàm panis ad vitam, qui ad cibos omnes, quibus vita ipsa alitur, requiritur. Si enim carnibus, si piscibus, si oleribus, aut quouis alio cibo vescaris, necessarius est panis. Talis ergo fortitudinis & patientiæ natura, sine qua actiones suas virtus explicare nequit. *Est enim virtus*, vt Lactantius ait, *perferendorum malorum fortis & inuicta patientia.* Ob hoc igitur vix vlla re magis pij omnes, quàm laboris amore ac patientia, ad virtutis iter ingrediendum egent. Virtus per se est suauis & iucunda. Si laborem detrectes, omnis tibi virtus inaccessa est: quoniam ea re cares, sine qua virtus exerceri non potest. In regno voluptatis inquiunt Philosophi non esse virtuti locum. Molles animos virtus odit. Vide, cùm felicitatis humanæ fundamentum sit labor, nulla alia via dux noster ad gloriam suam ingredi potuit, nisi per crucem & labores, & per varia certamina. Sunt quidem in via Dei labores, sunt tamen miranda quoque gratiæ subsidia: quibus labores isti & leuiores fiunt, & iucundiores. Itaque

Galat. 6.

Petrus Damian.

Matt. 11.

Charitas omnia facit lenia.

Luc 21.

Simile.

Patientia necessaria.

Virtus est iucunda.

vbique deliciæ, vtrobique labores: sed deliciæ bonorum incomparabiliter delicias superant malorum. Virtutis vsus & consuetudo lenit & mollit quicquid in ea arduum & difficile est. Vnde communis illa sapientum sententia manauit: Optima vitæ ratio est eligenda; eam iucundam consuetudo reddit. Sicut in calceis & manicis hominibus quotidie contingit: quæ quamuis initio quidem adstricta sint, vsu tamen ipso laxantur, & sine labore partibus corporis, quibus destinata sunt, aptantur & commodantur. Iam ad sequentia veniamus: *Post longam narrationem Domini, veniunt ad castellum quò ibant, & ipse finxit se longiùs ire.* Quid sibi vult hæc Domini fictio? Fingimus cùm simulamus, vt videlicet aliud appareat, aliud sit. Hoc autem non raro cum piis hominibus Dominus agit, à quibus interdum abscedere, & longè abesse videtur, cùm tamen præsentissimus sit. *Vsquequò Domine obliuisceris me in finem: vsquequò auertis faciem tuam à me?* Quid igitur hoc tempore faciendum est? Nimirum suppliciter & instanter cum discipulis clamandum: *Mane nobiscum Domine.* Breuis & vtilis oratio. Dies autem hic, totum huius seculi tempus est. Vespera huius diei, est finis seculi. Vespere lumen minuitur, vmbræ crescunt: ita planè in hoc mundi vespere (in quo nunc degimus) lux veritatis, atque diuinæ cognitionis, ingruentibus errorum atque hæresum tenebris, minuitur; vmbræ verò, deficiente luce, crescunt. Vmbræ terrenorum bonorum maiores nobis apparent. Meritò cum Propheta clamare poterimus *Væ nobis, quia declinauit iam dies, quia longiores factæ vmbræ vesperi.* Saluator testatur: *Quia abundauit iniquitas, refrigescet multorum charitas.* Charitate refrigescente, & abundante iniquitate, quid superest, nisi vt timeamus ne improborum mores & consuetudinem addiscamus? Magnam vim habet ad pietatem & virtutem probitas eorum quibuscum viuimus. In omni calamitate hac oratione vti possumus: *Mane nobiscum Domine.* Sine te Domine nihil possumus facere. Tu turris fortitudinis, à facie tribulantis. Denique non contenti orassé coëgerunt eum. Quídni cogerent Patrem misericordiarum & Deum totius consolationis? Quídni cogerent longiùs ire fingentem, & tamen apud eos manere volentem? Quidni cogerent in diuersorio manere, qui ad hoc corporis sui Sacramentum instituit, vt inter homines perpetuò maneret. *Hinc discimus*, inquit diuus Bernardus, *magna vi & contentione opus esse, vt in via Dei proficiamus.* Dominus ergo, qui longiùs ire simulauerat, vt exoratus apud discipulos maneret intra-

Simile.

Psal. 12.

Ierem. 6.

Matt. 24.

Mores malos vnde hauriamus.

Bernardus.

intrauit hospitium, mansitque cum illis *Et factum est dum recumberet, &c.* Vbi enim quod volebat, assecutus est, vt eos videlicet in fide resurrectionis confirmaret, non fuit necesse vt diutius cum illis maneret; præsertim cùm superessent alij similiratione confirmandi. Cùm ergo duo isti discipuli admiratione simul & gaudio ex insperata Magistri resurrectione complerentur, dicere inter se cœperunt: *Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via?* Argumento, quo de Dominicæ passionis & resurrectionis Sacramento agitur, nihil esse aut sublimius, aut suauius, aut mirabilius potest: quippe quod non homines modò, sed ipsos etiam Angelos in admirationem rapit. Facundiâ verò dicentis, qui Verbum est & Sapientia Patris, quid maius excogitari potest? Ipse est de quo Propheta cecinit: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.* Quo ergo affectu discipulos fuisse credendum est, cùm ipsam Dei Sapientiam humano ore loquentem audirent, præsertim cùm Dei verba ignis sint? Quare nihil mirum, si ita ardebant, qui ad hunc ignem propiùs admoti erant. Hoc modo à nobis verba Dei audienda & legenda sunt. *Beatus vir qui in Lege Domini meditatur die ac nocte.* Vide quomodo nos tempus impendimus satis infrugiferè. Sit laus Domini in ore nostro, & Lex eius in corde nostro. Amen.

Facundia Christi.
Psal. 44.
Hiere. 23.
Psal. 1.

DOMINICA IN ALBIS, CONCIO, IN QVA POST LECTIONIS Euangelicæ explanationem, de duplici resurrectione nostra, & causa eius (quæ fuit Christi Domini resurrectio) agitur: ac postremò spiritualis resurrectionis nostræ signa declarantur.

THEMA. *Christus traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationẽ nostram.* Rom. 4.

ANIMAE Christum Dominum super omnia diligenti, & in illo vno spes omnes opesque suas collocanti, nulla solennitas maior, nullus dies faustior atque felicior, quàm qui resurgentem à mortuis Dominum prædicat. Qui enim vitam suam instituit, vt nihil præter Christum quærat, quòd illum sibi ad omnia sufficere credat, quid libentiùs audire poterit, quàm illum à mor-

Solennitas maxima qua.

tuis, deuicta morte, surrexisse, & in æternum viuere, atque regnare? viuere, inquam, non modò sibi, sed omnibus etiam membris suis regendis, tuendis, fouendis, & Spiritu suo afflandis. Si sanctus ille Patriarcha, vbi quem mortuum plorauerat filium, viuere, & Ægypti principatū obtinere didicit, reuixisse, & nouo Spiritu animatus fuisse dicitur, & in hæc verba prorupisse, *Sufficit mihi, si adhuc filius meus viuit*: quid quæso fidelis anima, quæ tota pēdet à Christo, sentire debet, quādo viuere illū, & regnare audit, qui vnus illi ad omnia sufficit, qui illi in mœrore solatiū, in tētatione præsidiū, in omnibus denique rebus salutare remediū & ornamentū est? Si vnus Ioseph patri ad felicitatem sufficit, qui paulò pòst vita functus est: quantò magis ille mihi ad felicitatem sufficere debet, *qui in æternum victurus est, cuique omnis potestas in cælo & in terra data est*? Quis ergo magis salutem meam desiderabit, quàm qui me dilexit? Cùm ergo illum viuere audio, ánnon cum illo reuiuiscet spiritus meus? Hac fide orbitatem suam sanctus ille Iob in sterquilinio sedens consolabatur, dicens: *Credo quòd Redemptor meus viuit*: dum enim ille viuit, ego in faucibus etiam mortis positus, mori non potero. Quicūque igitur, Auditores, resurgente Domino hunc in animis vestris affectum sentitis, bono animo esse debetis. hoc enim vel maximum veræ dilectionis indicium est. Vt igitur salutaris huius affectus & gaudij participes esse possimus, cælestem opem, beatissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

Genes. 45.

Matt. 28.

Iob 19.

AVE MARIA.

Simile.

SICVT piæ parentis viscera infantem diu lacrymantem ferre nequeunt, sed accurrunt celeriter, vt illius lacrymas tergant, & mœrorem leniant: ita Saluator noster, qui discipulos suos plusquam materna charitate prosequebatur, nō est passus diu eos passionis suæ dolore cōtabescere: sed protinus, hoc est, ipso die quo est vitæ redditus, illorum mœrorem & lacrymas resurrectionis suæ lætitia abstergendas curauit. Quod S. Euangelista initio statim suæ sacræ huius lectionis insinuat, cùm ait: *Cùm serò esset illo die vna sabbathorū* (id est, ipso die Dominico, qui post sabbathū sequitur) *& fores essent clausæ, vbi erant discipuli cōgregati propter metum Iudæorū.* Narrat Euangelista quomodo Saluator à mortuis excitatus, discipulis suis ipso resurrectionis die visus fuerit: deinde docet, octauo post resurrectionē, hoc est, hodierno die, iterū illis ac Thomæ apparuisse

Vt dubios animos ad fidem resurrectionis excitaret, ostendit eis manus & latus; vt notissimis illis signis, quibus sacrum eius corpus fuerat insignitum, apertè cognoscerent, illud ipsum corpus, quod cruci affixũ, & clausum tumulo fuerat, à mortuis surrexisse. Quo in loco quærere sancti Patres solẽt, cur Dominus in corpore suo (quod post resurrectionem insigni decore & gloria splendebat) hæc ignominiosæ passionis signa voluerit permanere. Cuius rei cùm multæ sint causæ, illa præcipua esse videtur, quam diuus Ambrosius memorat, nempe ideò Dominum vulnerum suorum stigmata non abolere, sed inferre voluisse, vt Deo Patri pro nobis pretia nostræ liberationis offerret. Hac enim ratione Apostolus ait Christum ad Patris dexteram sedentẽ, interpellare pro nobis. Sancta enim illa humanitate paternis oculis obiecta, sacrisque illis vulneribus propter Patris obedientiam & gloriam acceptis, causam nostram apud illum agit. *Ipse est propitiator siue propitiatorium pro peccatis nostris.* Quòd si hoc apud Patrem propitiatorium mũdus non haberet; tam multa eius flagitia sunt, vt non dubitem, quin millies iam cum toto hominum genere aquarum inundatione obrutus esset, aut nouo incendio conflagrasset. Maiora iam habemus gratiarum incrementa quàm olim: quare indignissimum est, vt qui tantò plura & maiora ad bene viuendum adiumenta percepimus, nihilo meliores simus. Est ergo hic apud Patrem aduocatus, vt eius meritis ad pœnitentiam prouocemur. *Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio eorũ.* Quomodo autem Dominicum corpus clauso tumulo prodierit, clausisque foribus ad discipulos intrauerit, neminem vestrum latere arbitror. Beatorum quippe hominum corpora in resurrectione miris à Deo dotibus in laborum suorum præmium ornabuntur. Sicut enim Solis radij, illæsa vitrea fenestra, aliò pertranseunt; ita sacra illa corpora, nullis repagulis, nullisque parietũ molibus impediuntur, quo minùs quocunque penetrare voluerint, liberè queant. *Fulgebunt iusti sicut Sol in regno Patris eorum.* Hanc autem gloriam Christo salutis nostræ auctori debemus, qui mortem nostram moriendo destruxit, quando mortem non debitam, pro debita omnium morte, læsæ maiestati obtulit, atque ita nos à mortis debito liberauit. Meritò Apostolus morti insultat, qui eius imperium Christi morte sublatum cernens, ait: *Vbi est mors victoria tua?* Hoc insuperabile monstrum vicit ille, qui quondam per Oseam morti comminatus est: *Ero mors tua ô mors.* Deuorasti Ionam cum maximo tuo malo. Illius morte nos viuimus. *Absterget* enim

Vulnera in corpore Christi cur

Rom. 8.

Rom. 5.

Christus propitiator noster.

1. Ioan. 2.

Simile.

Matt. 13.

1. Cor. 15.

Osee 13.

Apoc. 21. *Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum*, &c. Videamus ne hanc felicitatem frustra abire patiamur: sed modò, cùm laborandi & seminandi tempus est, seminemus cum lacrymis, vt cum exultatione metamus. Ad historiam redeamus. Vbi Dominus clausis ianuis ad discipulos ingressus esset, stetisse dicitur in medio eorum. Hunc medium locum ferè semper in Euangelicis literis occupasse Dominum inuenimus. Nascitur in medio duorum animaliũ: sedet duodecennis in medio Doctorum: non recumbit, sed ministrat in medio discipulorum: crucifixus, ponitur in medio latronum: resurgens verò, stetisse dicitur in medio discipulorum: post ascensum verò in cælum, Ioannes illum intuetur ambulantem in medio candelabrorũ aureorum. Quid autem medius hic locus nisi solicitam & vigilem eius prouidẽtiam designat? Cor nostrum in medio corporis est. Hac ergo de causa Christus Dominus, quamuis à quibusdam procul abesse videatur, in medio tamen nostri est: omnia circumspicit, omnibus adest, & intimos animi recessus collustrat. *Proponebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear.* Hæc ratio ab omni flagitio puros nos seruare deberet, cùm Iudicem nostrum vbique præsentẽ esse, & nos intueri, non fide solùm, sed apertissima ratione intelligamus. *Ego*, inquit Dominus, *sum Iudex & testis.* De custode vitæ nostræ Angelo, diuus Bernardus ait: *Quouis loco, quouis angulo, reuerentiam habe Angelo tuo: & ne audeas coram illo admittere, quod me præsente non auderes.* Si hic honor Angelo habendus est, quid cælorũ & Angelorum Domino? Sed iam quid idem Angelorum Dominus in medio discipulorum positus dixerit, audiamus: *Pax*, inquit, *vobis. Et cùm hac dixisset, ostendit eis manus & latus.* Pius igitur & amator hominum Dominus, pacem nobis omni tempore, hoc est, nascens, moriens, ac resurgens, vbique precatur. Angeli enim nascente Domino, & necdum per ętatem loquente, pacem hominibus optant. Ad crucem verò iturus, cum discipulis agens, *Pacem*, inquit, *meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Resurgens verò, ter quidem in præsenti lectione hanc eandem orationem repetit, *Pax vobis.* Discipulos verò ad prædicandũ mittens, hac eadẽ salutationis forma vti debere erga hospites docuit. Quis autem dubitet, ingens bonum esse, quod toties hominibus amator hominum precatur? Denique apud Esaiam inter cætera dignitatis eius nomina *Princeps pacis* appellatur: quòd ipse nobis pacis huius auctor exstiterit, qui passionis suæ merito, infensum nobis Patrẽ placauit, & ex seuerissimo iudice

Christus in medio seniorum legit.

Apoc. 1.

Christus in medio stat.

Psal. 15.

Hiere. 29.

Bernardus.

Pacẽ Christus imprecatur nobis semper.

Luc. 10.

Esa. 9.

ce, beneuolentissimum Patrem reddidit. Pacis autem nomine, non vnum aliquod singulare bonum, sed omnia simul bona Hebraicæ linguæ more significantur. Vnde cùm Iacob filium suum Ioseph misit, vt videret an cuncta prospera essent erga fratres suos, & pecora; Chaldaica litera habet, *An pax sit fratribus tuis, & pax item pecoribus*; pacis item nomine prospera cuncta significauit. Cùm ergo Saluator pacẽ discipulis precatur, non vnum aliquod bonum, sed omnia simul bona precatur. Pax autem multiplex est; sed illa præcipua, qua Deo reconciliati sumus. Ex hac pace oritur primùm conscientiæ tranquillitas, vt homo certa coniectura sibi Deum propitium arbitretur. *Hic Spiritus sanctus perhibet testimonium spiritui nostro, quòd simus filij Dei.* Testimonium hoc est pignus æternævitæ. Mala conscientia quid acerbius? Sunt & alia pacis conmoda. *Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso.* Hac pace, inimicorum omnium timore deposito, tranquillam & pacatam in timore Dei vitam agimus. Viæ iustitiæ, viæ pulchræ: & omnes semitæ eius pacificæ. Contrà verò de improborum viis scriptum est: *Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt*: huius inquam pacis, quæ turbulentos animi motus cõponit & sedat, atque rationis imperio coërcet. Hac ergo pace sublata, quid nisi tumultus, & intestinæ seditiones in animo dominantur? De his namque Esaias ait: *Cor impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest & redundãt fluctus eius in conculcationẽ & lutũ.* Cur in lutum? Quia videlicet impiorũ conatus, & variarũ æstus cupiditatũ, in res turpes & inanes defertur, quę vilissimi pulueris & luti nomine significãtur.

Vbi ergo Dominus stigmata sua, hoc est, vera resurrectionis signa, discipulis ostẽdisset, iterum ait: *Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Hoc est, eadem charitate, eadẽ auctoritate, & ad eiusdem muneris functionem & dignitatẽ, qua me Pater misit, vos ego mitto: atque ita honoris & officij mei participes facio. Qua enim me Pater charitate misit, *qui sic dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*, eadem ego vos ad mundi salutem mitto. Quam item Pater mihi auctoritatem & potestatem contulit, dæmones videlicet pellendi, morbos sanandi, & mortuos ad vitam reuocandi, & omnibus denique naturæ legibus imperandi, quodque maius est, peccata remittendi: eandem ego vobis trado. Quia verò tantum hoc munus sine diuini numinis afflatu perficere infirmitas humana non potest; *Accipite Spiritum sanctũ*, qui vos doceat, dirigat,

Genes. 37.

Pacis nomine quid.

Rom. 8.

Luc. 8.

Pax sine iustitia nõ potest esse.

Psal. 13.

Esa. 57.

Ioan. 3.

& confirmet; quique spirituales ac diuinos homines ad hoc tantum opus patrandum efficiat. Pater me Sacerdotem, Pontificem creauit, ac Apostolum ad gentes misit: ego vos item Sacerdotes, Pontifices creo, & Legatos pro me in mũdum mitto vt verè dicere possitis: *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Euntes ergo, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis*: ne videlicet fidei & baptismi gloria contenti, salutem sibi sine diuinorum præceptorum obedientia polliceantur, cùm passionis & crucis meæ beneficium non inertiæ occasio, sed virtutis & laboris incitamentum esse debeat. *Accipite Spiritum sanctum, qui doceat vos omnia, & suggerat vobis omnia quæcunque dixero vobis.* Simulque hæc verba proferens, nouo quodam ritu insufflauit in faciem eorum. Insufflauit, vt hoc visibili signo, inuisibilem diuini Spiritus gratiam, quam illis tunc contulit, designaret. Olim cùm Dominus ex limo terræ corpus hominis formasset, *insufflauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem*: modò verò in eundem iterum insufflauit; & quem anteà limum afflatu suo mutauit in hominem, nunc eũdem hominem posteriori hoc afflatu quodammodo mutauit in Deum. *Qui habet intra se Dei Spiritum, Deum refert.* Creatori debemus, quòd homines sumus: Redemptori, quòd naturæ diuinæ consortes effecti sumus. Neque enim donum hoc Apostolis solùm contigit, sed piis etiam omnibus in illis est donatum. *Si quis enim non habet Spiritum Christi, hic non est eius.*

Apostoli creati Sacerdotes.
2. Cor. 5.
Matt. 28.
Salutis via quæ.
Genes. 2.
2. Petr. 1.
Rom. 8.

Altera pars sequitur lectionis, quæ secundam Domini apparitionem continet: qua Thomæ Apostoli incredulitatem cicatricum suarum ostensione sanauit: *Thomas autẽ vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus non erat cum discipulis, &c.* Minimè mirandũ est, discipulos Domini adeò se difficiles in credenda eius resurrectione præbuisse. Vix enim credere homines possunt, quod nullis vnquam seculis gestum fuisse sciunt. Nemo seipsum vnquam à morte resuscitauit. Nam quòd sancti homines, dum in viuis agerent, mortuos ad vitam reuocassent, discipuli & viderant & audierant. Quòd item mortuus homo, mortuum eodem beneficio affecerit, de Elisæo quidem mortuo legerant. At, quòd homo iam vita functus, & tumulo conditus, se mortuum mortuus in hanc lucem extulerit, nunquam ad illud vsque tempus perspectum fuerat. Hoc enim singulare priuilegium illi seruabatur, qui non solùm homo, sed Deus erat

Discipuli quare tardi ad credendum.
4. Reg. 13.

erat & homo: ideóque mortuum hominem, quem sibi copulauerat, immortalis atque præpotens Deus excitare à morte potuit: vt hoc argumento diuinitatis suæ potentiam hominibus patefaceret. Vnde liquet, discipulorum ac Thomæ tardam fidem minùs mirandam, si minùs crederent, quod nemini ab orbe condito accidisse scirent. Quam eis cæcitatem pius Dominus miseratus (vtpote quæ non ex malitia, sed ex ignorantia veniebat) curare studuit, ne ouicula illa sanguine suo redempta, ex sancto illo grege periret. Itaque octauo à resurrectione die discipulis & Thomæ simul apparens, & illis pacem solito more precatus, vnum Thomam ad se vocat, dicens: *Infer digitum tuũ huc, & vide manus meas*, &c. Qua in re ita se Dominus cum discipulo gessisse videtur, atq; ij, qui pretiosam aliquam mercem auctioni expositam vehementer adamantes, vbi illam mercator iusto pretio vendere recusat, illi contrà nimio eius amore capti, non modò iustum, sed superabundans etiam pretium pro ea soluunt. Sic igitur iustum erat, vt tot testibus Dominicam resurrectionem adstruentibus Thomas fidem adhiberet: sed quia hoc facere noluit, eius dilectione permotus Saluator, quod ille argumentum ad credendum poposcerat, misericorditer dedit. Sic igitur Dominus cum Thoma agere visus est: Iustius quidem erat, vt tu, Thoma, quod ego volebam, voluisses: sed quoniam adeò tardus ac difficilis ad credendum es, ego tibi morem geram, vt quod tu voluisti, velim. *Infer* ergo *digitum tuum huc, & vide manus meas*, &c. O miram Seruatoris nostri clementiam & lenitatem! Cùm enim creaturæ munus esset, vt sese creatori suo accommodaret atq; submitteret; nunc immensa Domini benignitate factum est, vt vice versa creator omnium sese creaturæ suæ obsequentem exhiberet. Qua quidem dignatione conuictus Thomas, respondit: *Dominus meus & Deus meus*. Quo vno verbo, diuinitatis & humanitatis Christi Sacramentum apertissima confessione pronunciauit. Cui Dominus: *Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt & crediderunt.*

Thomæ incredulitas ex ignorãtia.

Simile.

TRACTATIO THEMATIS.

CHRISTVS *traditus est propter delicta nostra, & resurrexit*, &c. Quid per resurrectionẽ suam nobis Dominus contulerit, aperiemus. Apostolus mortis Christi primum, deinde resurrectionis virtutem & efficaciam exponit. Per mortem Christus peccatũ extinxit; & mala item quæ ex peccato cõsecuta sunt, aboleuit. Per mortem suã, mortẽ nostram, & eum qui mortis habe

Rom. 4.

Christi mortis fructus.

habebat imperium, destruxit, & quos captiuos in regno suo tenebat, in libertatem asseruit, & in regnum suum secum transtulit. Hic est ille fortis Samson, qui plures interfecit moriens, quàm anteà interfecerat viuens. Noster Iacob ad hoc cessit, cùm confligeret cum publico hoste, vt gloriosiùs surgeret: cecidit, vt omnes eleuaret. Priùs per resurrectionis gloriam erat honorandus, ac deinde Spiritus sanctus fidelium cordibus infundendus, per quem & iustificatio, & peccatorum remissio datur. Vnde eo ipso die, quo à mortuis Dominus excitatus est, Spiritum sanctum discipulis, & remittẽdi peccata potestatem dedit: ac mox in cælum ascendens, eundem Spiritum in mundum misit. Itaque quod moriens in cruce promeruit, à mortuis resurgens, nobis largitus est. Est igitur Christi resurrectio, tum exemplaris causa iustificationis & resurrectionis nostræ, tum etiam efficiens. Moriente Christo, spes quoque Apostolorum mortua fuit; eo verò resurgente, & illis credẽtibus, simul etiam spes eorum reuixit. Vnde cùm Apostoli experimento suo didicissent, quantum ad fidem in Christum, resurrectionis eius fides valeret, hanc potissimùm mentibus hominum infigere curabant. Vt enim Lucas ait: *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi.* Sic in electione Mathiæ: *Oportet ex his viris qui nobiscum sunt, ex quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus,* &c. Liquet præcipuum Apostolicæ prędicationis munus fuisse, Christi resurrectionem modis omnibus adstruere. Iudæi, qui eum morte affecerant, nihil ab eo sperare nouerant. Constat Christi resurrectionem salutis & resurrectionis nostræ causam exstitisse. Exstitit vtriusque partis nostræ, id est, animæ, & corporis causa: animæ in hoc seculo, corporis in futuro. De hac resurrectione diuus Petrus agit in primo prioris epistolæ cap. Diuus itẽ Paulus: *Si spiritus eius qui suscitauit Christum à mortuis, habitat in vobis,* &c. Ex hac autem corporum resurrectione, non solùm omnipotentia Dei, sed mira quoque eius bonitas & æquitas elucet, qui electorum suorũ corpora hoc tam mirabili honore dignatur. *Te Domine,* inquit Cyprian. *iubente terra fit caro; vt expulsa de domo, iterum coniungatur viro, non iam ancilla, sed libera.* Ad hanc verò tantam resurrectionis gloriam soli illi prouehuntur, quibus prioris resurrectionis gratia contigit. *Beatus & sanctus, qui habet partem in prima resurrectione.* sanctus videlicet, propter primam, quam iam adeptus est, per innouationem animæ: beatus, propter secundam, quam feliciter exspectat in corporis restitutione. Vide igitur vt moriaris mundo, vt possis dicere: *Mihi viuere*

Iudic. 10.
Actor. 4.
Actor. 8.
Rom. 8.
Cyprianus in Serm. de Resurrectione.
Apoc. 10.

viuere Christus est, & mori lucrum. Auaro pecunia pretiosior quàm anima. Omnes à morte secunda, quæ damnatorum est propria, liberari cupimus; omnes secundam corporum resurrectionem, hoc est, sempiternam vitam & felicitatem, optamus. Videte, an mortui sitis mundo, & vita vestra abscondita sit cum Christo in Deo. Si ita est, bene habet. Quòd si nondum habet, habere modò incipiat, firmitérque in animo suo statuat, incommoda omnia priùs perpeti, quàm lethale aliquod flagitium admittere: hoc primum spiritualis resurrectionis signum est. Alterum est feruẽs ac diligens bonorum operum studium. Iubemur enim non solùm à malis abstinere, sed bona etiam opera edere: quorum vtrumque charitas præstat, quæ nec perperam agit, nec malum cogitat, nec segnis ad operandum est. *Amor enim Dei non est otiosus: operatur enim magna, si est: si autem operari renuit, amor non est.* Tertium signum, si se homo inspiciat aliquando subacta & calcata carnis natura, supra naturam ipsam assurgere, & ea opera edere quæ caro sponte sua horrere solet. Homo natura seipsum diligit, carnem fouet, vtilitatis suæ studiosus est, honoribus gaudet, molestias declinat solicitè: hæc curat, hæc meditatur. Iam quisquis seculi honores contemnat, carnis delicias respuat, illatas iniurias patienter ferat, paupertatem non horreat, carnem spiritui seruire cogat; is certè magnum in se non modò cælestis gratiæ ac proinde spiritualis resurrectionis, sed charitatis Christianæ perfectionis argumentum habet. Hæc signa spiritualis resurrectionis sunt. Adsit nobis Christus semper. Amen.

Philip 1.

Opera bona agenda

Gregorius.

DOMINICA SECVNDA POST PASCHA, CONCIO, IN QVA EVANgelica lectio explanatur: vbi etiam de singulari Christi erga oues suas amore agitur.

THEMA, *Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me Pater, & ego cognosco Patrem.* Ioann. 10.

HACTENVS Ecclesia, Auditores, sacra Dominicæ passionis & resurrectionis mysteria diuinis laudibus celebrauit: quò videlicet, tantorum beneficiorum commemoratione, obdurata hominum corda

emol

emolliret,& ad pietatis & iustitiæ cultum traduceret. Sed quoniam ingenium hominum à labore ad libidinem procliue est, & facilè tantorum beneficiorum memoriam deponit, & ad assueta reuertitur; ideò Ecclesia nouis aliis Christi beneficiis commemorandis,nos in officio continere nititur. Itaq; hactenus quid pro nobis Dominus in morte & resurrectione sua gesserit: modò verò quid in vita sua, siue in terris nobiscum agens,siue in cælo residens,gerat,in hodierna sancti Euangelij lectione commemorat, cùm pastorem, hoc est, vitæ nostræ custodem & moderatorem illum esse docet. Quacunque enim parte Christum Dominum spectare volueris, siue viuentem, siue morientem, semper in eo charitatis & pietatis incitamenta reperies. Mysticus ille agnus totus cum capite, pedibus, & intestinis, ex imperio Domini comedebatur; nihil enim erat in eo reiiciendum. Quod vero Agno Christo, cum primis conuenit: in quo nihil otiosum, nihil nõ maximè salutare humano generi fuit. In gemmis speciosissimis nihil non pulchrum & speciosum est: quacunque enim parte illas adspexeris, similem vbique splendorem atque pulchritudinem ostentant. Hoc autem maximè Saluatori conuenire, sponsa in Canticis apertè significauit; quæ vbi longa oratione plurimas sponsi sui laudes enumerasset, illum totum esse desiderabilem conclusit: quòd nihil non in eo esset, quod non piarum mentium erga se desiderium & amorem incitaret. De hac igitur eius charitate & charitatis officiis hodie dicturi, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

Christus semper cõmodat. *Exod. 12.* *Simile.* *Cantic. 5.*

AVE MARIA.

Ego *sum pastor bonus*, &c. Multis nominibus, Auditores, Saluator noster in literis sanctis appellatur. Tot sunt enim eius in nos beneficia, vt diuinis Scriptoribus occasionem dederint, multis ipsum nominibus appellandi. Modò illũ Regem, modò Sacerdotem, modò Medicũ, modò Magistrum, vitæ Fontem, Panem viuum, & Lucem mundi, diuersis quidem rationibus, in idẽ tamen tendentibus, nuncupant. Regem videlicet, quia nos Spiritu suo regat, & à sempiterno generis humani hoste defendat. Sacerdotẽ, quia infensum nobis Patrem corporis sui sacrificio placauit. Medicũ, quia *liuore & vulneribus suis*, vt Propheta ait, *vulnera nostra sanauit*. Sic de reliquis epithetis insignibus colligere poteris: vtpote qui verus Magister, vitæ fons, Panis viuus, Lux mũdi cognominatur, quiq; hæc & in veritate

Deus quibus nominibus appelletur. *Esa. 53.*

ess-

efficit. His enim & multis aliis nominibus appellatur; quę omnia, vt videtis, non terrorem vllum, aut metum, sed amorē magis & pietatē exprimūt. Inter hęc porrò nomina ipse se in præsenti Euangelio, ac ferè in toto hoc decimo Ioan. capite pastorem, pios autē oues vocat. Quam quidē metaphorā copiosè persequitur, multa de pastorali sua cura, multa itē de ouium suarum ingenio & moribus disserēs. Apud Prophetam legitur: *Et suscitabo super eos Pastorem vnum, seruum meum Dauid; ipse pascet eos, & ipse erit eis in Pastorē.* Quibus verbis liquidò apparet, hîc nō de Dauide (qui multis annis vita functus erat) sed Domino Iesu, Dauidis secundùm carnem filio, qui pastorum Princeps à Deo designatus fuerat, agi. Sic Esaias eū simili nomine vocat, qui hac appellatione & nomen & officium apertè designauit. *Sicut*, inquit, *Pastor gregem suum pascit, in brachio suo congregabit agnos*, &c. Et hîc quidem in sinu suo, & in brachiis se gestaturum oues ait: in Euangelio autem super humeros suos errabundam ouem baiulasse scribitur. Vnde colligimus, ipsum ouibus suis vndique stipatum & onustum incedere: quarum alias humeris, alias brachiis, alias in sinu, imò, & intra sinum gestet; sicut ipse alibi cum ouibus suis loquens ait: *Qui portamini à meo vtero, qui gestamini à mea vulua.* Quæ cùm ita sint; meritò is dicere potest: *Ego sum Pastor bonus.* Ego ille bonus Pastor, quem Prophetæ prædixerunt. Officium Pastoris est diligēter & iugiter vigilare, vt oues ab insidiis luporum defendat. Pastores vigilabant natiuitatis Christi tempore. Sic Patriarcha Iacob se hoc præstitisse aiebat ad socerū suum. Quàm similis hic pastorū Principi Christo, qui diebus quidem docebat in templo, noctibus verò morabatur in monte, pernoctans in oratione Dei! Docebat, & eorum causam Deo Patri commendabat. Modò in cælis agens, ouium suarū curam non deserit, quin apud Patrem interpellet pro nobis. Semel loquitur Deus. Hìc tamen multifariè, multísque modis olìm locutus esse dicitur in Prophetis. Hoc officiū loquēdi & monendi nunquam intermisit. Quāuis enim ab origine mūdi ad finem vsque loquatur, vna tamen locutio est, quòd nunquā hactenus intermissa sit. Sic vna esse dicitur cœna, licèt sit longissima. Ad Pastoris requiritur quoque officium multiplex prouidentia. Eius enim est, & gregem suum pascere, & adaquare, & à luporū incursione tueri, ad caulas opportunè reducere, pabula commutare, morbidas curare, & (ne cęteras inficiant) à grege secernere, & omnia illa quæ ad salutem ouium pertinent, diligēter curare. Quid autē magis superno illi Pastori conuenire potest? Quid

Ioan. 19.
Exech. 34.
Esa. 40.
Christus fidelis Pastor.
Esa. 49.
Pastoris officium.
Luc. 2.
Genes. 31.
Luc. 6.
Hebr. 1.
Bernardus
Oues secura sub Christo.

Quid enim is aliud in vita egit, quàm vt nos redderet ſuis periculis ſecuros, ſuis vulneribus integros, ſua inopia diuites, ſua morte immortales? Hoc eſt enim quod in præſenti ait Euangelio, *Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis: mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues*, &c. Omnia boni paſtoris officia quis vnquã præſtitit cumulatiùs, quàm hic noſter? Habet in Eccleſia Vicarium; ipſe tamen inuiſibilis omnium ſuſcipit curam, & omnia adminiſtrat. *Ego paſcam oues meas, & ego eas accubare faciam*, dicit Dominus. Ait D. Auguſtinus: *Sic Domine ſuper cuſtodiam meam vigilas, ac omnium aliarum rerum oblitus, mihi ſolùm intenderes. Semper quippe te præſentem exhibes, ſemper te paratum offers, me paratum inuenis. Quocunque iero, tu me Domine non deſeris, niſi prior ego te deſeram.* Quid ergo felicius, quàm ita viuere, vt ſub talis paſtoris cura & prouidentia tutiſſimam vitam agas? Eſt hic Paſtor omnipotẽs, omniſcius, opulentiſſimus; quid ouiculis deeſſe poterit? Eſt paſtor meᵘ, vigilat pro me; quis me de gradu deiicere poterit? quis inuadere? Supereſt, vt omni cura & ſtudio ita vitam inſtituamus, vt inter innocentes Chriſti oues cenſeri mereamur, quo huius paſtoris tutiſſima cura perfruamur. Non dubium enim, quin ille paſtor tuus ſit, ſi tu ouis eius extiteris: hoc eſt, ſi ouis manſuetudinem & innocentiam omni cura & ſtudio retinere curaueris. Huius igitur paſtoris amorem amore, curam cura (quatenus per nos fieri poſſit) penſare ſtudeamus. Quòd ſi quæras vnde hæc tanta erga nos paſtoris huius charitas & prouidentia manarit; certè non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ex immenſa eius bonitate & dilectione. Quod idem Dominus indicat, cùm protinus ſubdit: *Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ: ſicut nouit me Pater, & ego cognoſco Patrẽ*, &c. Ex hac igitur cognitione hoc tantũ beneficiũ conſecutũ eſt, vt animam ſuam Dominus pro ouibus ſuis poneret. Hæc verba Domini ingentẽ charitatẽ exprimũt. Cùm omnia diuina beneficia omni laude & gratiarum actione digniſſima ſint, redẽptionis tamen noſtræ beneficium principem inter ea locum tenet. Eſt tamen aliquid hoc ſummo beneficio maius, quódque nos ad amorem tanti Redemptoris multò magis accendit, nẽpe amor ipſe, quo nos dilexit, qui illum ad amorem impulit, qui multis partibus paſſionis eius magnitudinem ſuperauit. Multò enim plura perpeti paratus erat, quàm pertulit, ſi hoc ad ſalutem noſtrã neceſſarium fuiſſet. Quo fit vt plus illi pro eo debeamus quòd pati voluit, quàm pro eo quòd paſſus eſt: quamuis hoc euidem

Pontifex Vicarius Chriſti.

Ezech 34.

Auguſtinus in Meditat.

Oues ſub Chriſto tutæ.

Innocentia ſeruanda.

Redemptionis beneficium.

euidens & manifestum, illud verò occultum, & vni illi notum sit. Huius verò dilectionis magnitudinem in propositis verbis Dominus declarat, cùm ait: *Cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.* Quo in loco verbum cognoscendi dilectionem significat, sicut & in eo loco: *Nouit Dominus qui sunt sui.* Et vbi ad Moysen Dominus ait: *Noui te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me.* Cùm igitur Dominus ait: *Cognosco oues meas*: perinde est, ac si diceret, *Diligo oues meas.* Hæc dilectio Christi omnem aliam superat dilectionem. Hic seipsum immolauit, vt oues haberent vitam, vt corporis sui cibo ad immortalem vitam aleret. Hic noster pastor non indiget nostro vellere, id est, operibus nostris: sed ideò oues suas curat, non vt sibi, sed vt omnibus consulat, & gratis vitam æternam largiatur, sicut ad Patrem ipse ait: *Dedisti ei potestatem omnis carnis; vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* Apud Esaiam ait: *Nunquid obliuisci poterit mulier infantem suum,* &c. Videmus amorem suum Dominum piissimarum matrum amori erga teneros etiam filios anteferre. Post amorem matrum, superest adhuc ardentior alius amor, nempe sponsi ad sponsam: *Erunt duo* (inquit primus parens ad vxorem) *in carne vna.* Hoc nomen maximè Christo Domino conuenit. *Despondi enim vos,* inquit Apostolus, *vni viro virginem castam exhibere Christo.* Et ipse item per Hieremiã Dominus: *Ergo saltem amodò voca me, Pater meus, & dux virginitatis meæ.* Cui videlicet virginitas & integritas mea curæ est, & à quo, velut à legitimo sponso, custoditur. At huius spõsi amor longè virorum amorem superat. Hoc ipsum per Prophetam declarat: *Vulgò dicitur: si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltrà? nunquid non polluta & contaminata est mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, verumtamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te.* Quæ ergo maior viri erga vxorem charitas esse potest, quàm si adulteram, imò meretricem non repudiet, sed ad se inuitet? Quod ergo maius veræ dilectionis argumentum? Habemus adhuc maiorem amorem, nempe membrorũ in corpore humano. Sic membra malunt perire, quàm caput discrimini obiicere. Christus est Ecclesiæ, quæ est corpus eius & plenitudo, caput: attamẽ ipse mauult merita suorum laborũ nobis communicare quàm sibi. Ipse quoque ob corporis incolumitatem, & salutem membrorum, omnibus diuini furoris telis exposuit: sicut ipse ad Patrem sub Ionę persona ait: *Omnes fluctus tui, & gurgites tui super me trãsierunt.* *Disciplina,* inquit Esaias,

Cognoscere quid sit.
2 Tim. 2.
Exod. 33.
Deus non indiget nostris operibus.
Ioan. 17.
Esa. 44.
Amor sponsi ad sponsam.
Genes. 2.
2. Cor. 11.
Hierem. 3.
Ibidem.
Membra se mutuò diligunt.
Psal. 41.
Esa. 53.

pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Cùm ergo Dominus intellexisset nihil esse in terris, quod charitatis eius magnitudinem æquaret; in cælum conscendit, vbi charitas velut meridianus Sol maximè viget atque feruet, & ad ipsum vsque diuinum pectus penetrauit: in quo immensus & infinitus amor Patris erga Filium vnigenitum flagrat, ibique quod quærebat, plenissimè inuenit. Vnde ait: *Cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ, sicut nouit me Pater, & ego cognosco Patrem.* Hoc est, quibus me Pater æternus amoris oculis intuetur ac diligit, eisdem ego oues meas contemplor & diligo. Hæc hominis non mediocris dignitas, sic à Christo diligi, vt hæc eius dilectio cum summa illa dilectione potuerit comparari.

Hominis dignitas.

Quod planè nisi ipse Filius Dei fecisset, quis inter homines hoc ausurus fuisset? Certum est ob naturam suam Patrem seipsum videre, vbi Filium videt; & sicut infinito amore se, ita infinito illum amore complecti, in quo se totum ipse transfudit. Ad hunc ergo modũ cùm Christus Dominus in iis qui innocentes oues eius sunt, Spiritum suum inhabitantem cernat; consequens est, vt se in illis videat, & se quoque ipsum in eis diligat.

Simile.

Huius verò rei commodissimum exemplum in parentum erga filios amore cernere licet. Cur enim ij tam ardenti amore filios prosequuntur? Quis enim non miretur amorem Dauidis erga parricidam filium, cuius mortem tam acerbè luxit?

2. Reg. 18.

Non dubium quin huius tanti amoris, amor sui causa sit. Omnes enim ergo alios amores, ex amore sui proficisci, Philosophi tradunt. Qui verò parentes amant se, ideò filios suos tanquam seipsos, hoc est, tanquam aliquid sui amant. Ex paterna quippe substantia illa corporis filiorum fabrica delibata est. Hæc igitur amoris causa suo quodam modo in Deo quoque reperitur. Pios enim is non tanquam exteros & alienos, sed tanquam aliquid sui diligit (sui, inquam, non natura, sed gratia) quandoquidem sicut naturales liberi ex paterno semine orti sunt: ita planè viri iusti ex diuino semine spiritualem illam ac diuinam vitam sortiti sunt, qua viuunt. Quod quidem diuus Petrus testatur, cùm ait:

1. Petr. 1.

Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei viui, & permanentis in æternum. Quam quidem vocẽ vsurpat etiam Ioannes Euangelista, cùm ait:

1. Ioan. 3.

Qui natus est ex Deo non peccat: quia semen Dei manet in eo. Si ergo spirituale hominis esse à diuino semine manat: quid mirum, si tantopere electos suos diligat Pater ille cælestis, quos tãquam filios, hoc est, tanquam aliquid suum, nempe, à gratia & Spiritu suo profectum diligit?

Operandũ est nobis.

Colligimus hinc, quòd hæc ipsa pietas & iustitia magis

Dei sit opus quàm nostrum; quamuis nos etiam cum eo, ab ipso tamen adiuti & moti, cooperemur. *Deus* enim *est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Vnde etiam sequitur, vt sicut artifices excellentes operibus suis delectantur: ita summus ille totius honestatis architectus, cùm animum diuina virtute florentem perspicit, opus suum agnoscat, & eximio amore prosequatur; & illud intuens, summo (vt ita dicam) gaudio cumuletur. Quocirca diuina Sapientia profitetur apud Salomonem, homines à se in deliciis haberi. Admirabile est igitur illud amoris vinculum, quo Deo homines casti & integri copulantur. Nulla est enim amicitia maior, nulla voluntas coniunctior. Christus animas nostras, quas tantis doloribus & cruciatibus in passione sua redemit, & morte sua æterna liberauit, summopere diligit. Hæc ratio diligendi ad homines pertinet, quos cum dolore redemit; non ad Angelos, quos sine labore beauit. Angelorum puritas est quidē maior, at hominum est mirabilior. Nemo enim spiritualis creaturæ puritatem miratur: miramur tamen, & iure miramur, mundū ac purum esse, qui impura carne septus, & ex immundo semine conceptus est.

Philip.2.
Simile.
Prouerb.8.
Angelorū conditio.

His accedit similitudo, quæ non solùm mutuum amorem conciliat, sed Deo quoque animā mira quadam ratione cōiungit. Similia enim tanquam germana atque cognata, similemque vim & naturam retinentia, facilè vniuntur: dissimilia verò à se inuicem resiliunt & separantur. Sic videmus aquam aquæ, & oleum oleo facilè coniungi, & in vnum corpus redigi: oleum verò, quod aquæ dissimile est, si in aquam effundatur, ab ea refugere, & in orbē cogi, nec cum illa in vnū corpus coire. Cæterùm inter Deum & pium hominem, propter eiusdem Spiritus communionem, mira intercedit similitudo atque cognatio. Vbi ergo tanta similitudo est, quanta vis diuini amoris existit, cùm Deus illos sic diligens, se in illis quodammodo diligere videatur? Videmus homines abiectissimos ad summam felicitatem & dignitatem attolli; videmus hominem cum Deo copulari. Amicorum omnia sunt cōmunia: quid ergo deesse ei poterit, qui rerum omniū Dominum habet amicum? Quisquis eò dignitatis euectus, vt in Dei amicis numerandus sit, sciat se ad eam felicitatem peruenisse, qua nulla maior puro homini in hac vita cogitari potest. Laborum & variarum calamitatum humilis tolerantia, magnum diuinæ gratiæ, imò & Christianæ perfectionis, argumētum est. Iam quisquis vera charitate præditus est, boni pastoris fidē ac diligentiam imitatur. Hic in suo officio manet intrepidus: ita tu à virtutis & innocentiæ studio

Similia cō iungūtur.
Deus hominē valde amat.

nullo modo auoceris. Magnum pietatis est argumentum, tentationibus non succumbere, nec laboribus frangi, sed eandem semper animi constantiam retinere. Simili enim ratione aurum igne exploramus: quod enim purum & peregrini metalli expers est, idem prorsus, citra vllam sui mutationem, in igne perseuerat. Exiguus ignis leui flatu exstinguitur: magnus tamen & magna nutrimentorum appositione maiorem flammam corripiens, adeò flatibus non cedit, vt vehementius etiam accendatur. *Vasa figuli*, inquit Ecclesiasticus, *probat fornax; & homines iustos tentatio tribulationis.* Hæc eò pertinent, vt qui verè Deo probari se cupiunt, nullatenus conquiescant, donec eò peruenerint, vt in tribulatione fideles inueniantur. Qua vrgente, non quidem angi, sed gratulari magis sibi debent, quòd occasio illis oblata sit, qua vel infirmitate sua cognita, humiles euadãt; vel firmitate perspecta, gratias firmitatis auctori agant, quòd ad eum statum perducti sint, in quo tentationibus explorati, in virtute & officio fideles perstiterint. Ex hac probatione, & forti patientia, *spes*, illa nascitur, *quæ non confundit*, hoc est, nequaquam sperantem hominem pudefaciet atque frustrabit: hæc sanè non confundit, sed æternæ felicitatis, & bonorum omnium, hominem probatum compotem facit. Hanc nobis concedat Christus Saluator noster.

Simile. *Simile.* *Eccles. 25.* *Calamitas cognoscendi sui dat occasionē.* *Roman. 5.*

DE SPIRITVALI CHRISTI OFFICIO quod in piorum mentibus administrat.

VT Nobiles & Ecclesiastici in Repub. peculiaribus quibusdam gaudent priuilegiis; sic diuina Sapientia, quæ cunctarum rerum, ac præcipuè piorum hominum curam & prouidentiam habet, peculiaria quædam dona & beneficia iustis hominibus & in præsenti vita, & in futura constituit, quæ illis pietatis & iustitiæ merito conceduntur. Sunt autem duodecim, quorum vndecim ad hanc vitam; duodecimum ad futuram pertinet. Quæ tamen ita sunt beneficia, vt sint etiam maxima ad virtutis cultum adiumenta: quæque diuinorum mandatorum viam planam & iucundam efficiunt. Primum horum beneficiorum & aliorum omnium fons & origo est, Pastoralis cura & prouidentia, quam Dominus ouium suarum, hoc est, iustorum omnium gerit. Omnia nobis à Dei gratia proueniunt, siue recogitare, seu velle, siue etiam perficere. Primum boni pastoris officium est, fœcunda & læta pabula ouibus quærere: post pabulum

1. *2. Cor. 3.* *Philip. 2.* *11.*

bulum autem ouium sequitur earundem adaquatio. Aqua hæc est cælestis sapientiæ suauitas, gaudium & diuina consolatio. Multi ita sunt dementati, vt malint dæmonem verberantem, quàm Deum sequi blandientem. O miseri mundi amatores! Tertium est, gratia, qua Deus hominem à vanis conuertit, vt intelligat quid acceperit, & quid reliquerit: vt post misericordiam præuenientis gratiæ, altera comitantis gratiæ conferatur; vt intelligat, per arctam viam ingrediendum esse, & perseuerandum. Piis magna impenditur misericordia, vt per semitas iustitiæ, Deo dirigente, deducantur. Hæc gratia beneficij datur gratis, propter immēsæ bonitatis & largitatis suæ abundantiam. Sequitur sextum beneficium, quod Deus nobiscum sit tamquam lux in tenebris: est enim piis tutela securissima, & scutum. *Qui enim pios tangit*, vt Zacharias ait, *pupillam oculi Domini tangit. Si ambulauero*, inquit Propheta, *in medio vmbræ*, &c. Facit cum tentatione prouentum. *Ego, quos amo, castigo. Quem*, inquit Apostolus, *diligit Dominus, corripit. Cum ipso sum in tribulatione*, &c. *Est igitur nobiscum in tribulatione. Corpus suum dat in cibum, & sanguinem suum in potum. Vt leones*, inquit Chrysostomus, *ignem spirantes, ab illa mensa discedimus, terribiles dæmonibus effecti.* Intellectum illuminat & illustrat, & mentis nostræ lumen auget. Charitatem addit Dei & proximi, & quasi animam ebriam reddit. Additur autem his omnibus beneficiis extremum, sine quo nihil cætera iuuarent, nempe donum perseuerantiæ: contingere enim potest, vt qui varia iuuentutis pericula, & vitæ turbines euaserunt, in extrema ætate pietatis & iustitiæ naufragium faciant, quod Salomoni Regi, & Asa eius nepoti legimus contigisse. Quibus sanè anteacta iustitia parum profuit; quia summo hoc perseuerantiæ dono, quod prædestinatorum proprium est, destituti fuerunt. His donis consequeris cælestis palatij communionem: quam æternus Pater nobis largiatur. Amen.

Hominum dementia.
III.
IIII.
V.
VI.
Zachar. 2.
Psal. 25.
VII.
Apoc. 3.
Hebr. 12.
VIII.
Chrysostomus.
IX.
X.
XI.

DOMINICA TERTIA POST PASCHA, CONCIO: IN QVA VTRIVSque gaudij, piorum ſcilicet & improborum, collatione facta, facilè oſtenditur, iucundiorem eſſe bonorum quàm malorum vitam.

THEMA. *Mundus gaudebit, vos autem contriſtabimini: ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium* Ioan. 16.

LECTIO ſancti Euangelij, Auditores, pars quædam conſolatorij ſermonis eſt, quem ad diſcipulos Saluator pridie eius diei quàm pateretur, habuit: quo mœrorē, quem de ſuo abſceſſu & morte intimis animi ſenſibus conceperant, lenire paterna pietate curauit. Ad quod efficiendum duplici potiſſimùm ratione vſus eſt: altera, quòd mœror ille nequaquam diuturnus eſſet futurus: altera, quòd maximæ, & nunquam amittendæ lætitiæ materiam illis præbiturus eſſet. Ait igitur: *Modicū & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem. Hæc verba*, vt D. Auguſtinus ait, *obſcura tunc diſcipulis fuerunt, antequam implerentur; quæ vbi impleta ſunt, & nobis & illis ſunt aperta. Poſt modicum enim tempus paſſus & ſepultus eſt, quo tempore illum non viderunt: poſt modicum verò illum à mortuis reſurgentem viderunt, atque ita illorum triſtitia in lætitiam commutata eſt.* His autem verbis appoſitiſſimè humanæ vitæ, rerumque omnium inſtabilitas & inconſtantia, variaque rerum viciſſitudo deſignatur: in qua nihil ſtabile, nihil fixum & immotum eſt, ſed triſtibus læta, & lætis triſtia vbique permiſcentur. Cur autem Dominus hac tanta rerum varietate vitam hominum reſperſam eſſe voluerit, multæ ſunt cauſæ: quæ tamen omnes diuerſis rationibus ad piorum vtilitatem referuntur. Sicut enim temporū varietas neceſſaria eſt ad fœcunditatem omnium, quæ terra marique generantur & aluntur, ita planè eaſdem rerum mutationes in ſpiritualibus rebus eſſe oportet: vt aliæ virtutes aliis atque aliis temporibus exercendi ſui occaſionem accipiant. Quomodo enim fortitudo, patientia, atque conſtantia, niſi aduerſis rebus premeremur, vim ſuam exercerent? Iam verò qua ratione homo, & virium ſuarum imbecillitatem, & diuinæ prouidentiæ curam & benignitatem agnoſceret, niſi illud in afflictis rebus, hoc in ſecundis intelligeret? Hac enim rerum viciſſitudine, vel ipſe ſanctiſſimus

D. Auguſtinus.

Vitæ humanæ inſtabilitas.

Temporū varietas neceſſaria.

ſimus Dauid ad vtriuſque rei pleniorem cognitionem erudiri ſe oſtendebat, cùm ait: *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem*, &c. Oſtendit in hoc duplici ſtatu vir ſanctus, primùm ſe immobilem in æternum, iuxta ſuam opinionem: inde ſe inopem & infirmum, & variis obnoxium perturbationibus agnoſcebat. Hac igitur de cauſa Dominus modico tempore nobis adeſt, & modico item conſolationis ſuæ præſentiam ſubtrahit: vt ſicut Sol vtroque tempore, cùm videlicet ad nos accedit, & cùm recedit, beneficus & ſalutaris eſt: ita verus Sol iuſtitiæ Chriſtus, ſimili ratione & præſentiam ſuam nobis largiens, & interdum ſubtrahens, ſalutem noſtram operatur. *Paulus in Paradiſum rapitur, & tamen tentatur.* Hac igitur de cauſa Dominus variè pios homines, ad ipſorum tamen vtilitatem, verſat ac voluit: partim vt in omni genere virtutis exerceat, partim vt infirmitatis humanæ ac diuinæ bonitatis pleniorem cognitionem illis tribuat. Abſente ad tẽpus Domino, ſuccedit mœror, & lætitia ſubtrahitur: eodem verò redeunte, mœror abit, & lætitia redit. Cùm cæleſtis Magiſter animaduerteret quid diſcipuli animo verſarent, eos præuenit, ac dicit: *De hoc quæritis inter vos, quia dixi: Modicũ & videbitis me*, &c. *Amen amen dico vobis, quia plorabitis.* His igitur verbis declarare voluit breuẽ piorum hominum triſtitiam æterno gaudio commutandam: contráque, momentaneam improborum lætitiam perpetuo luctu vindicandam. *Væ*, ait, *vobis qui nunc ridetis, quia flebitis.* Et iterum: *Væ vobis diuitibus, qui habetis hîc conſolationem veſtram.* In libro Iob: *Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad vocem pſalterij.* Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Contrà verò piorum gaudiũ parientis feminæ gaudio ſimile eſſe Dominus ait. Subdit enim: *Mulier cũ parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius*, &c. vſque ad finẽ. Ex his ergo facilè liquet, quantũ inter piorũ & improborũ gaudiũ ſit diſcriminis: ac proinde qualis vtriuſque vitæ ſors & cõditio. Piorũ enim momentanea triſtitia æterno gaudio; improborum autẽ breuiſſima lætitia ſempiterno luctu cõmutanda eſt. Huius rei velut imaginem quandã ſingulis annis natura in arboribus & herbis ſpectandã proponit. Hyemis nãque tẽpore, frugiferæ arbores floribus & frõdibus, atque omni decore & ornatu ſpoliantur, quæ tamen latentẽ intus vitã retinent, quæ ſuo tempore detegenda eſt: contrà verò fœnũ, & viles herbulæ, hoc ipſo tẽpore virore atque nitore ſuo ornãtur & veſtiuntur, quæ tamen æſtate redeunte exareſcunt, & omnem cum vita virorem atque

Pſal. 29.

Simile.

2. Cor. 12.

Pij cur exerceãtur.

Luc. 6.

Iob. 21.

Simile.

Hyemis tẽpus quale.

ornatum deponũt; at proceræ arbores, quæ intermortuæ videbãtur, tunc vel maximè reuiuiſcunt, & floribus atque frõdibus ſuauiſſimíſq; fructibus onuſtę vigẽt. Quis igitur nõ hîc videat appoſitiſſima naturã ſimilitudine diſſimilẽ piorũ & impiorum ſortẽ adũbraſſe? Ad pios enim Apoſtolus ait: *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cũ Chriſto in Deo.* Si enim ſanctorũ vitã legeris, & externã illorum faciem contẽpleris, viles tibi & abiecti apparebunt: quorum tamẽ ornatus, & vita, & vera gloria in occulto latet, ab oculis mortalium abſcondita. Aderit tamen vernum tempus, quando qui nudi & mortui putabantur, fulgebunt ſicut Sol in regno Patris eorum. Vtrumque autem pij hominis ſtatum breuiter illa beati Iob verba indicãt: *Lampas contempta apud cogitationes diuitum, præparata ad tempus ſtatutum.* Fulgor quippe iuſtitiæ à ſuperbis hominibus in hac vita deſpicitur, vbi deridetur iuſti ſimplicitas; qui tamen ſuo tempore, is qui ab hominibus contemptus fuit, ſempiternam à Deo laudem & gloriam cõſequetur. Quo tempore ſuperbi iuſtorum contemptores, hanc tantam rerum commutationem cernentes, illa ex lib. Sap. verba mirabundi iactabunt: *Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum,* &c. Vide vitam mendici Alexij. Quid in præſenti vita eo abiectius? quid verò in morte glorioſius? Annon erat ſplendor ille, in vitæ hyeme abſconditus, qui verno mortis tempore patefactus eſt? Diuites ad tempus quærunt obſequia hominum; pauperes patiẽtes, deſpecti ab hominibus, inueniunt ſocios choros Angelorũ. Piorum gaudium, quod æternum eſt, nemo ab eis tollere poteſt: non mors, non morbus, non inuidia, non bella. perpetuum erit in cælo gaudium, vbi æterna pax & concordia viget. *Quoniam,* inquit Propheta, *confortauit ſeras portarum tuarum,* hoc eſt, quoniam felicitatem tuam in tuto loco poſuit, ne in eum hoſtis irrumpere, aut calamitas aliqua ciuitatis eius gaudium intercipere queat. Ex huius verò gaudij æternitate illud etiam ſequitur, quòd beatæ illæ mentes ſingulis momẽtis totius æternitatis gaudiis quodammodo perfruuntur: ſicut contrà reprobi, totius æternitatis pœnis conſimili ratione cruciantur. Cùm igitur damnati totam æternitatem (in qua ſine fine torquendi ſunt) cogitatione quodammodo apprehendunt: huius tam longi & nunquam finiendi cruciatus tormentum ipſa ſua cogitatione antè capiunt, quæ ipſorum grauiſſima pœna eſt: quando quidem per eam toto æternitatis pondere premuntur. Quo quid eſſe miſerabilius poteſt? Simili verò ratione electi omnes, dum ſe de ſua felicitate ſecuros animaduertunt, de tota ea ſingu-

Coloſ. 3.

Matt. 13.

Iob. 12.

Sapient. 5.

S. Alexius hîc deſpectus.

Pſal. 143.

Pij & hic & in æternum gaudent.

singulis momentis plenissimè gaudent. Hoc ergo tantũ bonũ discipulis Saluator, atque adeò omnibus pietatis sectatoribus pollicetur, cùm ait: *Gaudiũ vestrũ nemo tollet à vobis*. Dominus plena manu exhibita sibi obsequia persoluit, dum pro momentanea seruitute mercedem tribuit sempiternam. Lætitia de nato filio matrem exhilarat, vt acerbissimos partus dolores obliuiscatur: quid faciet summa illa lætitia, quam de æterna suæ felicitatis gloria electi omnes habituri sunt? Quàm leues & momentaneos labores & dolores omnes existimabunt, pro quibus ad tantam felicitatem peruenerunt? Potest cogitatione comprehendi, verbis tamen explicari non potest. Hoc est autem quod piorum gloriam maximè attollit, quia intelligunt se de sua felicitate perpetuò esse securos. Hactenus de Euangelica lectione, nunc ad proposita Thematis verba redeamus.

Matris de filio gaudium.

TRACTATIO THEMATIS.

CONCIONATOR diuinus multis appellatur in sacris literis nominibus; inter quæ Legati etiam nomen recipit. sic enim Apostolus ait: *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos*. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Simus licèt viles homunciones, Dei tamen ad homines sumus legati: cuius legationis munus est, suadere vobis, vt rupto fœdere, quod cũ carne, cum mundo, cum Satana principe mundi habetis, nouum cum Deo fœdus percutere velitis. Est enim improborum omnium illa vox: *Pepigimus fœdus cum morte, & cum inferis fecimus pactum*. Quicunque enim colla sua grauissimo peccatorum iugo subdiderũt, hi planè cum ipsa morte atque inferis pactum inierunt. Sicut igitur olim Asa rex Iuda legationẽ ad regem Syriæ misit, multis precibus & muneribus ab eo contendens, vt rupto fœdere, quod cum Baasa rege Israëlis percusserat, fœdus iniret cũ eo: ita vos Dominus per nos, tamquam per legatos suos, ad violanda mortis æternę fœdera, & nouum cum salutis & felicitatis vestræ auctore fœdus ineundum inuitat. Cupimus vt vos ad Dei amicitiam & honestatis studium (in quo salus vestra sita est) traducamini. Quamuis hæc apud vos sciatis: tamen quoniã intellectus ipse, qui voluntatis ductor est, sæpe eiusdem voluntatis vitio & impulsu labitur, dum malũ bonum, & bonũ malum iudicat; ideò volũtas, quæ cæcũ ducẽ sequitur, cum eo pariter hallucinatur: quod in hac re fieri quotidie cernimus. Mens ergo nostra, falsa rerum imagine delusa, vitiorum viã planã & iucundã, virtutis

2. Cor. 5.

Concionator Legatus Dei.

Esa. 28.

3. Reg. 15.

Auctor felicitatis Deus.

Praesenti-bus bonis deludi-mur.

2. Tim. 4.

verò horridam, difficilemq; putat, talemq; voluntati proponẽs illam ab ea retrahit, & ad inhonesta, tanquam voluptuaria & iucũda, aduocat. Error hic, est seminarium omnium malorum, & veluti Lerna: oportet igitur aduersus hunc pugnare. *Argue,* inquit Apostolus, *obsecra, increpa opportunè & importunè.* Ad hoc autem efficiendum, vtramque inter se piorũ & improborum vitam conferamus; piorum onera, & onerũ atque laborũ solatia, & improborum gaudia: quo facilè, vtriusque rei imagine perspecta, de tota causa sententiam ferre possimus.

Hominum secularium gaudia.

Sua igitur seculi hominibus gaudia, qualiacunque sint, concedamus, nempe edere, bibere, lasciuire, luxuriari, genio indulgere, diem in noctem dormiendo, & noctem in diem ludendo conuertere. Sit ita sanè. Nunc quale sit gaudium, quod ab huiusmodi deliciis proficiscitur, expendamus. Primùm quidem (quod negari non potest) non perpetuum aut diuturnum; sed quemadmodum ipsa vita, breuissimum est. Quae est autem vita vestra, nisi (Iacobo teste) *vapor ad modicum patens, qui deinceps exterminatur?* Videas enim aliquando densissimum fumi vaporem ex fornace prodeuntẽ, qui quò magis supera loca petit, eò magis dilatatus attenuatur, donec tandem ita euanescit, vt ne vestigium quidẽ illius appareat. Apostolus vitam vapori fumi; apud Iob quidam puncto, propter summam eius breuitatem, comparauit. Si vita ipsa, quam viuimus, velut punctus quidam, & vapor est ad modicũ parens; quantũ obsecro eius gaudium, nisi instar puncti erit, qui adeò exiguus est, vt in partes distrahi nequeat? Vide quid Ecclesiasticus ait: *A mane vsque ad vesperam immutabitur tempus, & haec omnia citata in oculis Dei.* Quibus verbis significare voluit, non procul à laetitia moerorem abesse. Hodie filiam tuam matrimonio collocasti; at vix dum finita laetitia nuptiarũ, infelici aut immaturo partu è medio sublata, funus eius cogeris apparare. Manè dom⁹ tua ac familia pacata est atque trãquilla, vespere autem nouo tumultu, dissidiis & clamoribus ardet. Denique vt neq; rosa sine spinis: ita nec sine doloris aculeo terrenae voluptatis fructus percipitur. Iam verò quis huius adeò breuis voluptatis vsuras & incommoda, oratione percenseat? Primùm enim voluptas carnis mentẽ atque consiliũ eripit, hominemque omni penè munere rationis atque virtutis spolians, vitiorum seruum, iumentorũ similem, ac penè pecudem efficit. Adde his intimum laniantis conscientię morsum, qui continuus impurae voluptatis comes est. Homo improbus non potest mortẽ impendentem non timere, licèt Deũ non timeat. Quo fit, vt sicut sancti viri mortẽ quidem

Iacob. 4.

Vita nostra breuissima est.

Iob. 20.

Eccles. 18.

Simile.

Voluptatis incommoda.

quidem habent in desiderio, vitam autem in patientia: ita contrà improbi, vt vitæ huius amore flagrant, ita mortem, tanquam deliciarum finem, & dolorum initium, perhorrescunt. Sume exemplum à duabus mulieribus, vna pudica, altera impudica: illa maritum absentem semper cogitat & exspectat; hæc pudore amisso, maritum absentem non cogitat, imo vehementer execratur. Hac igitur imagine, Auditores, piorum & improborum mentes inspicere vtcunque licebit: hi enim cum Apostolo Domini aduentum auidè præstolātur; illi autem ad solum eius nomen expauescunt. Homo voluptati deditus, procliuis quoque ad iram, quæ magnos excitat motus. Plutarchus consuluit, ita vitam esse instituendam, vt neque multis rebus, nec pretiosis egeamus: ita enim fiet vt animo simus tranquillo. Nihil ea mente placidius atq; iucundius, in qua affectus non pro libidine sua, sed pro rationis moderamine, præscriptis sibi muneribus funguntur: nihil verò insuauius & turbulentius, quàm cùm spreto rationis imperio atque consilio, impetu cæco & furibundo rapidorum fluminum more rapiuntur.

Simile.

Aduentū Domini qui exspectent.

Plutarchus.

Mens quæ trāquilla.

Nunc iam piorū onera simul & solatia, quæ leuandis eorum oneribus diuina prouidētia constituit, expēdamus. Onera sunt diuina præcepta, quæ nobis seruāda traduntur, ad quorum obseruationem necesse est carnem cum vitiis & concupiscētiis crucifigere, affectus sub rationis imperio continere, linguæ petulantiam, & oculorū cæterorúmque sensuum licentiam comprimere, omnibúsq; hominibus, quālibet infensis & improbis, se placidum, amabilē, atque benignum præbere. Hęc igitur, atque his similia piorū onera sunt: quæ quāuis grauia multis & importabilia videantur; Christus tamen ea iugū suaue, & onus leue esse affirmat. Omnem difficultatem Apostolus amouet: *Momentaneum*, inquit, *& leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Omnia sæua & immania, prorsus facilia, & propè nulla efficit amor. Quātò ergo certius ac facilius ad veram beatitudinem charitas faciet, quod ad miseriam quantum potuit cupiditas fecit? Non immeritò vas electionis cum ingenti lætitia: *Non sunt*, ait, *condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Hoc est primum piorum laborum solatium, quod iugum suaue, & sarcinam Domini spe prę-mij leuem efficit. Amemus ergo nos Christum, & facilè videbitur omne difficile suaue. *Nil*, inquit diuus Hieronymus, *amantibus durum, nullus difficilis labor in amore est.* Quæ sit huius amoris vir, facilè declarat vehemens ille parentum erga filios

Præcepta Dei vt obseruare possimus.

Matth.11.

2.Cor.4.

Amor omnia facit facilia.

Rom.8.

Iugū Christi leue.

Hieronymus.

filios à natura ingeneratus amor: ita & diuina prouidentia (quæ eundem ferè tenorem in operibus gratiæ retinet atque naturæ) similem dilectionis vim piorum mentibus infundit: qua eos ad omnes pietatis & iustitiæ labores mirabiliter incendit. De ea ait Apostolus: *Charitas patiens est, benigna est, &c.* Charitatis est, proximum tanquam seipsum diligere; omnia quæ sibi homo impedi vult, aliis exhibere. Quia verò perditi homines, quæ sit dilectionis huius vis, ne per somnium quidem attigerunt, nihil mirum, si difficilem Dei legem reputent, cuius adiumenta & solatia non agnoscunt. Iam perpende vtri magis fides sit adhibenda, mundo deliranti, an diuinæ veritati nos à mundi errore, & insania vindicanti. *Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia.* Quam quidem lætitiam, quæ est vera & honesta, adeò copiosè viro iusto Dominus impartitur, vt exultationem & iucunditatem super eum thesaurizare dicatur. Quocirca si quis iusti mentem voluptatis hortum, siue paradisum (per illum qui mundi initio plantatus à Deo est adumbratum) appellauerit, nihil prorsus à vero aberrabit. Omnia animi ornamenta non ad aliquam externam corporis speciem referuntur, sed ad solam animæ pulchritudinem, & internas eius opes; cùm omnis sponsæ pulchritudo & gloria, vt idé sponsus ait, non foris splendeat, sed intus in animo lateat. Ex his, quæ hactenus dicta sunt, satis constat, quantum inter spirituale & carnale mundi gaudium discriminis sit. Hoc enim terrenum est, illud cæleste: hoc pecudum, illud Angelorũ: hoc dedecus, illud salutem parit sempiternam. Quòd autem non omnes huius iucunditatis amore capiantur, duæ sunt causæ. Prior, quòd diaboli fallacia, qui, cùm mendax sit, & mendacij pater, virtutem horridam & asperam, vitia verò blanda & suauia mentitur. Deus est Pater omnis pietatis; ita hic mendaciorum omnium architectus. Hac mentiendi arte decepit primos nostros parentes. Sic etiam ipsum Dominum mendaciis illaqueare aggressus est, cũ illi omnia regna mũdi promisit. Idem modò vitiorum viam iucundam & planam, honestatis autem & virtutis, asperam & difficilem esse fingit, quo nos à salutis & immortalitatis via ad turpitudinis & mortis præcipitium trahat. Hæc igitur prima huius erroris causa.

1. Cor. 13. | *Psal. 96.* | *Iusti anima paradisus.* | *Psal. 44.* | *Genes. 2.* | *Matth. 4.*

Altera est, quæ ab eodem etiam auctore proficiscitur: qui non modò mentiẽdo, verùm etiam necessaria reticendo atque tegendo, iudicium de rebus inuertit. In virtutibus námque ei solùm, quæ prima fronte asperitatem quandam præ se ferunt ante oculos ponit, nempe carnis macerationem, affectuũ co[...]

Diaboli dolus qualis.

hibitionem, voluptatum odium, & alia his similia: cælestium verò donorum, & paracleti Spiritus delicias atque solatia tegit & abscondit. In vitiis verò contrà, ea tantummodò, quæ cupiditatibus & sensibus nostris aliqua voluptatis specie blandiri videntur, improborum oculis subiicit; amarissimos autem huiusmodi voluptatum fructus & mœrores, qui ex eis consequuntur, abscondit. Quod quidem fraudulenti Oratores in causis efficere solent, qui ea solùm quæ profutura putant, non modò referunt, sed etiam amplificant, & quasi oculis spectāda proponunt, & in eis diu commorātur: quæ verò nocitura sunt, quamuis verissima sint, ne attingunt quidem. Hanc eandem serpentis antiqui fallaciam, vel deprauatæ mentis cæcitatem in querimonia filiorum Israël cōtra Dominum (quòd eos solo Manna, non etiam carnibus, cæterisq́ue terræ fructibus in deserto aleret) apertè cernere licet. Sic enim queri cœperunt: *Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium quos comedebamus in Aegypto gratis: in mentem nobis veniunc cucumeres & pepones, porrique, & cepæ, & allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Manna.* O stupidi & amentes homines! Hoc solùm ex anteactæ vitæ tēpore vobis in mentē venit, quòd carnes & cucumeres atque pepones in Aegypto edebatis? nec tamen in mentem venit Aegyptiorum odium, quomodo vos in tam intolerabili seruitute detinuerint, quàm crudele Pharaonis imperium sustinueritis? & quomodo filios vestros crudeliter interfecerint? Cæcus homo & stolidus pro rebus nihili innumera penè mala atque incōmoda deuorare cōpellitur. Hoc exemplū, Auditores, ad viuum nobis improborum hominum cæcitatē repræsentat: qui in carnali vita exiguam voluptatis illecebrā solùm attendunt; ingentia verò mala, quæ illam sequuntur, non considerant. Simili quoque ratione labia meretricis, velut fauum stillantem oculis imprudentium obiicit: nouissima autem eius, quæ sunt amara velut absinthium, & acuta quasi gladius biceps, ab adspectu subtrahit. Ob hoc enim non solam scorpionis faciem blandientem, sed caudā etiam aculeo armatam, diligenter obseruare monemur. Vide ne diaboli dolis & imposturis capiaris. Vt igitur ad id, quod initio proposuimus, recurrat oratio, hæ sunt causæ, quibus delusi homines, in perniciosissimū hūc errorem à dæmone coniiciuntur, vt asperam atque horridā virtutum viam esse arbitrentur. Est quidem vita hominis militia super terram; at improborum hominum vita multò est difficilior & asperior. Porrò autem, quicquid in piorum vita difficile

Causidicorum mores

Num. 11.

Malorum ingenium quale.

Prouerb. 5.

Mulier impudica vitanda.

atq; laboriosum est, id superna diuini Spiritus gratia, charitatis ardor, atque diuina solatia, & futuræ mercedis spes miro modo mitigant atque molliunt. Hac igitur veritate patefacta, Auditores, vias impiorum difficiles deseramus, & viam mandatorum Dei alacriter curramus, quæ præter diuinæ gratiæ adiumenta, quæ nobis tribuit in hac vita, immortalē gloriam, & sempiternam felicitatem in altera pollicetur. Collige plura.

Catonis sententia. Cogitate animis vestris, si quid vos per laborem rectè feceritis, labor ille à vobis citò recedet; bene factum à vobis, dum viuetis, non abscedet. Sed si qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas citò abibit, nequiter factum illud apud vos semper manebit.

DOMINICA QVARTA POST PASCHA, CONCIO, IN QVA LEctio Euangelica explanatur; & quibus virtutibus ad Spiritus sancti aduentū præparari debeamus.

THEMA. *Cùm autem venerit ille, arguet mundum de peccato, de iustitia, & de iudicio.* Ioan. 16.

DVo sunt, Auditores charissimi, quę in omnibus operibus suis captare præcipuè Dominus solet: nēpe nominis sui gloriam, & vtilitatē, atque salutē nostram: nec enim alterum ab altero diuelli vnquam patitur. Quòd si homines ita se gerāt, vt salutem sibi oblatā respuant, hoc tamen semper assequitur, vt nominis sui gloriam illæsa permaneat: dum per illū non stat, quo minus homines salutem suam si animū intendere voluissent, cōsequerentur. Hoc propositis exēplis aperiemus. Ob peccata permisit Deus mūdum per diluuiū interire; at iustitię præconē Noë præmisit, qui tum fabrica insoliti operis, centū viginti annorū spatio, tū doctrina & admonitione agendæ pœnitentiæ adhortaretur, vt ad meliorem vitā redirent. Quod vbi non successit, omnes ad flagitia sua debitas scelerū pœnas persoluerunt. Dei tamen gloria, hoc est, iustitia eius & misericordia in hoc opere claruerunt: iustitia, quòd sontes puniuit: misericordia, quòd eos opportuno tempore periculi sui admonuit. Simili modo cùm Hierosolymorum ciuitas propter varia eius crimina ferro & flāmis vastanda esset: Hieremiā Prophetam destinauit, qui eos commone

Damnationis nostræ causa nos sumus. Genes. 1.

Hierusalē interitus.

monefaceret. Tādem cùm audire noluissent, Chaldæis vastantibus, rebellionis dedit pœnas. Culpa sua misera interiit ciuitas. Sic discipulos suos in mundum ad prædicandum pœnitentiam & regnum cælorum misit: *Misit tanquam agnos inter lupos; & voluit, vt vbi non fuissent recepti, etiam puluerem excuterent calceamentorum, in testimonium illis, vt essent inexcusabiles in die iudicij.* Hoc Dominus in omnibus operibus præcipuè intendit. Hoc agit in præsenti lectione, cùm ait, Spiritum sanctum arguere debere mundum de peccato, de iustitia, & de iudicio: de peccato commisso, de iustitia neglecta, & de iudicio iam facto, quo videlicet mundi princeps è medio sublatus fuit. De his igitur ita Spiritus sanctus per os omnium Sanctorum arguet mundum, vt facilè ostendat, nihil à diuina prouidentia (quod ad eorum salutem pertineret) fuisse prætermissum: ideò sceleratos ipsos sibi perditionis suæ causam, non Deum exstitisse. Quia iam festum Spiritus sancti instat; vt ad illud præparari possitis; confugiendum ad Deum in precibus.

Matt. 10.

AVE MARIA.

PRIDIE eius diei quem Dominus ac Saluator noster destinarat, vt passionis suæ calicem hauriret, hoc est, ipso die quo in manu impiorum, duce apostata discipulo, tradendus erat, multa cum discipulis ad salutem nostram maximè necessaria egit. Agnum enim Paschalem iuxta legis ritum cum illis cœnauit, pretiosissimíq; corporis & sanguinis sui Sacramentum instituit: pedes discipulorum in memoriale altissimæ humilitatis suæ lauit exemplum: dulcissimis verbis de abscessu suo mœrentes consolatus est, & ad futuros labores animauit. Huius autem Sermonis pars quædam præsentis Euangelij lectio est, in quo Dominus & de præparatione ad Spiritum sanctum excipiendum, & de officio, quod per eos in mundo exercere debebat, apertè differit. Ait igitur:

Christus in cœna qd egerit.

Vado ad eum qui me misit, & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis? Hac forma loquendi, mortē suam Dominus significare voluit, quo verbis huius acerbitatem leniret, minúsque discipulorum pectora, illata mortis mentione, feriret. Sed quãuis hoc verbo mortis suę horrorem texisset, discipuli tamen, qui illum impēsè diligebant, quíque spes omnes & opes suas in vno illo repositas habebant, grauiter hoc verbo sauciati sunt. Hac in re mirãda Christi Domini charitas elucet, qui eo ipso die, quo in manus hostiũ discipulis fugiētibus tradendus, excarnificādus,

&

& mille modis cruciandus erat, sui quodammodo oblitus (qui hoc magis solatio quàm illi dignus erat) de discipulorum mœstitia solicitus, eam multis modis lenire curauit. In quo sanè apparet, veram charitatem magis alienis incommodis quàm suis angi & solicitari. Æquum erat, vt discipuli, qui omnia ob magistri contubernium reliquerant, tristarentur; ut eo discedente, bona simul omnia perdidisse arbitrarentur. Hac ergo de causa eos Dominus in præsenti lectione incipit consolari. *Tristitia*, inquit, *impleuit cor vestrum.* Implendi verbo vehementem animi tristitiam atque consternationem significare voluit. Quo ergo solatio, Domine, charissimorum filiorum tuorum pectora consolaris? Magno certè: quòd videlicet vestrum hoc meo discessu negotium agatur. proficiscor enim, vt appaream vultui Dei pro vobis, & Paracletum, hoc est, consolatorem, monitorem vobis è cælo demittam, qui suggerat vobis omnia quæcunque dixero vobis. Cur igitur hunc meum discessum lugeatis, qui vobis tantorum bonorum causa futurus est? *Expedit enim vobis, vt ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.*

Charitas vera quæ sit.

Implere quid.

Quoniam autem in singulis sanctarum literarũ verbis mysteria latent, non possumus hoc in loco Paracleti nomen silentio præterire. Paracletus autem consolatorem significat. Quod quidem nomen Spiritui sancto Christus Dominus tribuit: quoniam inter alia officia, hoc maximè hominibus salutare, amabile, & iucundum est. Est quidem Paracletus nõ omnibus, sed piis hominibus: nõ eis qui virtutem asperam atque insuauem arbitrantur, qui vitia cõtrà dulcia & iucunda putant. Nam quoad alia omnia, satis constat, virtutem esse rebus omnibus anteferendam: est enim honestior, vtilior; imò nihil aliud præter vnam virtutem laudabile. Datur hominibus piis Spiritus sanctus; cuius singulare munus & officium est, spiritualibus eos deliciis reficere & consolari, ne in hac parte voluptuosis hominibus inferiores sint, néve terrenarũ voluptatum amore, à recto virtutis tramite deducantur. *Quia enim,* vt diuus Gregorius ait) *esse sine delectatione animus non potest (nam aut in infimis delectatur, aut in summis) diuina prouidentia, quæ homini ad salutem deest, cælestibus, spiritualibúsque deliciis piorum mentes recreat & consolatur: quo iis inescati atque refecti, omnes alias carnis mundique delicias fastidiant, & pro nihilo ducant.* Rectè enim diuus Bernardus: *Cui Christus incipit dulcescere, necesse est vt amarescat mundus. Gaudium mundi à mundo & à carne proficiscitur; gaudium verò Dei, de Deo*

Paracletus quid sit.

Virtus omnibus rebus anteferenda.

Gregorius.

Bernardus

& à Deo manat. De quo sic diuus Augustinus: *Est gaudium quod non datur impiis, sed eis qui te gratis colunt, Domine: quorum gaudium tu ipse es: & ipsa est beata vita, gaudere ad te, de te, propter te: ipsa est, & non est alia.* Quis nisi Spiritus sanctus illos Anachoritas in deserto consolatus est? Vide magnum illum Antonium, qui viginti annis in cellula quadam sine vllo hominum contubernio perdurauit, & sola aqua & pane, eoque arido, victitauit. Vide item Paulum Eremitam. Si velimus rem exactiùs perpendere, constat ex Sanctorum exemplis & testimoniis, tum ex ipso Paracleti nomine, maiores in via Dei, quàm in via mundi, esse delicias. Hæc igitur ignorantia, Auditores, totius humanæ prauitatis causa est. Si enim voluptatum amatores huius Paracleti delicias experti essent: haud dubium, quin protinus voluptatibus cunctis seculi contemptis, totos se ad diuina conuerterent. Quamdiu in corpore vita manet, aliquo sese indicio prodat necesse est. Sic igitur nullibi Paracletus erit, quin aliquo saltem indicio & coniectura se prodat. *Nunquid*, ait Salomon, *potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta eius non ardeant?* Hæc enim ignis similitudo in hoc etiam cælesti igne locum habet. *Si quis*, inquit Apostolus, *non habet Spiritum Christi, hic non est eius.* Iam Paracleti nomine exposito, cætera eius officia explicare incipiamus. De his continuò subdit Dominus:

Augustinus in Cõfess.

Athanasius de S. Antonio.

Deliciæ veræ vbi quærendæ sint.

Prouer. 9.

Roman. 8.

Cùm autem venerit ille, arguet mundum de peccato, de iudicio, & de iustitia. Iam nũc quid Apostolis Spiritus sanctus præstiturus, quidque per eos effecturus sit, incipit aperire. Primùm enim arguet mundum. Arguere aliquem, est ita illum obiurgare, vt apertissimis etiam rationibus patrati sceleris conuincas. Hoc igitur modo Spiritus sanctus per Apostolos mundum tribus de rebus arguet. Primùm quidem de peccato. Quod autem illud peccatum sit, declarat protinus, cùm ait: *Quia non crediderunt in me.* Quomodo autem de hoc peccato per Apostolos mundum arguet? Nimirum, quia talia per eos signa & prodigia edet, adeoque magnifica opera, & omnem naturæ vim superantia patrabit, vt quisquis incredulus fuerit, nullum incredulitatis suæ velamen prætendere valeat. Ad illos námque Dominus dixit: *Qui in me credit, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora faciet.* Quam quidem promissionẽ in Apostolorum Principe impletam videmus, qui sola corporis sui vmbra languentes sanabat: quod de Domino Saluatore nõ legimus. Talibus ergo signis iure mundum, hoc est, infideles, incredulitatis arguet, qui veritatem cælesti testimonio, diuinisque operibus

Arguere quid sit.

Ioan. 14.

Actor. 5.

confirmatam recipere noluerunt. Spiritus sanctus ergo pios consolatur, improbos arguit. Infidelitatis peccatum omnium est seminarium. Fides Catholica clarissimarum virtutum, signorum, & donorum cælestium operibus est confirmata. *Hæc enim*, vt Apostolus ait, *ab iis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis, & virtutibus, & variis Spiritus sancti distributionibus secundùm suam voluntatem.* Fidem maximè illustrauit, quando in Apostolica pectora effusus est, vt homines abiecti & illiterati peritiam linguarum, & fidei constantiam sint consecuti. His donis instructi totum penè mundum peragrantes, tot edentes signa, vt ad veræ pietatis & iustitiæ cultum ita conuerterent homines, vt abdicatis seculi honoribus, & voluptatibus corporis, se totos cælestium rerum studio addixerint, & pro hac fide ac pietate mille mortis genera alacri & constanti animo subire non recusarint. Per hos igitur paucos piscatores, literarum rudes, principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, & ex durissimis lapidibus noui surrexerunt filij Abrahæ. Hac ratione Deus Israël, qui in angulo Iudææ solùm notus erat, Deus omnis terræ vocatus est. Meritò ergo his omnibus Spiritu cooperante impletis, infidelium perfidia coarguitur, dum nihil habet, quod meritò prætexere possit, & quo se valeat excusare. Nūc videamus, quomodo fideles improbos de iudicio arguant & iustitia. Sciēdum quòd Saluator iter in cælum, quod asperū anteà & difficile ad ingrediendum erat, ipsa opera & virtute sua planissimum effecit. Hoc enim illa Esaiæ verba pollicentur: *Erunt praua in directa, & aspera in vias planas.* Hanc autem mandatorum Dei viam duo potissimùm difficilem reddebant: alterum diuinæ legis pondus, quod grauissimum erat: alterum, hostis nostri potentia, & immanitas, qui nos summa contentione à diuinæ legis cultu auocabat. Atque ita quod per se satis graue & laboriosum erat, suoque pōdere à se homines alienabat, longè grauius dæmonis astu & potentia efficiebatur, qui nos ab eo studio reuocabat. Quo factum est, vt quàm paucissimi essent, qui eo tempore iustitiam & pietatem sincera mente colerent. Hæc igitur duo maxima itineris huius impedimenta Saluator noster perfectissimè sustulit: *qui*, vt Hieremias ait, *fecit iudicium & iustitiam in terra:* quorum altero, hostis nostri potentiam fregit; altero, legis oues grauissimum leuigauit. *Princeps mundi huius iam iudicatus est.* Scitis principem huius mundi diabolum appellari. Est autem princeps non quidem iure, sed tyrannide: hoc est, non legitimi dominij potestate, sed praua

Fides Catholica cōstabilita est.
Hebr. 2.
Apostoli quid fecerint.
Psal. 46.
Matth. 5.
Esa. 40.
Viam Dei difficilem qui reddiderit.
Princeps mūdi quis.

illi subiicientium voluntate. Scitis enim principem hunc ante Christi aduentum in vniuerso mundo (præterquam in exiguo Iudææ angulo) à cunctis Regibus & Principibus, atque adeò ab vniuerso penè mortalium genere coli & adorari solitum. Hic ergo magnus Leuiathan, potentissimus draco, genus hominum fraudibus suis decipiebat, à veritatis & salutis via reuocans, in regnum suum, hoc est, ad inferos, pertrahebat. Arma eius erãt, caro nostra, quæ prona ad malum ab adolescentia sua. Arma eius etiam erant Principes terræ, qui idololatriam vindicabant, id est, principis huius honorem. Ad hoc igitur vnigenitus Dei Filius in mundum venit, vt ab hac tyrannide mundum liberaret, & hunc tyrannum extra mundum profligaret, quod planè per crucem & mortem suam effecit. Per mortem eum destruxit, qui mortis habebat imperium: atque ita liberauit eos, qui metu mortis per totam vitam obnoxij fuerant seruituti. Hoc autem ita futurum esse, multis antè seculis Esaias pronunciauit: *In illo die visitabit Dominus in gladio suo duro,* &c. Hunc Dominus fortem armatum appellat: sed fortior eo, vicit eum; hic eius potentiam contriuit. Hic princeps infirmus iam iudicatus est atque damnatus crucis Christi potestate. Qui se suo vitio subiecit illi, in se prauitatis suæ culpã referat. Non enim illum fortitudo sua, sed ignauia nostra potentem facit. Nunc quomodo arguet mundum de iustitia? Hoc in loco eam iustitiam intelligimus, quam Christus Dominus attulit in mundum, quæ iustitia fidei, siue Euangelij nuncupatur. *Vt,* inquit Daniel, *finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna.* De hac & Psalmista ait: *Notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam.* Vide iustitiam legis & Euangelij. In lege erat præceptorum maxima multitudo. *Quare,* ait Petrus, *tentatis ponere super ceruices fratrum iugum quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus?* Erant & egena & vacua elementa, quæ gratiam dare non poterant. Lex quoque cultoribus suis bona terræ pollicetur. In Euangelio præmium cælestis regni, id est, æterna beatitudo proponitur. *Ecce merces eius cum eo,* scriptum de Domino Iesu, *& opus illius coram illo,* id est, operis merces. Multitudo quoque præceptorum per mortẽ Christi mortua & sublata est, & in vno dilectionis præcepto comprehensa, dicente Apostolo: *Qui diligit, legem impleuit. Plenitudo enim legis est dilectio. In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque preputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur.* Precepta Euangelij non sunt vacua & egena elemẽta,

Genes. 3.
Arma principis diaboli.
Esa 27.
Luc. 11.
Iustitia quid.
Daniel. 9.
Psal. 97.
Actor. 5.
Manus Moysis graues erant.
Galat. 4.
Esa. 40.
Rom. 13.
Galat. 5.

sed gratia plena & fœcunda, quæ continent gratiam, eamq́ue dignè suscipientibus plenè conferunt. Est enim Christi Euangelium cælestis nunciatio, quæ Lex gratiæ nuncupatur. Est autem eius opus, mentem hominis Deo gratam & amabilem, atque adeò diuinæ naturæ consortem efficere. *Dabo*, inquit Dominus, *leges meas in mentibus eorum, & in cordibus eorum scribam eas.* Videmus quòd gratia hæc languentem voluntatem & erudiat, & moueat; vt, quod rectè intellexit, efficiat. Sanauit igitur Christus naturam, vireśque per gratiam contulit ad laborem. Hæc est ergo iustitia, quam per mortem suam Christus attulit in mundum, qua, quicquid in veteri lege desiderabatur, cumulatissimè præstitit; vt iam nihil prorsus habeat ignauus homo, quo inertiam suam tueri possit.

Euangelium Lex gratiæ.

Hiere. 31.

Homo inexcusabilis.

Quæ cùm ita sint, meritò Spiritus sanctus mundum arguet non solùm de iudicio, sed etiam de iustitia ab improbis hominibus neglecta, quam Christus attulit in mundum, quamq́ue ipsi facilè consequi potuissent. *Quia*, inquit, *ad Patrem vado, & iam non videbitis me.* Ad Patrem ire, est ad mortem ire. Arguet mundum Spiritus sanctus de iustitia, quam ego iam iam per mortem meam in mundum allaturus sum. Antèquam à Patre in hunc mundum missus essem, spes omnis salutis in aduentu meo constituta erat. Iam Messias venit, iam omnia salutis adiumenta atque promissa hominibus exhibita sunt, nihilq́ue aliud superest expectandum. Nihil est quod mundus vel exspectare, vel excusare possit. Idem erit iudex vitæ nostræ, qui fuit salutis ac libertatis vindex. Qui omnia contulit, nihil nobis, quo ignauiam nostram tueri possemus, reliquit. Scimus qui dixit: *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Qualis ergo illa vindicta erit? hoc est, qua sententia feriendi sunt, qui oblatam salutem, tam caro emptam pretio, nempe sanguine testamenti, teste eodē Apostolo; hoc est, vnigeniti Filij Dei morte & sanguine partam, nefariè & impiè contempserint? *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit*, &c. Ille qui est omnium artifex, omnem habens virtutem, opportuno tempore vobis tradet. Temeritas hæreticorum contunditur, cùm videamus multa quæ ex Spiritus sancti traditione Apostoli didicerunt, quæ nondùm à Christo Domino fuerant propalata. *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis*, &c. Antea illum vocauerat Paracletum, modò Spiritum veritatis, qui mētem erudiat, & veritatis luce perfundat. Veritatis luce egemus, ne tetris spiritualis Ægypti tenebris oppressi, in varios errores & præcipitia incidamus. Multi multa sciunt, seipsos igno-

Rom. 12.

Hebr. 12.

Sciētia vera quæ.

ignorant; neque vitæ finem, neque iter, quo ad illud itur, nisi alieno magisterio docti, agnoscunt. Ad stabilitatem & firmitatem perceptæ veritatis, cælestis huius Magistri auctoritas necessaria est: *ne circumferamur omni vento doctrina*, sed illam magis stabilitatem sectemur, quam nobis Ecclesiasticus commendat, cùm ait: *Esto firmus in via Domini, & in veritate sensus tui & scientia.* Sic Caleph & Iosue aduersus sexcenta hominum millia, huic ipsi veritati firmiter adhærentes, sese opposuerunt: ipse Noë aduersus totius orbis cõsensum iustitiam colere & retinere potuit. Hunc igitur veritatis Spiritum assiduis precibus & lacrymis petamus; vt eius virtute roborati, eam in pietatis & iustitiæ proposito constantiam retineamus, quam nec vllæ carnis nostræ illecebræ labefactare, nec vlla denique terrenæ prudentiæ argumenta deducere à mente possint.

Ephes. 4.

Eccles. 5.

DE PRÆPARATIONE AD SPIRITVS SANCTI ADVENTVM.

Expedit vobis vt ego vadam: si enim non abiero.

Hoc diuino consilio & decreto statutum est, vt non essent duo simul in hoc mundo cõsolatores, alter visibilis, alter inuisibilis: sed vt visibilis subtraheretur, quo inuisibilis mitteretur: vt hac ratione pij omnes intelligerent, quàm magnum voluptates & consolationes seculi, & lauta vita ad cælestis huius Spiritus consolationes percipiendas impedimentum præstarent. Ad illos potissimùm Spiritus sanctus venire solet, qui omni humano auxilio destituti, spem omnem suam in sola eius misericordia posuerunt; qui ab vno illo pendent, quique illius opem & auxilium semper implorant. De his enim dicitur: *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.* Hanc orbitatem & solitudinem suam Propheta Domino repræsentat, quo eum ad misericordiam flectat: *Erue*, inquit, *à framea Deus animam meam: & de manu canis vnicam meam*, hoc est, omni humana ope destitutam, tibique vni reseruatam. Hoc exemplum illos potissimùm consolatur, qui variis calamitatibus, morbis, & inopia premuntur: præsertim cùm hæc incommoda æquo animo ferunt. Hanc autem diuinæ consolationis dulcedinem Daniel Propheta, sese propter Deum affligens, expertus est, cui ab Angelo dicitur: *Noli timere Daniel, quia ex primo die quo posuisti cor tuũ, vt affligeres te in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua.* Hos ergo qui ita lugent, qui ita à se carnis abdicant

Spiritus sãctus quos inhabitare soleat.

Psal. 10.

Psal. 21.

Dan. 10.

Spiritus sãctus quos cõsolatur. *Præsentia Christi obfuit.*

oblectamenta, Spiritus hic diuinus visitat, reficit, consolatur, mirisque deliciis recreat, quibuscum nullæ huius mundi deliciæ comparari possunt. Quid enim putida caro & sanguis ad Spiritus sancti delicias? Nunc ad vos, Auditores. Si hæc tam sancta consolatio, quam humanitatis Christi præsentia pariebat, quòd aliquid haberet corporeum atque visibile, nonnihil impedimenti præstabat ad diuinas Paracleti Spiritus consolationes recipiendas: quid quæso faciet densissima illa nebula, aterque fumus terrenarum cogitationũ, mẽtis oculos perstringens? quantò hæc maiorẽ diuino spiritui obicem ponet? Diuus Gregorius in Moral. ait: *Tantò quisque à superno amore disiungitur, quantò inferiùs delectatur.* Idemque: *Seculares mentes quantum se foris per desideria dilatant, tantùm ad receptionem diuini Spiritus, sinum cordis angustant.* Quisquis igitur cælestis huius Paracleti deliciis frui desiderat, omnibus carnis & vitæ huius deliciis renunciare contendat. Qui verò contrà faciunt, omnem hanc Paracleti Spiritus cõsolationem (quamdiu sic permanent) à se repellunt. Quis enim medicum in domum sani & valentis; aut quis chirurgum ad integrum & nullo vulnere sauciatum mittat? Multò ergo minùs Deus cælestem hunc consolatorem in animam terrenis consolationibus affluentem destinabit. Qui carnalibus affluunt deliciis, spirituales minimè quærunt. Spirituales viros esse debere liquet, qui diuini Spiritus deliciis circunfluere debent. Ad hoc D. Petri verba valent: *Obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos abstinere à carnalibus desideriis, &c. Duo amores,* inquit diuus Augustinus, *alter bonus, alter malus, alter dulcis, alter amarus, non se simul in eodem capiunt pectore.* Quamobrem illi, qui terrenarum rerum amore in terram defixi sunt, hoc cælesti beneficio frui minimè possunt. Quoties ad terrena immoderato amore conuertimur, toties à diuinæ lucis splendoribus auertimur. Quicunq; igitur diuinæ lucis radiis perfrui volumus, ab huius seculi amore animum auocantes, Deum semper intueamur, diuina mente & cogitatione versemus, laboresque, honestatis gratia, non horreamus. Quorsum ad hos venire debeat Consolator, qui carnis consolationibus oppleti sunt? Voluptas mundi, quid aliud, quàm fel aspidum est? Cuius amaritudo si modò non sentitur, erit tamen vbi amaritudinem suam ostendat. Adsit nobis Christus Saluator cum Paracleto. Amen.

Gregorius in Moral.

1. Petr. 2.

Augustin. *Amores duo quid.*

DOMI

DOMINICA QVINTA POST PASCHA, CONCIO, IN QVA EVANGElica lectio explanatur.

THEMA. *Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.* Ioan. 16.

SI rectè meministis, Auditores, omnes ferè sancti Euangelij lectiones, quæ hoc Paschali tempore Dominicis diebus propositæ ab Ecclesia sunt, magnopere sacri huius temporis rationi conueniunt. Est enim tempus hoc spirituali lætitiæ consecratum: quod illa vox Alleluia, lætitiæ spiritualis index (quæ toties inter diuinas laudes repetitur) facilè declarat. Lectiones porrò Euangelicæ non terrorem aliquem, sed ineffabilem Christi charitatem, & Paracleti Spiritus dona & solatia continent; quibus Dominus discipulorum suorum mœrorem (qui illis ex suo discessu acciderat) lenire curabat. Hodierna verò sancti Euangelij lectio non illos modò, sed nos omnes ita consolatur, vt vix in ea vllum verbum sit, quod non ingentem nobis fiduciæ, lætitiæ & consolationis materiã præbeat. *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrẽ in nomine meo, dabit vobis.* Quid his verbis dulcius? quid opulentius? quid mirabilius? Si enim Rex aliquis summa liberalitate erga familiarem aliquem amicum vti vellet, quid illi amplius præstare posset? Hoc autem Dominum vni Salomoni præstitisse legimus, cui post magnificentissimã templi fabricam, post tot multorum pecudum sacrificia, iussit, vt quicquid vellet, ab ipso postularet. Elias verò ex hoc seculo migraturus, dilectissimo discipulo ait: *Postula à me quod vis, vt dem tibi.* Hoc igitur, quod tam raro inter homines contingit, in præsenti lectione non vni alicui amico, non dilectissimis discipulis solùm, sed omnibus in commune fidelibus Dominus exhibet, cùm ait: *Amen amen,* &c. Ostendit promissionis suæ certitudinem, & fidei nostræ imbecillitatem voluit roborare. Quantum ergo hac Dominica promissione fiducia nostra roboratur? quantum etiam socordia reprehenditur, qui adeò paratam & promptam Domini misericordiam repudiamus? Vt enim D. Chrysologus ait: *Petentis negligentia reprehenditur, vbi de dantis misericordia non dubitatur.* Danda, Auditores, opera est, vt cùm petimus, aliquid petamus. Ait enim Dominus: *Si quid petieritis.* Vt enim D. Augustinus ait:

Euangelia solatio plena.

2. Reg. 3. Salomoni quid addictum.

Amen certitudinem sonat.

Chrysologus.

Petenda quæ bona. *Plato.* *Sapien.7.* *Bona quæ petenda.*

Non petit aliquid, qui fugitiuos honores, aut perituras diuitias, cæteráque terrena & interitura bona petit: quæ non vera & expressa bona, sed bonorum vmbras & simulacra esse, Plato quoque testatus est. Certè spiritualibus rebus collata, nihil sunt; sicut Sapiens ille docuit, qui diuitias in comparatione sapientiæ nihil esse dixit. Aliquid ergo, hoc est, vera, solida, & sempiterna bona, quæ Deo digna sint, petere debemus. Dedecore & ignominia magnũ Principem afficit, qui exigua ab eo munuscula petit. Cùm ergo aliquid ab eo, cuius sunt omnia quæ in cælo & in terra sunt, quique, vt multa donet, donando tamen nihil amittit, petimus; non paruitatem nostram, sed illius amplitudinem, maiestatem, liberalitatem, & opes immensas cogitare debemus; vt cõuenientia illius dignitati dona postulemus. Sic Iosue Solem trium horarum spatio â cursu suo retardauit. Hinc inquit Bernardus: *Nihil est quod omnipotentiam Verbi clariorem reddat, quàm quòd omnipotentes quodammodo faciat sperantes in se.* Hinc illa Pauli vox: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Quoties oratione sua Moyses iram Domini indignantis auertit, ac penè cruentum è manibus eius gladium arripuit! Ad Hieremiã verò ait: *Tu ergo orare noli pro populo hoc, & ne assumas laudem & orationem pro eis, & non obsistas mihi.* Dominus est, cui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur. Illa autem est oratio quæ impetrat, nempe quæ fide munita, charitate incensa, piis desideriis incitata, bonis operibus adiuta, atque humilitatis præsidio subuecta, potenter ad superiora sustollitur. Non enim Dominus ad multiloquium, mente & deuotione vacuum, sed ad multam fidem, magnam charitatem, & anxia petentium desideria solet attendere. Paucis quidem verbis, sed magno affectu Anna orauit, & oratione sua sanctissima à Domino filium Samuelem impetrauit. Ideò non mirum si non exaudimur orantes, qui adeò frigidè & languidè orare solemus. Dãda nobis est opera, vt orantes cum Propheta verè dicere possimus: *Clamaui in toto corde, exaudi me Domine. Si quid,* inquit, *petieritis Patrem.* En aliud fiduciæ atque solatij plenissimum verbum: quòd videlicet non Deum, non Dominum appellat, sed Patrem eum, à quo petere iubet: nec Patrem meum dicit, sed in commune Patrem. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum,* erat dicturus. Qui enim illi Pater erat ab æterno, per naturam, Patrem se nobis misericorditer exhibuit in tempore per gratiam. Quanti quæso dignitatem hãc Ioannes Euangelista æstimabat, cùm diceret: *Videte qualem chari-*

Iosue 19. *Bernardus* *Philip.4.* *Hiere.7.* *Oratio efficax quæ.* *1.Reg.1.* *Psal.118.* *Orandi fiducia.* *Ioan 20.* *Ioan.3.*

charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus? Quæ cùm ita sint, si Deus omnipotens Patris sibi nomen vindicauit, nobisque filiorum nomina imposuit: consequens est profectò, vt se Patrem amore & beneficiis exhibeat. Quid metuere, vel in media morte debeat, qui talem iuxta se vigilem & vindicem libertatis habet? Hic nouit nostras necessitates, qui nihil non nouit: potest mederi calamitatibus, qui nihil non potest. Hæc tria in summo illo rectore & parente habes, nempe scire, posse, atque velle: quid amplius ad felicitatem tuam requiris? Itaque cum Propheta dicam: *Ego quidem mendicus sum & pauper, Dominus solicitus est mei.* Sequitur deinde aliud, quod non minorem nobis spem atque solatium adfert: *Si quid*, inquit, *petieritis in nomine meo.* Huius verbi occasione ingentem Christianæ religionis thesaurum ostendere possumus, sed breuiter respondebimus. Dominus se medium offert, cùm nominis sui sanctitatem, cùm meritorum suorũ magnitudinem, & immensam erga se Patris charitatem nobis ob oculos ponit, ne trepidaremus. Multũ potuit Moyses apud Deum, multum Abraham; at Vnigenitus multò plus valebit. *Hic est Agnus immaculatus, hic est propitiatio pro peccatis nostris.* Per illum ergo Pater æternus nos sibi conciliat, per illum peccata condonat, per illum regni sui hæredes instituit, per illum sceleribus nostris propitiatur, per illum denique omnia, quæ primi parentis vitio collapsa fuerant, cumulatè reparantur. *Si quid* igitur *petieritis in nomine meo*, hoc est, propter merita mea & ad nominis mei laudem. Christus enim Dominus, non modò Sacerdos noster est, semper viuẽs ad interpellãdum pro nobis; sed etiam sacrificium & salutaris victima est, quã pro impetranda salute offerimus. Ioannes Christum Dominum appellat Agnum occisum ab origine mundi, quoniam ob futuram eius mortem Pater cælestis varia in omne genus hominum ante eius aduentum beneficia contulit. Quin & primam gratiam qua homines iustificantur, quamque nemo mereri potest, ipse nobis promeruit. Quo fit vt omnes, qui à peccato ad gratiam vocantur, propter illius gratiam & merita vocentur. In cuius rei signum inter ea quæ ad impij iustificationẽ requiruntur, fides in Christum cum primis numeratur, qua profitemur atque testamur nos ob eius merita & gratiam à Deo Patre vocari & iustificari. Nec solùm hæc prima gratia, sed cæteræ denique, quæ ad finem vsque vitæ pios prosequuntur, atque adeò ipsa Dei electio & prædestinatio ob illius nobis gratiam contingit, Apostolo testante, qui ait prædestinatos omnes ante

Parens Deus quid potest.

Psal. 91.

1. Ioan. 2.

Christus nobis omnia donat.

Apoc. 13.

Christus Agnus occisus.

Fide iustificamur.

Ephes. 1.

mundi constitutionem per ipsum electos fuisse, vt essent sancti & immaculati coram illo, eosdemque omni benedictione spirituali per ipsum fuisse donatos. Deinde hoc etiã illi concessit, vt nullus mortalium veniam & gratiam suppliciter ab ipso propter eius merita peteret (si tamẽ debitè & religiosè peteret) quã non protinus impetraret, etiamsi innumeris peccatorũ debitis obstrictus esset. Hoc etiã in vnigeniti Filij gratiã statuit, vt quicunque diuinis muneribus ac beneficiis affecti essent, Vnigenito pro perceptis beneficiis agerent gratias: quando in eius gratiam talia eius munera concessa sunt. Hoc est enim quod Apostolus significauit, cùm dixit, *in nomine Iesu omne genu flecti debere, cælestium, terrestrium, & infernorum*, quoniã quicunque fideles, siue in cælo beantur, siue in terra iustificantur, siue igne purgatorio expiantur, illius beneficio salutẽ & vitã consequuntur. Bona omnia, quę in nos Pater cęlestis cõfert, Christus Dominus obedientia sua promeruit. Videmus quantũ fructus granum illud tritici in terram profectum cõtulerit. Sed quid miramur, hæc à Patre in Filij sui gratiam fieri, qui Abrahæ obedientiam (qua is vnico filio non pepercit) innumerabilium filiorum propagatione remunerari? Hæc igitur, Auditores, à me dicta sunt, vt vestram in oratione fiduciã alerem, quæ tam firmo ac solido meritorũ Christi nititur fundamẽto. Hac igitur de causa discipulos suos Dominus monet, vt per hoc sanctissimũ nomen à Patre petant, quicquid impetrare velint. Vnde ait: *Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo, petite & accipietis.* Nondũ plenè discipuli omnes Christi Domini dignitatem & gratiã agnoscebant, donec cælestis Spiritus magisterio edocti sunt: ideò nihil mirum, si in eius nomine non peterent, cuius nondum plenè gratiam & merita cognouerant. Quam eorum ignorãtiam rectè Dominus insinuauit, cùm subdit: *Hæc in prouerbiis locutus sum vobis.* Non enim prouerbia siue ænigmata erant, quæ Dominus locutus fuerat; sed rudibus tamen prouerbia sunt, quæ apud sapientes clara putantur. Hinc de rudibus seculi hominibus Saluator ait: *His autem qui foris sunt, omnia in parabolis fiunt:* non quòd ea, quæ dicuntur, parabolica, id est, obscura sint; sed quòd ipsi pectus habeãt cęcitatis & ignorantiæ velo contectum. Carnalibus hominibus, & in terram tota mẽte defixis, omnis de rebus spiritualibus commentatio velut parabolæ & ęnigmata sunt. Experimur in quotidianis cõcionibus, quòd quæ de diuinis, siue morte siue extremo iudicio, fit concio, videatur multis parabolæ. Nihil afficiuntur, à flagitiis non auocantur. Audiunt conciones, & tamen in sceleribus tota

Christo quid à Patre concessum.

Philip. 2.

Ioan. 12. Granum tritici q d attulerit.

Marc. 4.

Carnales quid sapiant.

tota vita obstinato animo perdurant. Si crederent verbo Dei, aliter essent affecti, sibi in futurum prospicerēt. Vtinam illius Anachoritæ dictum expenderemus: *Vnus gehennæ dies omnes totius vitæ meæ superat labores. Et nō dico vobis, quia ego rogabo Patrē de vobis, ipse enim Pater,* &c. His verbis quāta fuerit Dominicæ redemptionis & reconciliationis gratia, apertè monstratur. Aliud enim reconciliationis genus est, cùm is, qui reus agebatur, per se gratiam & veniam consequitur: aliud verò, cùm (exempli gratia) iratus seruo Dominus ad præstantis alicuius amici preces errata condonat, sicut Dauid patricidæ Absoloni ad preces Ioab veniam concessit: quem tamen ante conspectum suum venire prohibuit. Sic etiam Dominus amicis Iob se veniam daturum pollicitus est: *Faciē eius suscipiam, ne vobis stultitia imputetur.* At Christus Dominus longè alia ratione diuinam nobis amicitiam conciliauit. Non enim eatenus amicos Dei fecit, vt alio pro nobis aduocante, erratis nostris Pater cælestis ignosceret, neque tamen nobis sui adeundi copiam faceret; sed vtrumque nobis præstitit, vt & ipse, tamquam amātissimus Patris Filius, pro nobis intercederet, & nos ipsi quoque per illum filij & amici Dei effecti, illum adire, & pro nobis ipsis intercedere possemus. Filius enim Dei, dilectus dilectos, & Sacerdos, Sacerdotes, hoc est, deprecatores instituit, vt iā officij nostri sit, & pro nobis ipsis, & pro aliis etiam preces & victimas Patri offerre. Subiecítque causam: *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidisti,* &c. Quo ex loco intelligimus, tantū esse amorem, quo Pater diligit Filium, vt quisquis Filiū dilexerit, hoc ipso diligatur à Patre. Quod quidē Saluator alibi explicuit, cùm dixit: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum,* &c. Amat nos Pater, quia nos amamus Filium; cùm tamen à Patre accepimus, vt & Patrem & Filium amaremus. Hactenus de Euangelica lectione, nunc ad proposita thematis verba veniamus.

Anachoritæ respōsum.

Iob. 24.

Pater adeundus à nobis.

Ioan. 14.

TRACTATIO THEMATIS.

PETITE *& accipietis, vt gaudiū vestrum sit plenum.* Vt gaudij huius magnitudinem aliqua ex parte saltē intelligere possimus, sanctissimi cuiusdam viri animā ab hoc ergastulo corporis egredientem & cælestia regna penetrantē (qualis Lazari mendici, & Pauli Eremitæ, quem S. Antonius inter Angelorū cateruas vidit) nobis ante oculos proponamus. Hi, ac similes huiusmodi, in corpore inopem & laboriosam in præsenti tempore vitam duxêre, supernam tamen illam ciuitatem

Apoc. 11. ingrediuntur, de qua Ioan. in Apoc. ait: *Ipsa autem ciuitas aurum mundum* &c. Huius ciuitatis dulcedo facit, vt non solùm omnia quæcũque in mundo habẽtur pretiosa, contemnamus; sed vt ardua etiam & difficilia, propter eius amorem, qui nos hac tanta dulcedine recreat, aggrediamur. Sicut enim vrsi aluearia inuadentes, fauorum dulcedine allecti, facilè apum aculeos & vulnera patiuntur: sic sancti viri, hac cælesti dulcedine degustata, nihil sibi nõ aggrediendum aut ferendum propter illum putãt, qui se illis tam dulcem atque amabilem exhibet. Hæc eadem dulcedo legitimum castúmque Domini timorem ingenerat: ideóque eam Vates Regius à Domino postulabat, dicens: *Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.* Qui enim sic à Deo lætificatur, vt illi maximè inseruire desideret: ita vehemẽter illum vel leuissima in re offendere metuit, à quo tam dulci & amabili pabulo recreatur. Eadem quoque preces nostras efficaces & gratissimas Deo efficit, sicut idem ait: *Delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui.* Libenter enim Dominus eas preces audit, quæ non à languido & segni corde, sed ab alacri & deuoto proficiscuntur. Gaudiũ de quo agimus, Apostolus inter Spiritus sancti fructus numerat, dum ait: *Fructus autem Spiritus, charitas, gaudium pax,* &c. Idémque Dei regnum in hac vita tribus potissimùm rebus definit, nempe iustitia, pace, & gaudio in Spiritu sancto. Ad huiusmodi verò gaudium nos idem frequenter hortatur, cùm ait: *Gaudete, perfecti estote,* &c. Et adhuc instantiùs, *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete.* Ad idem nos Dominus hortatur, cùm ideò petere iubet, vt gaudium nostrum sit plenum. Quid est igitur hoc gaudium? Certè futuri gaudij primitiæ, & velut quædam venturæ fœlicitatis prælibatio. Sunt multa medicorum medicamenta, sunt mille herbarum species, quibus corpus curare solemus; at cælestis ille Medicus (qui cùm sit vnus, instar omnium, & supra omnia est) exigua dilectionis & spiritualis gaudij (quod dilectionem sequitur) guttula piorum mentibus infusa, mirabiles in eis effectus operatur, maximásque vires ad suscipiẽdos pro iustitia labores subministrat. Vbi enim pij nouam hanc spiritus lætitiã gustauerunt, nihil in vita adeò pretiosum quod non facilè contẽnant: nihil adeò difficile, quod non alacriter aggrediantur. Nõ enim falso aut paruo affectu dictum est: *Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas. Hæc enim,* vt D. ait Gregorius, *pretiosa illa Euangelij margarita, qua inuenta, prudens negotiator vendidit omnia quæ habuit, & comparauit eam:* quia, vt idem ait, qui

Mundi oblectamenta contemnenda.

Simile.

Psal. 85.

Psal. 36.

Galat. 5.

2. Cor. vlt.

Philip. 4.

Deus medicus.

Psal. 36.

Matt. 13.

Margarita pretiosa.

qui cælestis vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admittit, perfectè cognouerit, ea quæ in terris amauerat, libenter deserit. Sola preciosæ margaritæ claritas fulget in mente. Quid verò cùm tot Sanctorum variis meritorum atque virtutũ gradibus distinctos, cùm Virginum cãdorem, Confessorum puritatem, Anachoritarum sanctitatem, Pontificum auctoritatem, victrices sanctorum Martyrum acies, sanctissimum Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum senatum, qui fidem Ecclesiæ doctrinis, & virtutum suarum exemplis, atque adeò sanguine suo fundauerunt, contempletur? Quid cùm innumerabilem illam multitudinem, quam Ioannes vidit, intuebitur? Quale igitur gaudium erit, cùm omnes hi Sanctorum ordines de noui ciuis gloria & ingressu in eam ciuitatẽ gaudentes, illi obuiam procedant, ipsúmq; fraterna charitate complectantur, atq; de eius noua gloria gratulẽtur, nec minùs de ea, quàm de sua collætentur? Quòd si vehemens nos admiratio tenet, cùm ingentem exercitum aliquot millium hominum fulgentibus armis instructum cernimus: quale erit innumerabilem militiæ exercitũ cælestis videre, Imperatoris sui gloriæ militantem, de quo Daniel ait: *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia adsistebant ei?* Quo genere loquendi innumerabilem esse Angelorum exercitum significare voluit. Quod etiam quidam ex amicis Iob intellexit, cùm ait: *Numquid est numerus militum eius?* Iam verò supra omnes Angelorum choros, supra Cherubinos & Seraphinos occurret beatissima illa misericordiæ mater, peccatorum aduocata, cælorum Regina & Angelorum Domina, ineffabili claritatis gloria ad dexterã Filij sedens, quæ ineffabili decore suo totam ciuitatem Dei lætificat. Videbis hîc Christi humanitatem, ad dexteram Dei Patris sedentem, & rosea eius vulnerum stigmata, per quæ delictorum venia, Dei amicitia, per quæ ipsis ad tantam felicitatem aditus patefactus est. Quo igitur hæc felix anima gaudio perfundetur, cùm sacratissima illa stigmata amplecti, exosculari, & adorare concessum erit? Quid verò cùm summus ille rerum omnium Dominus læto vultu, & grata voce, fidelem seruum in illam lucem ingredientem, & post longa huius vitæ exilia, in illam patriam remeantem excipiet, & his verbis dulciter & amanter loquetur: *Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui?* Hæc gaudij portio planè erit sempiterna. Cùm autem intelliget, quæ in seculo euaserit pericula, quas superauerit tẽtationes, quos laqueos, quas tũc gratias præsidi & custodi

Sãctorum felicitas.

Apoc. 7.

Daniel. 9.

Iob. 25.

Maria occurret sancto.

Matt. 25.

Angelo cu-stodi quid debeamus. stodi suo aget? qua animi gratitudine illa Dauidis carmina concinet? *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israël, nisi quia Dominus erat in nobis. Cùm exsurgerent homines in nos, forsitan viuos deglutissent nos*, &c. Addet & non minimum gaudiorum cumulum, cùm viderit & intellexerit, quæ maneant tormenta, & quas impij, cum quibus & ipse perire potuit, experiātur pœnas atque supplicia. Sic ille Lazarus diuitis vidit dānationem. Quas ergo tunc gratias liberatori aget, cuius beneficio ab illa perditorum hominum colluuione liberatum se intelliget? Quibus illū laudibus tunc extollet? Quàm felices lacrymas, quàm beatos præteritæ vitæ labores existimabit, per quos illi ad tantā gloriam iter patefactum est? Iam illius gloriam, illius laudes decantare quàm auidè gestiet? Hoc est, Auditores, perpetuum ciuitatis huius munus & officium: hæc felicitas & iucunditas, in qua plena charitas, perpetua puritas, & innocentia perpetuò vigebunt. O sedes illas beatissimas, vbi homines expertes omnium malorum, æternis ornamentis redundantes, gloria immortali circumfluent! Quis hanc gloriam animo perspiciens, non optet quàm primùm ab hac turba & colluuione discedere, & in cælum cōtinuò migrare? Sed de gloria illa, atque diuinis præmiis piis hominibus à Deo constitutis, ineptū erit fortasse plura disserere. Nec enim oculis cerni, nec auribus accipi, nec mente & cogitatione comprehendi in hac vita possunt. Hæ sunt, Auditores, præcipuæ pleni huius gaudij causæ, quæ nos Saluator in hodierna sancti Euangelij lectione petere iubet. Habemus igitur hîc duo, eaque certissima (ad pios autem Christi promissio pertinet) alterum in hac vita exauditionem petitionū nostrarū. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, in futura verò, hoc plenum & summum gaudium illos manet. Diuus Augustinus ait: *Si quotidie nos oporteret tormenta perferre, si ipsum gehennæ ignem longo tempore tolerare, vt Christum in gloria videre possimus, & sanctorum eius numero associari: nónne dignum esset, pati omne quod triste est, vt tanti boni, tantæq; gloriæ participes haberemur?* Huc studia nostra conuertamus, has opes thesaurizemus, & in cælestia bona congregemus, vbi neque ærugo & tinea demolitur, neque fures effodiunt & furantur. Hac igitur spe & cogitatione erecti, cunctis huius vitæ voluptatibus renunciemus, crucem Domini (quæ regia in cęlum via est) amplectamur, qua & dux noster, cæterique eius sectatores ingressi sunt: vt illorum tenentes viam, illorum tandem mereamur percipere coronam & gloriam. Amen.

Psal. 123.

Luc. 16.

Gaudij occasiones quales.

Augustinus in Meditat.

Matth. 6.

FERIA

FERIA SECVNDA IN ROGATIONIBVS, CONCIO, IN QVA PRImùm de humanæ naturæ lapſu & miſeria agitur: deinde verò de orationis neceſſitate & virtute, qua huic miſeriæ ſubuenitur.

THEMA. *Petite, & accipietis, quærite, & inuenietis; pulſate, & aperietur vobis.* Lucæ 11.

CONSTAT ex Eccleſiaſticis hiſtoriis, Auditores his ſacris diebus, quos Rogationum appellamus, calamitates inſolitas, quibus olim Eccleſia afflicta fuit, initium cauſámque attuliſſe: quo tempore homines, humanis auxiliis deſtituti, totum ſtudium ad rogandum Dominum contulerunt; vt eius ope impendentia mala & pericula propulſarent. Quia verò Eccleſia nouis quotidie malis vrgetur; præſertim his temporibus, hæreſibus diuerſis omnium rerum caritate, bellorum infeſtiſſimorum turbinibus: ideò illud idem inſtitutum, idémque munus orandi, non modò retinere, verùm inſtituere deberet: vt quando mala quotidie non deſunt, malorum quoque medicamenta & remedia non deeſſent. Quod verò aliud præſentius malorum remedium, quàm diuinum auxilium? Quo verò ſtudio hoc auxilium niſi piis actionibus & orationibus impetratur? Oratio enim velut legatio quædam eſt, quæ à terris ad cælum tranſmiſſa, cuncta mala noſtra cæleſti Medico denunciat, vt periclitantibus opem ferat: quandoquidem ipſe eam piè petentibus pollicitus eſt, cùm ait: *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Hoc ergo velut chirographum ſecum deferens oratio, veritatis atque miſericordiæ ſuæ Dominum commonefacit: & tandem voti compos, ab eo digreditur. Scit enim ſcriptum eſſe: *Iacta ſuper Dominum curã tuam, & ipſe te enutriet.* Hoc ipſum autem hodierna Sancti Euangelij lectio cumulatè docet: in ea námq; omnis orandi ratio & diſciplina, cæleſti magiſterio tradita, cõtinetur. Cùm enim ſicut ſanctus Euãgeliſta Lucas ait) Dominus orationi more ſolito vacaret, quidam ex diſcipulis, orationis eius exemplo permotus, *Domine*, ait, *doce nos orare, ſicut docuit Ioannes diſcipulos ſuos.* Hanc petitionẽ Dominus libenter accepit, & exactam illis nobíſq; omnibus orandi rationẽ tradidit: dũ & quid orandum, & quomodo orandum, hoc eſt, qua fide & perſeuerantia oran

Rogationum dierum origo unde.

Oratio legatio eſt.

Pſal. 49.

Pſal. 54.

Luc. 11.

orandum sit, cumulatè docuit. Nulla commodiora verba (quæ Dei misericordiam prouocant, & fidem atque dilectionem nostram erga illum excitant) excogitari potuerunt, quàm quæ is nobis in oratione sua dictauit. Neque his contentus, veritus ne, si illicò non exaudiremur, ab hoc ipso peccandi studio cessaremus; magnis nos argumentis ad orationis perseuerantiam inuitauit, certissimum diuinæ gratiæ præsidium in ea perseuerantibus promittens. Ait igitur: *Quis vestrûm habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, dicens; Amice commoda mihi tres panes,* &c.

AVE MARIA.

PETITE *& accipietis*, &c. Si quis, Auditores, diligenter sacras vtriusque Testamẽti literas euoluerit, animaduertet planè vix quicquam instantiùs & frequentiùs nobis à Domino, quàm precationis studium commendari. Cuius rei innumera penè loca in medium adferre possem. Quare illud amplectamur, quod nobis oracula diuina commendant, quod cælestis Magister in hac lectione Euangelij tam instanter nos facere suadet. Multa sanè sunt, quæ nos ad hoc maximè vrgent, præcipuè tamẽ summa generis humani calamitas & miseria, quæ naturam infecit, quæ mortis & malorũ omnium est seminariũ, quo fit vt natura simus fragiles, & vitã degamus calamitosam & miserandam. Hinc illa rebellio carnis aduersus spiritũ, quã Apostolus exposuit, cùm ait: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in legem peccati.* Quamuis enim Spiritus noster ex natura sua ad spiritualia bona, vtpote sibi cognata & similia, semper adspiret: sensus tamen & affectus vehementiori quodam impetu ad sensibilia & terrena bona nos rapiunt: quorum & præsens conspectus & assiduus fructus & voluptas, quæ ex eorum vsu percipitur, vehementer eos ad se alliciunt. Ex quo quidem impulsu illud sequitur, quod ex carnalium hominum persona queritur idem Apostolus: *Non quod volo bonum, hoc ago; sed quod nolo malum, hoc ago.* Homo duplicis est portionis, spiritualis & animalis: hæc illi communis est cum cæteris animantibus, illa cum Angelis. *Caro autem & sanguis regnum Dei possidere non potest.* Hæc omnia tum corporis, tum animæ mala, Auditores, vnius peccati merito, non in eum hominem solum, qui Dei præceptũ prçuaricatus est, sed in vniuersum genus hominum qui sunt, qui fuerũt, & erunt hoc est, in ramos omnes qui ab illo stipite propagantur, iustissimâ Dei sententiã immissa sunt.

Oratio quã necessaria.

Rom. 7.

Natura peccati quò trahamur.

Rom. 7.

1. Cor. 13.

Adæ peccatũ quàm latè pateat

sunt. Hanc præuaricationem non alio sacrificio quàm Vnigeniti sui sanguine voluit Pater æternus expiari. Est igitur vnicum in malis nostris perfugium relictum, nempe pietas & misericordia Seruatoris, qui nos ad se adeò dulciter & amanter inuitat, & opem ipsum adeuntibus pollicetur. Ille nos ad se clamare incitat, nobis etiam adesse (nisi scelera nostra obstent) & opem suam impartiri vult. *In tribulatione mea*, inquit Propheta, *inuocaui Dominum*. Videmus quomodo, quæ ratio præstare nullo modo potest, præstet oratio. Præcipuum salutis nostræ subsidium, post communem lapsum humani generis, est in sola Dei gratia & misericordia constitutum, quam humili atque fidenti precatione consequimur. Precatio enim ad ea omnia quibus humana eget natura, commune remedium est. Hæc habet vim non solùm merendi & satisfaciendi; sed etiam impetrandi. Per hanc non modò gratiam, & pœnarum remissionem consequimur; sed alius sapientiam, alius sospitatem, alius contra immanes hostes victoriam, alius mortuorum resuscitationem, alius liberationem ab instantibus malis consequitur. Est itaque ea per diuinam prouidentiam in amissæ felicitatis & naufragij nostri remedium data. Sancti viri cùm variis calamitatum angustiis premerentur, ad hanc veluti sacram anchoram fidenter confugiebant: qua non modò sibi salutem impetrabant, sed impendentem quoque iram Domini ab aliis depellebant. Vnde scriptum est: *Inuocabant* (Moyses & Aaron) *Dominum, & ipse exaudiebat eos*. Item alibi: *Statuerat perdere eos, nisi Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius*. Magna instantia ac multis exemplis cælestis Magister ad orationis studium adhortatus est. Meminerat se dixisse, oportere semper orare, & non deficere. Ad quam etiam perseuerantiam non semel Apostolus nos inuitat, cùm alibi quidem ait: *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite*. alibi autem: *Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus*. alibi verò, cùm spiritualibus nos armis aduersus omnes diaboli adsultus instruit, *omni tempore orare in spiritu iubet*. Nequaquam autem cælestis Magister, aut eius Apostoli tantopere nos ad hoc officium adhortarentur, nisi hoc ad salutem nostram maximè vtile & pernecessarium esse iudicarent. Indicabo originem harum cęremoniarum, quibus hodie his tribus Rogationum diebus Ecclesia vtitur. Temporibus Mamerti Archiepiscopi Viennensis, apud Viennam contigerunt incendia crebra, terræmotus assidui, nocturni sonitus: populosis hominum conuentibus feræ siluestres se ingerebant, in tantum, vt pauidi cerui ad an-

Psal.17. *Precationis vis.* *Psal.98.* *Psal.105.* *Luc.18.* *1 Thes.5.* *1. Tim.2.* *1. Cor.14.* *Supplicationum origo.*

Accidit anno Domini 480. tẽpore Zenonis Imp.

gusta portarum fori loca penetrarent. Hæc & similia incõmoda illis temporibus contigerunt. Antistes induxit ieiunium, letanias ordinauit in sua diœcesi. Ab illa particulari constitutione Ecclesia vniuersalis accepit exemplum, & traduxit huiusmodi letanias ad omnes totius Christianitatis Ecclesias. Sublata verò calamitate, easdẽ preces Ecclesia per vniuersum orbem retineri sanxit: partim vt vetera Dei flagella, ob hominũ scelera immissa, ad memoriam reuocaremus, similiaque peccatis nostris irrogari posse formidaremus, qui nihilo fortè minora quàm illi peccamus: partim vt eisdem precibus aduersus assiduas clades, quibus quotidie infestamur, nos ipsos muniremus, partim etiam propter multas alias vtilitates, quę nobis ex assiduo precandi studio obueniunt: ex quibus nonnullas referemus, quæ plurimum ad hoc officium nos allicere possunt.

Vtilitas orationis quæ.

Prima & maxima est, quòd hominem diuinarum rerum commercio, & assidua cõsuetudine ita paulatim à terrenis ad spiritualia atque diuina eleuat, vt ipsum quodammodo spiritualẽ atque diuinum efficiat, vel ipso Apostolo testante, qui ait: *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est.*

Simile.

Sicut enim ferrum igni admotum, ignis naturam induit: ita mens, quæ Deo iugiter adhęret, in diuinos mores quodammodo transit.

Chrysostomus.

Hinc diuus Chrysostomus: *Bonum est*, inquit *semper cum Deo colloqui per orationem.* Nam si boni viri occursus meliorem illum quem conuenerit, reddit, quantò magis colloquium quod dies noctésque cum Deo fit?

Simile.

Neque hoc profectò mirum videri debet. Si enim fera animantia, quæ cum hominibus diu versantur, feritate deposita mansuescunt, & mores quodammodo induunt hominum (vrsus enim, ferum animal, saltat & obtemperat voci nutuique regentis: id quod etiam leones, & alia quoque animalia faciunt) quid mirum, si qui assiduè cum Deo versantur, mores exprimant diuinos, præsertim cùm homo Dei sit capax, & ad hoc ipsum diuina ope iuuetur?

Simile.

Præterea sicut ij qui pretiosa vnguenta & suaue olentia assiduè tractant, eorum quoque fragrantiam, cùm ab illorum etiam attrectatione & contactu recessêre, referunt: ita qui cum Deo assiduè versantur, qui illius speciem & pulchritudinem intuentur, qui virtutum eius contemplatione pascũtur, ab illo stabilitatem, ab illo charitatem, ab illo suauitatem, & animi quietem, & omnia denique bona trahũt. Stabilitas nostra in charitate Christi est, à qua nihil nos valet separare.

Charitas vt incendatur.

Vnde autẽ magis charitas accendi potest, quàm si ad Deum, qui ignis consumens esse dicitur, accedamus? Iam verò quies & animi tranquillitas, vbi nisi in Deo inueniri potest?

teſt? A quo enim accepiſti vt eſſes, accepiſti etiam vt felix & quietus eſſes. Idem etiam luxurioſo filio euenit, qui inedia & fame ſua eruditus, ad paternam domum, vnde prodierat, ſatiandus rediit. Hinc rectè Chryſoſtomus: *Quid poſſit inueniri ſanctius his qui cum Deo commercium habent? quid porrò iuſtius? quid ornatius?* Annon hoc inſinuare Propheta voluit, cùm ait: *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur?* Hoc eſt, nequaquam vobis fruſtra cedet, ad ſpendidiſſimum diuini fulgoris radium acceſſiſſe. Hanc igitur nobis gratiam & lucem præſtat oratio, quæ non ſolùm omnibus vitæ huius miſeriis remedium adhibet, ſed ipſum etiam hominem ſupra communem hominum naturam euectum, diuinæ claritatis participem efficit. Adde aliam non vulgarem orationis vtilitatem, quòd comes eius ſit ſpirituale gaudium. Iſtud gaudium ſpirituale, eſt Manna abſconditum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. Ea tamen eius vis atque potẽtia eſt, vt, quam mentem impleuerit, terrena omnia præ eius amore faſtidire, & pro nihilo ducere faciat. Vt qui ex abiecta humiliq; forma ad regni ſolium euectus eſſet, vilem ſupellectilem, quam anteà pretioſam, charámque habebat, præ regij apparatus ſplẽdore pro nihilo haberet. Vt enim magnes occulta quadam virtute ferrum, ſuapte natura graue & põderoſum, in ſublime attollit, & in aëre ſuſpendit: ita ſpirituale hoc gaudium (quod cæleſtium bonorum prælibatio quædam eſt) cor hominis (quod ſponte ſua ad ima deuoluitur, dũ immoderato amore terrenis rebus incubat) mira quadã & incognita vi ſic illud ſupra altitudines terrę eleuat, vt terrena omnia faſtidiat, & pro nihilo ducat. Huius gaudij proprium eſt, omnem interni hominis languorem excutere, ipſumque ad omnia ſpiritualis vitæ officia expeditum & alacrem reddere. Hoc hominem ita ſub diſciplina Dei conſtituit, vt ipſum habeat vitæ ſuæ magiſtrum, præſidem & doctorem. Adde & aliam vtilitatem, nempe quòd hæc nos à terrenarum rerum amore abducat, & ad ſpiritualium rerum amorem rapiat. Hanc ſingularem vtilitatem nobis ſpiritualium rerum conſideratio & commentatio præſtat, quòd res abſentes, & procul à conſpectu noſtro poſitas, præſentes quodammodo faciat, eáſque menti noſtræ inſpiciendas affigat, earúmque dignitatem & æternitatem rimetur. Dãda ſanè nobis eſt opera, vt quæ oculis corporis cernere nõ poſſumus, mẽtis oculis videamus: ne terrenarũ rerũ pręſenti pulchritudine, carnaliũ hominum more, decipiamur. Fallax enim gratia, & vana eſt pulchritudo, rerũ videlicet ſecularium,

Auguſtinus.
Chryſoſtomus.
Pſal. 33.
2. Vtilitas.
Apoc. 2.
Simile.
Simile.
Gaudij ſpiritualis proprium.
3. Vtilitas
Seculares res vanæ.

quæ quamuis vanæ sint,nihil solidi & expressi continentes,fallaci tamen specie stultorum animos alliciunt atque demẽtant.

4. Vtilitas

Accedit alia vtilitas orationis,quòd ea malorum maximum sit remedium.Scit enim & experitur Ecclesia,nos multis affici incommodis,peccatis exigentibus;ad orationem igitur confugit. Quid verò nos ab his magis poterit eripere, quàm diuinam opem assiduè implorare? Quo nomine diuinus ait Vates: *Mihi autem adhærere Deo, bonum est.* Adhæremus autem illi non corpore, sed animo: non pedibus, sed affectibus. *Audiam,* inquit idem, *quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor.* Ad cor autem conuertuntur, qui ab externis rebus animum abducentes,illum ad interiora transferunt.Super hos ergo pacem loquitur: quia pacificè cursum vitæ dirigit, & omnes ab eis bellorum atque curarum tumultus & incommoda depellit.Sicut enim pater,qui filium à se ac domo sua diuelli non vult patrimonij eius portionem apud se retinet,quo(inopia constrictus) à patre non discedat;ita sanè cælestis Pater nobiscum agit,dum & inopia, & variis necessitatib⁹ vrgeri nos patitur,vt ipsa nos miseria nostra à salutis nostræ præside ac vindice longiùs abire non sinat. Quando autem variis oppugnamur periculis, citiùs ad Deum ire & conuerti debemus. Vix enim illius multi homines meminerunt, nisi cùm inopia & angustiis constricti, eius opem implorare coguntur. Vnde est illud Gregorij: *Ideò premũtur iusti in Ecclesia,vt pressi clament, clamantes exaudiantur, exauditi glorificent Deum.*

Psal. 71.
Psal. 84.
Conuerti ad cor quid.
Simile.
D. Gregorius.

5. Vtilitas.

Habet oratio illam insuper vtilitatem,quòd non modò impetrandi, sed etiam aliarum more virtutum promerendi vim habet: vt si minùs fortè quod petis,assequaris(quia id fortè tibi non expedit)meritum tamen orandi non amittas. Ille orationes nostras nequaquam fastidit,vt Principes huius seculi facere solent; imò meriti etiã & obsequij loco ducit, postulasse. Id autem vsque adeò verum est,vt Propheta Regius gratificari aliqua in re Domino cupiens, hoc præcipuè inuenerit,quo illi aliqua ratione inseruire posset. *Quid,* inquit, *retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Itaque dum vir sanctus quærit quid pro tantis beneficiis Domino retribuat,non inuenit aliud,nisi vt iterum petat,& pro veterum beneficiorũ gratitudine, noua postulet.Hac ratione fit, vt nunquam pij hominis oratio sterilis & infructuosa sit. Si enim nõ impetrat quod petit (quia fortè non expedit) gratum tamen Deo obsequium præbet: si com-

Deus preces nostras non fastidit.
Psal. 115.

pos

pos voti non est, expers certè meriti nõ est. Sunt humiles quædam arbores, vt vitis atque hedera; quæ cùm per se attolli nequeant, aliarũ adminiculo in altum se subrigunt: ad quod clauiculis quibusdam naturæ beneficio collatis iuuantur, quibus vicinas vlmos prẽdunt, atque ita in sublimia feruntur. Ad hunc ergo modum homines post communem illum naturæ lapsum ad ima depressi, instar vitis aut hederæ, humi repunt, nisi Christi ope fulciantur. Vitis igitur homo, vlmus autem Christus est: cui homines adhærentes, illius adminiculo ad supera tendunt. Clauiculi autem precationes assiduæ sunt, quibus illius opem implorant, & mentem in Deum eleuant; vt illi adhærentes, cum ipso pariter cælum petant. In hac igitur vnius mediatoris Dei & hominum gratia & misericordia salus nostra sita est. Rex ille pius Iosaphat hostium cinctus periculis, ait: *Cùm ignoremus quid facere debeamus; hoc solum habemus: vt oculos nostros dirigamus ad te.* Miro autem modo ipse orantis animus reficitur, cùm causam suam Domino, supplici & fidenti oratione commendauit. *Effundo*, inquit Propheta, *in conspectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuncio. Non frustra*, inquit diuus Bernardus, *aliquid de Deo quæritur: etiam cùm non inuenitur quod quæritur. Propter hoc enim dictum est: Quærite Deũ, & viuet anima vestra.* Quòd si Deum quærere vita est, quid igitur inuenire? Quod piscatoribus rete & sagena, qua pisces prendunt; hoc piis hominibus oratio est, qua Dei opem & misericordiam consequuntur. Quòd si teipsũ destitueris precatione, perinde feceris, ac si piscẽ ex aquis extraxeris. Vt enim pisci vita est aqua, ita tibi deprecatio. Homo non minùs indiget deprecatione, quàm arbor aquarum humore. Neque enim arbores valẽt fructus producere, nisi bibãt humorem radicibus: neque nos preciosis pietatis fructibus poterimus esse grauidi, nisi precibus irrigemur. Sicut ciuitas quæ muro cincta non est, facilè venit in potestatem hostium, propterea quòd prorsus absit id quo fuerat hostium incursus arcendus: sic & animam non munitam precibus, diabolus facilè in suam redigit ditionem, imò nullo negotio omni genere scelerum implet. Nec primùm quidem ad animam precibus communitam audet propiùs accedere, metuens robur ac fortitudinem, quam illi deprecatio subministrat; magis vegetans animum, quam cibus vegetet corpora. Sic deprecatio fiebat assidua totius Ecclesiæ pro Petro Apostolo. Hęc igitur viri sancti animaduertentes, intellexerunt planè, præcipuum Christiani hominis munus esse, ad Deum toto corde conuerti, illum

Simile.

Precationes sunt clauiculi.

2. Par 20.

Psal. 141.

Bernardus

Psal. 68.

Simile.

Precatio vita hominis.

Chrysostomi sententia.

Actor. 12.

adſpicere,ab illo pendere,illi fidere,illius opẽ ſemper implorare. Cuius rei gratia innumerabiles olim viri initio naſcentis Eccleſiæ in deſertas & incultas eremi ſolitudines ſecedebant: vt negotioſarum turbis vrbium derelictis,& ab omnibus terrenis curis vacui,vnum Deum ſemper adſpicerent, vnum colerent,& in vno eo mentis oculos defixos ſemper haberent,& iugis illi laudis & orationis ſacrificiũ immolarent.Sancta virgo Cæcilia ab oratione & colloquiis nunquã ceſſabat. Regius Propheta à Dei conſpectu mentis aciem nunquam dimouit. Multis dæmon eſt impedimento;qui virtutem orationis valde formidans, variis eam modis impedire conatur. Eſt & aliud quod nõnullos etiam in hac parte acriùs torquere ſolet:nempe quòd ipſe Dominus ſuſpenſos diu teneat orantes,nec ſtatim præſtet quod ab eo petitur: propter quod multi ſe ab eo nec exaudiri,nec reſpici arbitrantur.Huic querelæ Dominus in hoc Euangelio reſpondet,in quo perſeuerantiæ orationis,impetrãdi efficaciã tribuit,cùm ait:*Et ille ſi perſeuerauerit pulſãs: dico vobis,quòd ſi nõ dabit ei ſurgens eò quòd amicus eius ſit*,&c. Videtis,Auditores,hîc eximiam perſeuerantiæ virtutem,quãdo illi præcipuè impetrandi vis & efficacia tribuitur. Hoc & diuus Iacobus non obſcurè ſignificauit,cùm aſſiduam,hoc eſt, perſeuerantem iuſti orationẽ multum apud Deum valere dixit.Moyſes quadraginta diebus & noctibus ieiunus orauit. Sic Daniel orauit. Videmus hîc corpòris afflictionem , orationis perſeuerantiæ coniunctam ,ad diuinam lucem impetrandam efficaciſſimam fuiſſe. Quam quidem perſeuerantiã idem ſanctus Daniel adeò tenaciter retinere ſemper ſtuduit,vt in apertum mortis diſcrimẽ incidere,quàm ſolitas preces , quas quotidie Domino fundebat, intercidere maluerit. Hanc fiduciam miro modo poſtrema Euangelicæ lectionis verba alunt atque confirmant.Sic enim Saluator ait : *Quis veſtrûm patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi?* &c. Quid his verbis dulcius? quid ad fiduciam in Deum nutriendam atque erigendam efficacius? His enim verbis Dominus affectum erga nos pluſquàm paternum oſtendit,vtpote qui parẽtibus carnis ſe ſuperiorem in hac collatione atque argumentatione monſtrauerit. Meminerat enim ſe alibi dixiſſe : *Patrem nolite vocare ſuper terram , vnus eſt enim pater veſter, qui eſt in cælo.* Quibus verbis ſe parentibus carnis amoris affectu,cura atque paterna prouidentia longè ſuperiorem eſſe monſtrauit.Quæ cùm ita ſint, quis plena fiducia ad huius Patris opem non confugiat? quis non ſecunda omnia de huius amantiſſimi Patris prouidentia ſibi

Monachorum officiũ quale. *Cæcilia.* *Pſal. 145.* *Perſeuerãtia probatur.* *Iacob. 1.* *Deut. 9.* *Daniel. 6.* *Matt. 23.* *Deus veraciſſimus*

sibi polliceatur? Hac igitur fiducia, Auditores, hac perseuerantia, hac corporis afflictione, sancti omnes in orationibus suis perseuerabant; ideóque cùm se illi Domino perseuerantes exhiberent in petendo, Dominus se illis misericordem & fidelem exhibebat, quicquid ab ipso peterent, tribuendo. Verùm vt oratio, Auditores, has omnes vtilitates, quas hacten⁹ retulimus, cõsequi possit, suos habere comites debet, sine quibus infrugifera, & inanis futura est: quorum primus, mentis intentio est, sine qua vix orationis nomen retinet. Hinc diuus Isidorus: *Quid prodest strepitus labiorum, vbi cor est mutum?* Sicut enim vox sine modulatione, est quasi vox porcorum; sic oratio sine deuotione, est quasi mugitus boum. Ad hoc autem magna cura opus est, vt vagas mentis nostræ cogitationes, variásque rerum imagines, quæ sese oranti offerunt, studiosè expellamus. Qua de re diuus Gregorius ait: *Vt Abraham sacrificium offerens, volucres non euasit, quas studiosè abigebat: sic nos cùm in ara cordis holocaustum Deo offerimus, importunæ se cogitationes immiscent, quas studiosè abigere oportet.* Huic autem attentioni illa cordis humilitas quæ in Publicano Euangelico fuit, copulanda est: hanc verò retinebit, quisquis diuinæ maiestatis celsitudinem, & conditionis suæ vilitatem studiosè fuerit contemplatus. Hi igitur duo orationis comites, ad deuotionis & charitatis ignem excitandum plurimùm iuuant, ad impetrandum tamen, perseuerantiæ virtus nobis in hodierna sancti Euangelij lectione importuni amici exemplo maximè commendatur. Erit igitur oratio his ornata comitibus, velut fidelis nũcius, vt vota nostra ante Domini conspectum perducat. Amen.

Oratio ne sit inanis.
Isidorus.
Gregorius
Luc. 18.

DE MVLTIPLICI ORATIONIS FRVCTV, DEQVE MODO ORANDI, AC de virtutibus, quibus oratio fulciẽda & adiuuanda est: item de Meditationis & Contemplationis laudibus, Concio, extracta (de harum virtutũ ratione) ex auctore nostro P. Ludouico Granatensi.

NEMINEM vestrûm, Auditores, ignorare arbitror veteres Ecclesiæ calamitates his Rogationibus, quibus nunc omnes vacamus, occasionem dedisse. Quãuis autem similes malorum turbines atque procellæ ætate nostra, diuina nos protegente clementia, desint; quia tamen ipsa vita, quam viuimus,

communis peccati merito innumeris penè miseriis tum corporis, tum animi, obnoxia est, quorum remedium in assiduo precationis studio diuina prouidentia constitutum esse voluit; ideò Ecclesia idem institutum, eãdemque orationis instantiã, hoc etiam tempore permanere voluit. Quamuis nullo modo dicere possumus, nos incommodis vacare, cùm (prô dolor!) tot quotidie mala sese ingerant, vt, si non essent huiusmodi communes precationes, certè nobis instituendæ essent. Faxit autem Opt. Dominus Deus, vt malorum, quibus incessanter concutimur, tandem possit esse finis. Audimus ex clementissimi Saluatoris benigna instructione, quòd cùm ille importunus amicus non cessaret instare, tandem exauditus est: sic nos etiam eius exemplo vult esse alacriores ad precandi studium, & orationis perseuerantiam.

Rogationum dies vnde.

Luc. 11.

AVE MARIA.

QVAM grauis & acerba sit huius vitæ conditio, Auditores, nemo sanè poterit vel explicando consequi, vel enumerando percensere. Qua quidem de re multæ exstant clarissimorum virorum querimoniæ atque sententiæ. Seneca in primis adeò miseram vitam hominum credebat, vt non dubitauerit dicere: *Nemo vitam acciperet si daretur scientibus.* Vide qui mores fuerunt Thracibus, qui natales hominum dies tamquam laborum initia plangebant; in funere autem, tamquam in eorum fine atque termino lætum diem agere atque gaudere solebant. Vide quid sanctus Iob senserit de humana vita: *Quare de vulua eduxisti me? qui vtinam consumptus essem*, &c. Hac ratione beatus vir multiplices humanæ vitæ miserias voluit explicare. Iam earum cognitio non modò ad orationis studium (de quo in præsenti Concione agimus) sed ad veram etiam cordis humilitatem, & humanæ gloriæ contemptionem plurimum adiumenti adfert. Si quis quærat, cur amator hominum Deus tot ærumnis eorum vitam voluerit exagitari: inter causas illas, quã non postremã putamus, illa est, quòd hac ratione hominum insolentiam atque superbiam reprimere, & ad humilitatis studium voluerit incitare. *Est enim humiliatio* (vt diuus ait Bernardus) *ad humilitatem via.* Sicut enim qui aues domi nutriunt, cùm aliquando eas auolare contigerit, vbi eas iterum cœperint, pennis nudant, vel alas præscindunt, ne earum adminiculo fretæ, iterum aufugiant: ita cùm Dominus hominem conditum cælestibus donis (quæ initio conditionis

Vita hæc molesta.

Seneca.

Thracum mores.

Iob. 10.

Homo cur calamitosus sit.

Simile.

suæ multa & præclara acceperat)elatum vidisset,meritò illum donis suis spoliauit,& velut implumem reliquit,ne diuinorum beneficiorum pennis sese iterum in sublime attolleret. Quid enim aliud merebatur, qui ita cælestibus donis abusus fuit, vt inde materiam sumeret sese efferendi, vnde conditorem diligendi arripere debuisset? Quod igitur in tantis malis (quibus vndique vita nostra vexatur) remedium diuina prouidentia reliquit? Illud certè quod S. Tobias filio suo proposuit,dicens: *Memor esto fili, quòd pauperem vitam gerimus: sed multa bona habebimus,si timuerimus Dominum.* Hic vir sanctus breui sermone mala omnia, quibus impugnamur,comprehendit: quorum summum maximumque remedium in timore & vera in Deum pietate collocauit. Oportet nos viuam habere in Deo spem,& orationis vocem,qua eius misericordiã imploremus.

Homo humiliatur cur.

Tob.5.

De Oratione sententiæ Patrum.

Sententiæ Patrum.

Cùm reatu culpæ deprimimur,leuare ad Deum faciem cordis nostri veremur. Cùm verò lamentis culpa diluitur,& sic perpetrata planguntur,vt plangenda non perpetrentur: magna menti fiducia nascitur; & ad conspicienda supernæ retributionis gaudia, mens nostra leuatur.

Gregorius in Iob

Si quod præcipit, facimus; quod petimus,obtinebimus: debet enim oratio fulciri operatione,& oratione operatio.

Idem in Ioan. epist.

Eò magis sancti exaudiuntur ad meritum, quò citiùs non ad votum exaudiuntur. Ex dilatione enim crescit desiderium.

Idem.

Quoniam in medio laqueorum positi sumus,facilè à cælesti desiderio frigescimus. Quapropter assiduo indigemus munimento,vt expergefacti,ad Deum nostrum verum & summum bonum, cùm diffluxerimus,recurramus. Qui didicerunt à Domino Iesu Christo mites esse & humiles corde, plus cogitando & orando proficiunt, quàm legendo & audiendo. Orationibus mundamur, lectionibus instruimur: vtrumque bonum est, si licet: si non liceat, melius est orare quàm legere: quia in lectione cognoscimus quod facere debemus; in oratione, eadem accipimus quæ postulamus.

Augustinus in Manuali.

Idem.

Idem.

Oratio tua, locutio est ad Deum, quando legis, Deus tibi loquitur: quando oras,cum Deo loqueris. Orationis puræ magna est virtus: & velut fidelis nuncius,mandatum peragit: & penetrat quò caro non peruenit.

Idem super Psal. 75.

Cùm aliquid aliquando tardiùs dat Deus, commendat dona, non negat. Desiderata diu,dulciùs obtinentur: citò autem data vilescunt. Idem Augustinus de verbis Dom. c. 1.

Hieronymus. *Ieiunio passiones corporis; oratione, pestes sanandæ sunt mentis. Quoties pro centum animabus psallimus vel Missa canitur; tantum prodest cuilibet, quantum si pro qualibet caneretur.* Idem in epist.

Idem. *Orationi lectio, lectioni succedat oratio. Breue videbitur tempus quod tantis operum varietatibus occupatur.* Idem ad Lætam.

Ambrosius. *Si pro te rogas tantùm, pro te solus rogabis: si autem pro omnibus rogas, omnes pro te rogabunt.* In Hexamer. lib. 2.

Bernardus. *Licèt omni hora, & omni loco oculi Domini non speculentur, maximè tamen in oratione. licèt enim semper videamur; sed tunc etiam præsentamus nos, & ostendimus, quasi facie ad faciem cum Domino colloquentes.* Bernardus in epist.

Hilarius. *Despiciuntur orationes leues, diffidentes, inutiles, seculi curis anxiæ, & rerum corporalium desideriis implicatæ, bonorum operum fructibus infœcundæ.*

Beda. *Multum iuuat orationis puritatem, si omni loco vel tempore nos ab actibus temperemus illicitis: si semper ab otiosis sermocinationibus auditum pariter castigemus & linguam. Quæcunque enim sæpius agere, loqui, vel audire solemus, eadem necesse est sæpius ad animum, quasi solitam propriámque recurrant ad sedem: & sicut volutabra sues palustria, columbæ limpida solent frequentare fluenta; ita cogitationes immundæ, impuram mentem perturbant; castam verò, spirituales sanctificant.*

Oratio qualis esse debeat.

Isidorus. *Non conciliat Deum multiplex orationis sermo, sed purissima, sinceráque cordis intentio.*

Hugo. *Oratio est piæ mentis & humilis ad Deum conuersio; fide, spe, & charitate subnixa.*

Saluianus. *Aures eius in preces eorum. Per id quod dicitur, diuinas aures in preces semper esse iustorum; non audientia tantùm Dei, sed quædam quasi obedientia demonstratur. Semper enim audit, semper exaudit, illicò audita concedit. Quàm beati essemus, si quam promptam erga nos Dei obedientiam legimus; tam promptè ipsi Dominum audire vellemus.*

Dionysius. *Deus quidem omnibus adest, atque ipsi non adsunt omnia. Adsumus autem ei, vbi ipsum castissimis precibus, animóque purgato, atque ad diuinam coniunctionem idoneo, inuocamus. Itaque nos ipsos ad celsiorem diuinorum contuitum orationibus in primis comparamus.*

Climacus. *Sicuti fures cùm arma regia in loco aliquo posita viderint, non illuc facilè ascendunt: ita & qui corde orationem coniunxit, non facilè ab intellectualibus consolationibus violari poterit.*

Cùm in orationis verbo vel dulcedine perfundi, vel compungi te sentis, in ipso persiste: tunc quippe custos noster nobiscum orat. Idem.

Tu non audis orationem tuam, & Deum vis audire precem tuam? Flecte, inquit, genua. curuasti quidem genua intus, sed mens tua foris vagabatur: corpus tuum intus in Ecclesia, sed animus tuus foris: os quidem loquebatur, sed mens vsuras cogitabat. Chrysostomus. Oratio incassa.

Vbi oratio & gratiarum actio est, sancti Spiritus gratia accedit, & fugantur dæmones, & omnis contraria potentia aufugit atque discedit. Idem.

Orationes Sanctorum magnam habent vim, sed tunc sanè, cùm nos pariter pœnitendo postulamus. Chrysostomus.

Quæ sequuntur sententiæ, ex ipso auctore desumptæ sunt.

Apocal. 7. appellantur orationes Sanctorum odoramenta. Quare? Quia suauissimè ante Dominum redolent. Cur ita? Quia cùm Deus infinita & immensa bonitas sit; maximè ipsius naturæ consentaneum est, de hominibus bene mereri, séque illis communicare. Gaudet autem huiusmodi opportunitate benefaciendi oblata. Est autē maxima opportunitas benefaciendi, cùm creatura se per orationem suo creatori subiicit. Vita Christiana est sicut arbor inuersa, quæ videlicet in cælo radices iaciens, è cælo pēdet, & in terra germinat. Vnde sicut tota olitoris cura in fodiendis irrigandísq; plantarū radicibus versatur, quibus è terræ visceribus succus in alimentum arboris trahitur: ita maxima piorū cura in eo esse debet, vt cogitationum & affectuum suorum radices in cælo figant, vt inde cælestis gratiæ succum trahant, quo virtutum germina in terra proferāt. Qui percutere è silice ignem vult, non contentus semel percussisse, iterum atque iterum percutit, donec eandem scintillam excutiat: ita quisquis Dominum precatur, etiam si illicò ad votum non exaudiatur, perseueret tamen; quoniam si perseuerauerit pulsans, voti tandē compos fiet. Imbecillitatis nostræ magnitudo declarat, quantum diuina ope & orationis cōtinuo studio egeamus, quo Dei opem imploremus. Omnia enim, quæ infirma sunt, alieno subsidio egent, quo fulciantur. Ægrotus, qui vix pedibus consistere valet, assidua eget alimonia, quę nutantia mēbra sustentet. Præsentissima remedia contra nostras frequentes imbecillitates sunt, sacra lectio, oratio, medi

Auctor ipse. *Simile.* *Simile.* *Assiduitas in orādo.* *Similium inductio.*

meditatio, ieiunium, silentium, occasionum peccandi fuga, sensuum diligens custodia, & frequens Sacramentorum vsus. Quorsum medicamenta sine salute? arma sine victoria? studium sine scientia? & nauigatio, nisi perueniatur ad portum? Enoch, qui cœpit inuocare nomen Domini, attribuitur, quòd fuerit orationis inuentor, vt Abraham pater credentium, ita hic orantium pater meritò dici debet: cuius institutum posteà innumerabiles monachi & anachoritæ sectati sunt, quorũ omne opus erat, cũ mirabili inedia & solitudine cõiuncta oratio. Magna perseuerantia in oratione opus est, & more Iacob tota nocte cum Deo luctandum, nec ab hac pia lucta cessandum, donec optatam à Deo benedictionis gratiam consequamur. Moyses orando vicit Amalech: si Balach per orationem Balam cogitabat superare exercitum Israël.

Simile. *Genes. 4.* *Orantium pater Enoch.* *Genes. 32.* *Exod. 17.* *Num. 22.*

MEDITATIO SIVE CONSIDERATIO.

Gregorius STVDE *quæso, & quotidie creatoris tui verba meditare, disce cor Dei in verbis Dei, vt ad æterna suspires, vt mens tua ad cælestia gaudia maioribus desideriis accendatur: tantò enim tunc maior erit ei requies, quantò modò ab amore conditoris sui requies fuerit.* In Moralibus.

Augustinus in Medit. *Quantò magis homo mala sua intelligit, tantò ampliùs suspirat & gemit. Meditatio siquidem parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio deuotionem, deuotio commendat orationem.*

Idem. *Frumentum tuum, ne computrescat, leuas ad superiora. Frumento tuo quæris mutare locum, & cor permittis in terra putrescere?*

Hugo. *Ratio viuendi bona* *Redi ad cor tuum, & subtiliter discute teipsum. Considera vnde venis, quò tendis, quomodo viuis, quid agis, quid admittis, quantum quotidie proficis, vel quantum deficis, quibus cogitationibus magis incursaris, quibus affectibus frequentiùs tangeris.* Hugo lib. 3. de Anima.

Meditationis est perscrutari occulta; contemplationis est admirari perspicua. Idem in lib. de arca. myst.

Idem lib. de claust. ani. *Sicut nullum est momentum quo homo non vtatur vel fruatur Dei bonitate & misericordia: sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria. Omne tempus in quo de Deo non cogitas hoc te computa perdidisse.*

Isidorus de summ. bon. *Omnis profectus ex lectione & meditatione procedit: quæ enim nescimus, ex lectione discimus, meditatione conseruamus.*

Memoria æterni ignis tecum singulis noctibus dormiat, tecúmque euigilet: neque vnquam psalmodiæ tempore dominabitur tibi negligentia. Climacus

Memoria mortis semper tecum quiescat, tecúmque simul euigilet, soláque semper ruminanda oratio Iesu. Nullum enim adiutorium in somno his præstantius aut efficacius inuenies. Idem in Gradu 15.

Fumus oculos ad lacrymas concitat, sic negotia secularia oculos mentis obnubilant. Vt cùm in Sole ambulamus, etiam si aliam ob causam ambulemus, fit natura tamen vt coloremur: sic cùm doctorum libros legimus, sentimus orationem nostram quasi colorari. Chrysostomus. Cicero lib. 2. de Orat.

Videmus non sine magna admiratione pullos omnes matres suas quocunque perrexerint sequi, nec ab earum latere diuelli, quod videre est in agnis, hœdis, & equarum, gallinarúmque pullis &c. Si ergo Deus multò magis Pater noster est, qui solus animã creauit, corpus verò (matre dormiẽte) mirabiliter in vtero formauit: quomodo non illi semper adhærescimus? quomodo tam diu ab illo animo & cogitatione separamur? Dic: *Meditatio cordis mei in conspectu*, &c. Sic fulua cera ad Solis radios diu exposita, candida fit; & quo diutius sub Sole manet, eo fit candidior: ita anima nostra radiis iustitiæ Solis exposita (quod quidem fit per eleuationem mentis in Deum) purior indies efficitur. *Qui*, inquit Ecclesiasticus, *timent Deum, præparabunt corda sua*, &c. Hominis imago in speculo cõspecta, protinus abolетur, vbi is sese ab eo auertit: ita si rerum conditor Dominus respicere nos desineret, in nihilum prorsus, vnde facti sumus, rediremus. Quocirca sicut Deus tibi semper adest, ita tu operam dare debes, vt illi semper animo præsens sis. In cuius rei typum Sacerdotes quotidie in altari Domini ligna subiicere præcipiebantur, quo ignis ille perpetuus esset. Hæc à collectore. Psal. 18. Eccles. 2. Simile. Interitus nostri causa qualis. Leuit. 1.

Nisi quòd lex tua meditatio mea est: Iuuat ergo diuinæ legis meditatio ad laborum patiẽtiam. Qua de re vide Ambrosium, super Psalmum, *Beati immaculati*. Sicut poma diu multúmque saccharo aut melle decocta, vix proprij saporis aliquid retinent, sed solius sacchari dulcorẽ referunt: sic nos affecti esse deberemus, vt veterem hominem paulatim per meditationẽ continuam in lege Domini deponeremus. Meditationis tẽpus, materia, & scopus describitur, Psal. 66. Ait enim Propheta: *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui: & meditatus sum nocte cũ corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meũ.* Huc enim omnis oratio & meditatio nostra tendere debet, vt cordis puritatem & innocentiam consequamur. Simile. Ephes. 4.

De my

Ezech.8.

De mysticis illis animalibus Ezechiel ait, quòd facies eorum, & pennæ desuper extentæ essent. Facies, quæ præcipua corporis nostri pars, magísque conspicua est, operis nostri intentionem; pennæ verò, mentis eleuationem designant. Hoc ergo in sanctis viris præcipuum esse debet, quòd omnis eorum intentio, omnis cogitatio, ab infimis rebus abducta, ad cælestia feratur: ita vt in operibus suis nihil aliud quàm placere Deo intendant; in cogitationibus verò nihil aliud iuuet eos cogitare, nisi Deum. Diuinorum operum consideratione commendat Moyses, Deuteron.4. *Ne obliuiscaris verborum quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo omnibus diebus vitæ tuæ.* Quo verbo vir sanctus perceptorum in eo itinere beneficiorum memoriam, & assiduam meditationem commendat.

Viri iusti officium.

Gregorius in Moral.

Contemplatio nos quasi ab hoc mundo mortuos velit: quia à terrenis desideriis susceptos, in intimis abscondit. Hoc maximè cuique piorum propositum esse debet, vt quantum per huius vitæ occupationes licuerit, se totum diuinis laudibus, cælestiúmque rerum contemplationi addicat, illámque Dauidis vocem toto corde vsurpet: *Vnam petij à Domino, hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini.* Item: *Benedicam Dominum in omni tempore*, &c. Qui diuinarum rerum contemplationi addicti, & quasi consecrati sunt, externis occupationibus (nisi cùm charitatis aut obedientiæ necessitas vrget) velut sale vti debent, cuius modica portio cibos condit, magna verò insipidos reddit. Immodicis enim occupationibus obruitur animus, & à statu suo depellitur. Vnde Dominus: *Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima.*

Psal.26.
Psal.33.

Occupationes externæ negligendæ.
Luc.10.

PRÆPARATIO ANIMI AD *orationem & contemplationem.*

Gregorius in Moral.

INTENTIONI *animæ si exterior euagatio clauditur, interior secessus aperitur. Nam quò extra se spargi propter disciplinam mens non potest, eò supra se intendere per profectum potest: quia & in altum crescere arbor cogitur, quæ per ramos distendi prohibetur. Dei secreta nō cognoscimus, si vigilemus in desideriis terrenis. Vnde Moyses in interiori deserto Deum videt, & in montem ducitur, vt cum Deo loquatur.* Lege apud D. Gregorium, Moral. cap. 9. est sanè caput aureum.

Attende & vide quanta aguntur in corde humano, & quemadmodum ipsæ plerumque cogitationes impediantur vanis cogitationibus, ita vt vix stet cor ad Deum suum. Augustinus super Psalmum 85.

Iuge silentium, & ab omni strepitu secularium perpetua quies, cogit cælestia meditari. In Medicat. *Bernardus*

Intentiones, cogitationes, & omnia interiora mea, venite, ascendamus in montem, vbi Dominus videt, vel videtur. Cura, & alia negotia, exspectate me hîc cũ asino corpore isto, donec ego cũ puero, ratione scilicet & intelligentia, vsque illuc properantes, reuertamur ad vos: reuertemur enim, & heu reuertemur quàm citò. Parentes, ægrotante filio, si somnum fortè salutarem carpit, obseruare studiosè solẽt, ne aliquo domesticorum strepitu somnus ille intercidatur: ita cælestis sponsus, anima in illo dulciter quiescente & obdormiente, diligẽter curat, ne salutaris ille ac vitalis somnus intercipiatur. Quid autem tali sponso dulcius? quid amãtius? qui tali studio, talíque adiuratione (vt in Canticis continetur) saluti & incolumitati suorum prospicit? Properantem Moysem ad videndum rubum, Dominus, qui in eo erat, compescuit, dicens: *Solue calciamenta de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est.* Quicunque Deum adire cupis, quidquid terrenum & mortale est, seponere primùm debes. Magna ergo puritate animi ad hoc officiũ accedendum est; & illud implendum: *Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio mentis tuæ* (ne quid in eam terrenum eo tempore ingrediatur) *ora Patrem tuum in abscondito.* Necessitates multæ corporis detinent nos. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam & terrena inhabitatio,* &c. Referuntur à D. Bernardo quatuor velut compedes animæ nostræ, nempe necessitas, vanitas, curiositas, & voluptas. Singula quæq; horum, vt cordis nostri puritatem inficiunt, ita adscensum in cælum impediunt. Oportet nos magna præparatione, sobrietate & religione pręparare, cùm ad orandum Dominum accedimus, & vitulos labiorum offerre volumus, id est, spirituales hostias; ne cum illis temerariis duobus filiis Aaron, qui offerebant ignem alienum, pereamus incendio.

Idem. | *Simile.* | *Somnus qui salutaris.* | *Exod. 3.* | *Matth. 6.* | *Sapien. 9.* | *Leuit. 10.*

DEVOTIONIS ADIVMENTA & impedimenta.

TRIA *sunt quæ vagam mentem stabilem faciunt: vigiliæ, meditatio, & oratio: quorum assiduitas, & iugis intentio, confert animæ stabilem firmitatem.* Ioannes Cassianus.

Abscondit seipsam infantis mater: quem si se viderit anxiè inquirere, gaudio afficitur; sicq; illum instituit sibi adhærere iugiter, affectúmque sui altiùs infanti imprimit, eúmque ad se amandum ardentiùs inuitat. Idem. *Simile.*

Vnguen

Simile. Vnguentum, quod curandis vulneribus adhibetur, diu iisdem hærere debet, quo sanitatem afferre possit. Cùm ergo vnguentum animæ vulnera sanans, & suauissimo odore carnis nostræ fœtorem consumens, deuotio sit, quæ ex oratione atque meditatione procedit, diutius orationi instandum, & in ea perseuerandum est, vt spiritualis sanitatis, & virtutis eius participes reddamur. *Anima*, inquit ille, *mea, sicut terra sine aqua tibi.* Aqua deuotio est; quæ in terram cordis nostri effusa, omnes virtutum plantas rigat. Omni custodia seruandum esse cor nostrum, Salomon docet. Quare? Nimirum, *quia de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia*, &c. *rursúmque à corde vita procedit.* Quale enim cor, talia sunt & verba & opera quæ à corde proficiscuntur. Quapropter quisquis vitam suam rectè instituere velit, non contentus externis virtutibus, magnam quoque, imò primam cordis sui curam habeat.

Psal. 142. *Cor seruandum diligenter.* *Prouer. 4.* *Norma viuendi.*

Gaudium spirituale.

QVISQVIS diuinis consolationibus, donisque cælestibus potiri optat, terrenas procul à se consolationes pellat: vt quoniam esse sine dilectione animus non potest, cùm carnalibus destituitur, spirituales quærat. Qui sic terrenas à se voluptates depellunt, Dominus sua paterna cura & prouidentia sub vmbra alarum suarum protegit, & in abscondito faciei suæ tuetur à conturbatione hominum, & à contradictione linguarum. tum est quædam mirabilis dulcedo, qua Dominus ipsos lactat, & secum mirabili amoris & suauitatis glutino copulat. Carnales homines vix mentem ad Deum eleuare queunt; at hi eò deuenerunt, vt vix ab eo mentē diuellere possint. Quanta sit spiritualis lætitia, & gaudium spiritus, declarant illa verba: *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa.* Non enim habet amaritudinem conuictus illius, nec tædium conuersatio illius, sed lætitiam & gaudium. Hinc illud Prophetæ: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine*, &c. *Et omnia ossa mea dicent: Domine quis similis tui?* Vinum & musica lætificant cor, sed super vtrumque dilectio sapientiæ. *Sicut*, inquit Apostolus, *abundant passiones Christi in nobis*, &c. Cùm nos tribulationibus Deus afficit, ad humilitatē hortatur: cùm consolationibus, ad charitatem. Ipse sit semper nobiscum. Amen.

Dominus quos tuęatur. *Sapien. 8.* *Psal. 30.* *Psal. 34.* *2. Cor. 1.*

IN FESTO ADSCENSIONIS DOMINI, CONCIO, IN QVA POST NARratam Dominicæ Adſcenſionis hiſtoriam, quo affectu & vitæ conuerſatione Chriſtum Dominum in cælum adſcendentem ſequi debeamus, exponitur.

THEMA. *Dominus quidem Ieſus poſtquàm locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei.* Marci vltimo capite.

INTER omnia Domini Saluatoris feſta, quæ religio Chriſtiana celebrāda ſuſcepit, ſingulari quodam priuilegio ſacri huius diei ſolennitas eminet. Eſt enim, vt Bernardus ait, conſummatio reliquarum feſtiuitatum, & (vt ita dicam) felix clauſula itinerarij Filij Dei. Quia verò hoc tam longum iter ſalutis noſtræ cauſa ſuſceptum eſt, planè noſtra intereſt, non modò ſalutis noſtræ auctorem & conſummatorem Ieſum glorificare, ſed etiam quid nobis contulerit hodie, intelligere. Nec enim minùs hodie ſalutis noſtræ negotium egit, cùm in cælum adſcendit, quàm cùm in terris nobiſcum verſatus eſt. Diſcimus Chriſtum Dominum adſcēſum nobis in cælum, ſuo adſcēſu parauiſſe: quādo is, & quò illū ſequamur, oſtēdit, & ducē ſe nobis huius itineris exhibet, nec ſolùm ducē, ſed etiā adiutorem. Quod D. Auguſt. intelligens, ſeipſum ad hoc iter ingrediendum adhortabatur his verbis: *Proficiſcamur, ô anima, ad ciuitatem, in qua adſcripti ſumus, & ciues decreti: ad quam nobis fiducia latum præbebit ingreſſum.* Quænam fiducia? Illa nimirū, de qua idem ait: *Vbi caro mea regnat, ibi me regnare credo. Vbi ſanguis meus dominatur, ibi me glorioſum futurum confido: & ſi peccata me excludunt, natura communio non repellit.* Clauſæ quidem erant regni cæleſtis à mundi ſurgētis initio fores humano generi; at hic inſignis triumphator confregit, & aperuit. In cuius rei typum Dominus poſt illum primorum parentum lapſum, poſuit Cherubim ad oſtium Paradiſi, & gladium flammeum atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. Hanc autem adeò vigilem, firmámque cuſtodiam (quæ ferro & igne aditu homines prohibebat) Saluator ſuſtulit. Ignem

Bernardus

Adſcenſio Domini quid contulerit.

Auguſtinus.

Cæli fores apertæ.

námque pretiosissima lateris sui vnda exstinxit; aciem verò gladij, vulneribus in corpore exceptis, hebetauit: atque ita demùm custodia illa sublata, & via mortalibus ad immortalitatem patefacta est: per quam hodie non solùm ipse, sed omnis etiam captiuorum turba cum illo pariter ingressa est, & beatarum mentium choris sociata. De hoc igitur ineffabili diuinæ pietatis beneficio dicturi, cælestem opem imploremus, sacratissimæ Virginis interuentu.

AVE MARIA.

PRINCIPIO Dominicæ Adscensionis historiam, quam nobis hodie sanctus Euangelista Lucas accuratè proponit, exponamus: deinde quid à nobis iure suo exigat, Domino adspirante, explicabimus. Ait igitur sanctus Lucas, Dominum Saluatorem quadraginta post resurrectionem suam diebus, discipulis variis modis seipsum conspiciendum, atque tractandum præbuisse; eósque multa de cælorum regno, quod illi mundo annunciare debebant, docuisse? ac familiarissimè cum iis conuersatum fuisse: quibus elapsis, hodierna die ipsis videntibus, in cælũ conscendisse. Manibus quippe illis sanctissimis in sublime porrectis, benedicebat illis, hoc est, bona illis precabatur, & pro eis preces ad Patrem fundebat. Si quis autem quærat, cur non statim post resurrectionem in cælum adscenderit, multæ sunt causæ: sed illa præcipua, quòd toto hoc tempore variis argumentis discipulos in fide resurrectionis voluerit confirmare. Huius námque mysterij fides totius Christianæ vitæ caput & fundamentum est. Vnde sicut ij qui excelsam domum extruere parant, firmissima eius fundamenta iaciunt, quibus tanta moles sustineri queat: ita (quoniam resurrectionis nostræ fides, totius pietatis atque virtutis fundamentum est) peritissimus artifex Christus firmissima eius fundamenta iacere cupiens quadraginta dierũ spatio hãc fidem præsentia sua stabiliendam curauit. Quo transacto, discipulos extra ciuitatem ad montem Oliueti perduxit, & multa cum eis ibi de Apostolatus officio tractauit. Atq; illud in primis, vt nihil interim molirentur, donec induerentur virtute ex alto. Ideóque præcepit, *ne ab Hierosolymis discederent, sed exspectarent promissionem Patris, quam audistis*, inquit, *per os meum. Quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies.* Qui quidem Spiritus non solùm vos ab omnium peccatorum sordibus purgabit, sed miro etiam modo cælestibus donis armabit: & ad labores omnes, omniáque

Benedixit Christus discipulis.

Simile.

Resurrectio fundamentum salutis.

Spiritus quid effecerit.

certa

certamina pro fide suscipienda, paratissimos & instructissimos reddet. Discipulorum pium erga Magistrum affectum D. Bernardus his verbis describit: *Quid putatis, fratres, quantus dolor & timor irruperit Apostolica pectora, cùm Dominum viderunt à se tolli, & attolli in aëra, non scalis adiutum, non sublevatum funibus; etsi Angelico comitatũ obsequio, non tamen fultum auxilio, sed gradiẽtem in multitudine fortitudinis suæ? Ablato sponso, propter quem omnia reliquerant, non poterant non lugere.* Timor inuasit, quia orphani relinquebantur in medio Iudæorum, nondum confirmati virtute ex alto. Quòd si aduersus hanc sententiam obiicias: Quæ ad nos vtilitas ex adscensu Christi emanare potuit, quæ sit cum ea comparanda, quam in terris agens præstare nobis potuisset? Quàm diu enim nobiscum versabatur, præterquàm quòd exemplis ac doctrina sua nos ad iustitiam erudiebat, poterat etiam pati, & mereri, & pro sceleribus nostris satisfacere: quorum nihil in cælo potest, vbi non merendi, sed recipiendi, non laborandi, sed regnãdi locus est. Qua ergo in re vtilis nobis esse potuit adscẽnsio eius? Duo, Auditores, commodissima tempora definiunt agricolæ: alterũ serendi, alterum metendi: alterum spargendi semina, alterum fructus percipiendi. Quæro vtrùm horum temporum felicius aut vtilius existimabitis? Vtrumque planè vtile: sed hoc tamen posterius longè vtilius & optabilius. Illud enim ad hoc ceu ad finem ordinatur. Finis autem iis quæ ad finem destinata sunt, nobilior atque præstantior est. Sic ergo salutis nostræ auctor Dominus Iesus in vita ac passione sua velut agricola seminauit: sed in resurrectione & adscensione messuit; *adscendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*, hoc est, victoriæ suæ spolia atque opes hominibus impertitus est. Cuius rei vel illud satis magno argumento est, quòd quamdiu nobiscum egit, centum & viginti homines designauit; super quos Spiritum sanctum misit; in cælis autem agens, vniuersum mundum sub imperium suum, ditionémque subiunxit. Quod enim de Samsone dictum est, quòd illustriorem de hostibus victoriam moriens, quàm viuus reportauerit; hoc de Saluatore nostro, cuius ille figuram gerebat, dici multò iustiùs potest. Denique adscẽdens in cælũ, adeò amplè atque magnificè Spiritus sancti dona largitus est, vt Apostoli manuum impositione Spiritum sanctum hominibus darent. Quin & ipsi Apostoli post eius in cælum adscensum ea plenitudine Spiritum acceperunt, vt qui humano metu exanimati in passione, Dominum partim negauerunt, partim relicto eo, fugerunt, posteà induti

Bernardus

Matt. 18.

Adscensionis vtilitas.

Simile.

Iudic. 18.

Apostolorum fortitudo.

Actor 5.

virtute ex alto, contra Reges & Principes, totámque mundi potentiam infracto & inuicto animo decertarint, ipsisque repugnãtibus, & mille tormentorum machinis obsistentibus, fidem longè latéque propagarint. Videtis ergo, Auditores, quàm salutaris nobis Christi Domini fuerit adscensus in cælũ. Cæterùm vbi à discipulorum oculis, Christi Domini præsentia sublata est, eos Euangelista memorat ibidẽ Dominum supplici- ter adorasse, & cum gaudio magno in Hierusalem regressos fuisse. Quare quęso cum gaudio magno, cùm magis de discessu Magistri mœrere quàm gaudere debuissent? Prædixit illis discessum suum, & tristitia impleuit cor eorum, discedit, iam gaudent, plus enim doloris perpessio, quàm prædictio torquere animum solet. Responsio in promptu est. Contristantur ob dilectissimi Magistri discessum: lacrymis tamen illis magnum gaudium adiunctum fuit, quãdo hoc tam stupendo adscensionis miraculo in fide diuinitatis eius plenissimè cõfirmati sunt: cùm illum non solùm à mortuis resurrexisse, sed etiam corpore in cælum conscendisse, quod nulli hactenus mortalium cõtigit, apertè viderunt. Ideóque adorasse hoc in loco adscẽdentem referuntur: quod genus venerationis vni Deo tribuitur. Iam maiori fide præditi erant, iam occasionem gaudendi de eius omnipotentia & pollicitis certissimis conceperant. Amicorum omnia sunt communia, ergo in ipso compotes rerum omnium effecti erant. Ex hac Magistri familiaritate tristitiam facilè abolere, vel magna ex parte leuare poterant.

Apostoli Dominum adorant.
Ioan. 16.
Amicorũ communia omnia.

Sciendum variis modis Christum Dominum salutem nostram operatum fuisse: cuius rei gratia variis nominibus in literis sanctis appellatur. Tria verò præcipua eius nomina celebrantur; nempe Redemptoris, Regis, & Sacerdotis: qui his tribus officiis in salute nostra procuranda potissimùm vsus est. Vt Redemptor, sanguinis sui pretio nos à diaboli captiuitate redemit. Deinde etiam vt verus & legitimus Sacerdos (cuius est officiũ orare, aduocare, & offerre dona Deo pro salute hominum) salutis nostræ causam egit. Omnis enim Pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quę sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Hoc autem munus Christus Dominus cumulatissimè præstitit, qui (vt idem Apostolus ait) cum clamore valido, & lacrymis pro nobis orauit, & exauditus est pro sua reuerentia. Postremò eandem salutem nostram non modò vt Sacerdos, sed vt verus etiam Rex stabiliuit atque promouit. Ad Regis enim officium præcipuè pertinet, sapienter ciues suos regere, atque in suum finem

Christi tria nomina celebria.
Sacerdotis officium.
Hebr. 5.
Ibidem.
Regis officium.

finem, hoc est, beatitudinem dirigere. Cùm igitur hac triplici ratione salutem nostram Christus Dominus procurauerit, tripléxque in hac re officium exercuerit, primum quidē officium inter nos agēs, exercuit, dum nos meritis, & sanguinis sui pretio à diaboli potestate redemit: at Sacerdotis & Regis officium non solùm cùm in terris vixit, sed nunc etiam cùm in cælo regnat, perpetuò exercet. Ait quidam vir pius: *O verè felices, quorum aduocatus, ipse iudex est: pro quibus orat, qui pari honore cum eo quem orat, adorandus est.* Quàm securus ageret, qui in Romana Curia negotium gerens, vel patrem, vel fratrem opibus & dignitate præstantem, & Pontifici maximo gratum haberet! Quàm lętus ergo vir pius agere vitam debet, qui cùm totus è cælo pendeat, talem ibidem apud Patrem aduocatum habeat, qui & gratia, & opibus, & potentia principatus omnes antecellat, & proximum post Patrem locum in cælesti illa curia obtineat? Meritò ergo Apostolus, bene sperare nos, & bono animo esse iubet, his verbis: *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetrauit cælos, Iesum Filium Dei,* &c. Rectè Regius Propheta ait: *Et in velamento alarum tuarum exultabo.* Habeo Deum protectorem & curatorem. Dominus igitur Saluator noster, ex hoc sacro monte, præsentibus ac stupentibus discipulis, in cælum sublatus est. Quæ autem lingua dicere, quis intellectus capere valeat, qua lætitia, quibus laudibus Saluator noster tot Angelorum, sanctorúmque agminibus stipatus, in cælestem illam Hierusalem hodierna die conscenderit? Si enim tanta populi frequētia & lætitia idem in terrena Hierusalem excipi voluit, quando in eam moriturus intrauit; qua lætitia in illa cælesti exceptus est, quam modò regnaturus ingreditur? Si ab hominibus, quid ab Angelis? Si sic dum procedit ad pugnam; quid, quando peracta pugna cum triumpho redit atque victoria? Excipitur magno iubilo infans in præsepio natus; quid finitis laboribus, superato dæmone, spoliato tartaro, quādo victor in cælum remeauit? Vide quid victori Dauid, superatis Amalechitis, milites acclamabant: *Hæc est præda Dauid.* Simili modo, hodie Angeli lætantes, Christo accinuerunt. Sic sacra illa Christi humanitas supra omnes Angelorū choros exaltatur. Hîc impletur illud sacri vatis: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Hoc igitur die Saluator, qui se propter gloriam Patris infra omnia deiecerat, parē humilitati suæ gloriam recipiens, ad dexteram Patris collocatur, nósque omnes, vt secum conuiuificauit, & conresuscitauit, ita secū in cælestibus cōsedere fecit. Cælū itaque, vt D. Augustinus

Felicitas nostra.

Hebr. 4.

Psal. 62.

Matt. 24.

Luc. 2.

1. Reg. 30.

Psal. 109.

Augustinus.

ait, quod Deum miserat in terram, hominem quoque iam portare didicit in cęlum. Deus duobus modis Ecclesiam gubernat. Exteriùs sanctissimis legibus, & Sacramentorum & doctrinæ miraculis Ecclesiam informat: interiùs verò spiritualem sensum & motum in piorum animas diffundit, internis eos motibus ad iustitiam & pietatem excitans. Quod quidem facit, non quatenus Deus est, sed etiã quatenus homo: hac enim ratione caput esse hominum prędicatur: aliàs enim & hominum & Angelorum caput existit. Sicut enim igni vnitum ferrum, ita eius vim & naturam participat, vt simili etiam virtute & potestate vtat: sic sacra illa humanitas Deo vnita, & ab eo deificata, diuinas actiones & facultates tamquam instrumentum diuinitati coniunctum obtinet. Cùm ergo sacra Christi humanitas Dei Verbo vnita sit, in eáque non aliud esse quàm diuinum confiteamur: haud dubium, quin vbi esse diuinum est, ibi etiam diuinæ actiones inueniantur. Ideóque nihil mirum, si ipsa Spiritum, & gratiã suam (quod est diuinitatis proprium) in mẽtes hominum diffundat, quod planè capitis officium est.

Simile de Christi humanitate.

Audistis, Auditores, Dominicæ Adscẽsionis historiam: nunc quid nos in hac sacra solennitate sentire, quídve facere par sit, explicemus. Ecclesiæ námque festa non ad solam Christi Domini & sanctorum gloriam, sed ad nostram etiam vtilitatem instituta sunt, vt illarum mysteriis & piè affici, & ad iustitiæ studium excitari valeamus.

Festa ad quid instituta sint.

Principiò igitur huius beneficij ratio exigit, vt cum Apostolis nos quoque simul & gaudere, & mœrore affici debeamus. Nihil enim impedit, quo minùs eadem de re, quamuis non eadẽ ratione, gaudere simul & dolere possimus. Gauisi sunt Apostoli, & nos (qui sumus mẽbra Christi) gaudere debemus. Eius gloria, nostra gloria est. Ait Leo Pont. Quos virulentus inimicus primi habitaculi felicitate deiecit, hos sibi incorporatos Dei Filius ad Patris dexterã collocauit, & secum in cælestibus cõsedere fecit. Omnia Saluatoris opera, siue quę ante passionẽ, siue quæ post passionem gessit, nobis salutaria fuêre. *Mortuus est* enim *propter peccata nostra: resurrexit propter iustificationem nostrã:* adscẽdit autem in cælum, vt appareret vultui Dei pro nobis, & cælestis hæreditatis possessionẽ pro nobis acciperet. Amã olim Iudæos valde afflixit; at ille suspensus est patibulo, & Mardochæus Iudæus pro eo Princeps palatij constitutus est, & totum genus Iudæorum, Deo volente, ab impendente morte liberatum. Quo tempore tanta illos inuasit lætitia, vt nouus quidam sol, nouáque lux oriri illis visa sit. Hoc

Leo Papa.

Rom. 6.

Aman suspensus. Hester 7.

exem

exemplo, Auditores, poteritis vtcumque, quanta sit nobis hodierno die causa lætitiæ, intelligere: in quo acerbissimũ generis humani hostem diabolum, Christi morte destructum atque deiectum; Christum autem Dominum generis nostri Principem in cælesti palatio exaltatũ, & ad Patris dextram collocatum videmus. Hic est frater noster, os nostrũ, caro nostra, qui causam nostram apud Deum Patrem agit. Negotium igitur Saluatoris non incongruè comparatur negotio Eliæ Prophetæ. Hic cùm tot annis, id est, tribus, & sex mẽsibus nõ pluisset, effecit, vt copiosissima descenderet pluuia, & arentem ac sterilem diuturna siccitate terram inebriaret, & maxima frugum ac fructuum omnium vbertate fœcundaret. Sic igitur Saluator noster in terris agens, fuit quidem contemptus; at sublatus in cælum, instar nubis copiosam cælestium donorum pluuiam in terram demisit, quę vberrimos pietatis & iustitiæ fructus è sterili & vacuo virtutibus mundo proferret. De plenitudine enim eius nos omnes accepimus, cui non ad mensuram Spiritus datus est, sed ea plenitudine, vt velut ex quodam indeficienti thesauro haberet semper quod erogaret. Ipse nobis præparat locum, quãdo perpetuò apud Patrem interpellat pro nobis, sicut Ioannes ait: *Filioli, hæc scribo vobis*, &c. Ille vt miles fidelissimus vulnera Patri ostentat, quæ ob illius gloriam accepit. Illi nihil potest negari. Hic sanguis clamat de terra. Elephãtibus in prælio milites, ad eorum iram acuendam, sanguinem ostendunt: at superno illi Patri ostẽsus Christi sanguis omnem ab eius animo excutit irã, & copiosam ab eo impetrat misericordiam. Sic filiis Israël pepercit, vbi vidit in superliminaribus sanguinem. Fuit ille sanguis Vnigeniti propitiatoriũ, quod furorem Patris mitigauit. Videte quanta nobis hodie cum Apostolis sit causa gaudendi. Sed nec piis etiã mœroris causa nobis hodie deest. In hac enim sacra solennitate est cur lætari, & cur etiã mœrore affici debeamus: quod in omnibus mysteriis vitæ Domini Saluatoris ferè contingit. Huius enim rei gratia mysticus ille Agnus, qui eius imaginem gerebat, cum agrestibus, hoc est, amaris lactucis manducari præcipiebatur: vt intelligeremus, in omnibus Christi operibus recolendis (quãuis ea lætitiæ plenissima sint) amaritudinis tamen quidpiã ex scelerum nostrorum recordatione (quæ illi laborum omnium materiam præbuerunt) adspergi debere. Sed & Christus nobis Sol iustitiæ est. Hac ergo luce subtracta, & iustitiæ Sole occidente, annon æquum est, vt qui in mediis mundi tenebris relinquimur, Solis huius absentiam sentiamus, & mœrore afficiamur?

Christus causam nostrã agit.

3. Reg. 18.

Ioan. 1.

1. Ioan. 2.

Elephas vt irritetur.

Exod. 12.

Latis tristia mista.

cùm non amplius cælestem illam tubam mysteria diuina resonãtem audire, non stupenda illa opera, clarissima diuinitatis eius argumẽta, cernere licebit? Quare dignum profectò est, vt orbitatis atque solitudinis huius sensu tacti, cum D. Augustino dicamus: *Recessisti consolator meus, nec vale dixisti. Quid ergo dicam? quid faciam? quò vadam? vbi eum quæram? Eia Domine appare mihi, exhibe præsentiam tuam, & consolatus ero. Exhibe præsentiam tuam, & consecutus ero desiderium meum.* Vide quàm dulci mœrore piæ mentes in hac sacra die affici debeant, cùm amantissimi Parentis, & benignissimi Magistri sui præsentiam sibi subtrahi contemplantur. Diximus, Auditores, quid hac die sentire; nunc quid agere debeamus, paucis explicandum est: quod quidem affectus ipsi, siue mœroris, siue lætitiæ, quos exposuimus, facilè indicant. Si enim summa felicitas nostra in Christi Domini præsẽtia sita est, eaque nobis in hoc exilio est adempta: quid igitur consequens est, nisi vt omni studio eò peruenire contendamus, vbi ille est; quo ab eius felicissimo conspectu & contubernio nunquã amplius diuellamur? Qua autem via ad illum tendere debeamus, ipse & verbis patefacit, & exemplis. Discipulis námque de hac via quærentibus, respondit: *Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem nisi per me.* Si igitur hæc omnia nobis Christus est, dicamus ergo cum Bernardo: *Sequamur Domine te, per te, ad te. Sequamur te, quia via: per te, quia vita: ad te, quia veritas ad quam tendimus, & cuius visione beati erimus.* Quia igitur via Christus est, & is per labores ad requiem, per patientiam ad gloriam, per certamina ad coronam peruenit, hac illum nos via sequamur, si consequi ipsum volumus. Ad quod nos idem in Apoc. præmio simul atque exemplo suo proposito, inuitat his verbis: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecũ in throno meo: sicut ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.* Magna planè merces, & votis omnibus expetenda. Christus Saluator nõ verbis solùm, sed multò magis exẽplo suo, Christianæ vitæ perfectionem demonstrauit. Christiana autem vita in charitate præcipuè sita est. Vt autem charitas in nobis retineatur, oportet omnia, quæ illi aduersantur, ac præcipuè immoderatum sui amorem expugnare. Amor Dei, Deum omnibus rebus anteponit: amor sui, res omnes Deo. Quocirca hic superãdus est, vt ille regnet in nobis. Charitas mentem in cælũ, vnde ea in nos descendit, attollere nititur: idque eò magis, quò flagrantior est. Quo nomine igni rectè comparatur, sub cuius imagine in Apostolos effusa est. Vt enim ignis vi sua tãto impetu

Augustinus in Meditat. *Ioan. 14.* *Bernardus.* *Apoc. 3.* *Christianæ vitæ perfectio.* *Simile.*

impetu loca supera & excelsa petit, vt repagula omnia, & ingentes etiã moles, quo sursum feratur, excutiat: ita mens charitatis igne flagrãs, in eum toto impetu fertur, quẽ super omnia diligit. Vbi enim est thesaurus eius, ibi & cor eius est. Hinc ait Apostolus: *Nostra autem conuersatio in cælis est.* Sicut autem cælestis amor mentem hominis attollit in cælum: ita carnalis hic põdere ac impetu suo ita deiicit, atque veluti demergit in terra, vt nihil aliud cogitet, nihil amet, nisi quod ad cultum & oblectamentũ corporis spectet. Itaque vt talpa sola terra alitur, neque aliud quàm terram quærit: ita isti talpis cæciores, bona sua omnia, opes omnes, atque felicitatem in terra posuerunt. Expugnemus igitur hũc, qui nos ad tartara demergit, vt alteri sit suum ius. Videtis ergo, Auditores, non tam charitatem ipsam, quàm viam ad eam consequendam esse difficilem. Non erat difficile haustam aquam è cisterna Bethlemitica ad Dauidem regem adferre, si Philistæorũ castra non obstitissent. Charitas enim velut portus ad quem tendimus, & fida littoris statio est: iter autem ad illam veluti nauigatio quædam est. In nauigatione autem labor; in portu verò quies & trãquillitas est. Sanctus sanctorum per labores ad requiẽ, ac per mortis acerbitatem peruenit ad vitam. Pudeat ergo nos alia via ingredi, quàm Rex noster ingressus est. Solus Salomon in deliciis fuit, & ideò fortasse corruit. Amplectamur crucem Christi, & illi associabimur. Amen.

Philip. 3.
Amor Dei & mundi qualis.
Simile.
Talpa similes qui sint.
Simile.
Christus labores sustinuit.

DOMINICA POST ADSCENSIONEM DOMINI, CONCIO, IN QVA post Euangelicæ lectionis enarrationem, de Spiritus sancti consolationibus, deque præparatione ad illum excipiendum, agitur.

THEMA. *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre,* &c. Ioann. 15.

QVIS sit humanarum rerum status & miseranda conditio, Auditores, paucis sapiẽtissimus ille Salomon expressit, cùm ait: *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupabit.* Quibus verbis insinuare voluit, nihil in hac vita stabile & immotũ, nihil eodem cursu & perpetua felicitate decurrẽs: sed omnia, quæ sub Luna sunt, cũ Luna ipsa quoque mutari, &

Prouer. 4.

modò secundis, modò aduersis humanæ vitæ flatibus agitari. Itaque sicut in mari nunquam eadem semper aura nauigatur, nec anni tempora eodem semper modo fluunt (sunt enim variæ diei & noctis, hyemis & veris, serenitatis & nubium vicissitudines) ita planè in hac vita secundis aduersa, & aduersis secunda, lætis tristia, tristibusque læta sibi succedunt, seque alternis vicibus consequuntur. Huius rei (vt alia prætereamus) exemplum in sacra præsentis Euãgelij lectione videre licet: in qua Dominus ac Saluator noster & Paracletũ Spiritum totius consolationis & lætitiæ fontem discipulis pollicetur; simulq; grauissimos labores, quos in dilatatione fidei passuri erãt, prædicit: vt pro huius vitæ conditione risus dolore misceatur, & gaudia doloribus excipiantur. Prædicit labores quos in Euangelij prædicatione passuri erant: eorundẽ laborum prædictione munit & armat, ne inopinati obruerentur. Viri sapiẽtis proprium est, non præsentia tantùm, sed futura etiam prudenti iudicio prospicere, & rerum conditionem non ex insanæ multitudinis opinione, sed ex earundem natura metiri. Serò animus ad periculorum patientiam post pericula instruitur. Nos autem rerum, quas amamus, stabilitatem non ex earum natura, sed ex amore ac desiderio ita metimur, vt quas æternas esse cupimus, æternas etiam futuras arbitremur. Huius enim rei grauissimas sæpe pœnas pendere solemus: nimirum, vt amissa ea re, cui omnis nostra felicitas innitebatur, omnia nostra bona vno simul impetu concidant, & tunc diuinæ prouidentiæ vim, omnia sempiterna cura & imperio moderantis, agnoscamus. Hac enim Deus illos disciplina erudit, vt nihil in hac vita firmũ, nihil stabile & immotum esse credamus, nisi quòd illius cura, & paterna prouidentia seruandum susceperit. *Dexteram tuam*, inquit Propheta, *sic notam fac, & eruditos corde in sapientia.* Poteris exemplo agnoscere. Cur ego in vase vitreo ferreã aut æream soliditatem requiram? Vitrum est, vt vitrum igitur illud æstimabo, nec illius magis stabilitati, quàm rei fragili, & mille periculis obnoxiæ, fidam. Sic Dominus futuras piorum clades prænunciare solet; vt hac prędictione admoniti, seipsos spiritualibus armis ad futura certamina præparent.

Simile.

Mutationes variæ.

Prudentis quid proprium sit.

Iudicium nostrum.

Psal. 89.

Simile.

AVE MARIA.

Ait igitur præsentibus discipulis: *Cùm venerit Paracletus, quẽ ego mittam vobis à Patre.* Ille enim insigniũ operũ miraculis, quæ per vos patrabit, admirabilique sapientia, quam ore vestro loquetur

loquetur (*non enim vos eritis qui loquemini, sed Spiritus Patris vestri qui loquetur in vobis*) clarissimum de me testimonium feret, & vos quoque testimonium perhibebitis: vt qui à doctrinæ meæ initio mihi adstitistis, & miranda opera mea vidistis. Hæc duo testimonia simul Apostoli post resurrectionem Domini ante Principes Sacerdotum protulerunt, cùm de doctrinæ suæ veritate conquisiti, confidenter responderunt: *Nos horum verborum testes sumus, & Spiritus sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.* Hac ergo ratione vos simul cum Spiritu sancto testimonium de me laturi estis. His etiã verbis apertè Spiritus sancti processionem à Patre simul & Filio esse docet: à quibus vt diuinitatem, ita quoque potentiam, sapientiam, & munus etiam nos sanctificandi, roborãdi, & consolandi accipit. Hic est omniũ artifex, & omnem habet scientiam, modò quidem per ignem, modò per aquam (vt cæteras eius imagines prætereã) significatur. Aqua sordes abluit, terrã fœcundat, Solis ardorem temperat, sitim exstinguit: quę omnia appositissimè Spiritui sancto conueniunt. Is enim peccatorum nostrorum sordes lauat, fructus æternę vitæ in nobis profert, cupiditatis ardorem temperat, & sitim terrenorũ gaudiorum, cælestium exhibitione restinguit: atque hoc modo piorum mentes cælesti consolatione replens, fit eis in mœrore solatium, in labore refugium, & tutissimum in periculis & tẽtatione firmamentum.

Matt. 10.

Actor. 4.

Sapien. 1.

Aquæ proprietas.

Spiritus sancti proprium.

Quem Spiritum Paracletum, eundem & Spiritum veritatis appellat: vt qui non modò voluntatem homnis spirituali cõsolatione afficiat, sed intellectũ eius peccati tenebris obscuratum, luce suæ veritatis illustret. Hoc enim veritatis lumine, in his densissimis Aegyptiorum tenebris egebamus, ne nos tot errorum, corruptissimorúmque iudiciorum tenebræ comprehenderent. Maximè igitur ad institutionem vitæ nostrę diuinę veritatis radius necessarius erat, ad quem in tantis tenebris confugeremus, in quem vnum intueremur, quo actiones nostras ad optatum finem dirigeremus, quique nobis esset itineris dux, vitę magister, errorum depulsor, & veritatis ac pietatis certissimus doctor. Necesse est vt ad hunc assiduè ducẽ cõfugiamus, ac dicamus: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam,* &c. Et, *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam,* &c.

Psal. 42.

Psal. 12.

Hactenus quidem Saluator spiritualia munimenta discipulis nobisq; proposuit: nunc labores ipsos describit, ad quos ferẽdos, spiritualia hęc arma contulit. Sequitur enim: *Hæc locutus sũ vobis, vt nõ scandalizemini. Absque Synagogis facient vos:*

sed

Apostoli hominibus salutares.

Sed venit hora, vt omnis qui, &c. Cõstat, nullos vnquam homines hominibus magis salutares, quàm Apostolos extitisse, qui illos ab horrẽdis tenebris ad lucẽ, à cultu lapidũ & lignorũ ad veri Dei cultum, à morte denique sempiterna ad immortalem vitam traducere summo studio nitebantur: eò tamen mundi insania processerat, vt sicut phrenesis morbo laborantes (quorum omne rationis lumẽ extinctũ est) in nullos magis, quàm in medicari & sanare volentes insaniunt: ita planè mundus in nullum genus hominum atrociùs desæuit, quàm in hos ipsos, qui ipsum exitiali morbo laborantẽ sanare volebant. Isti ferè omnem malorum sensum cum ipsa virtute amiserunt: hoc fit, quia minora non curamus. Quæ lædunt corpus, facilè curamus; quæ autem animam, negligimus. Scriptum est: *Peccator cùm in profundum venerit malorum, contemnit.* In hoc miserando statu mundus erat; quare nihil mirũ, si ita in eos qui sanare ipsum cupiebant, efferatus esset. *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini:* hoc est, vt cùm vos futura mala adoriẽtur, de gradu virtutis & constantiæ minimè depellant, nec malorum pondere succũbere faciant. Quæ verò mala secutura sint, protinus explicat, cùm subdit: *Absque synagogis facient vos:* hoc est, maximis cõtumeliis vos afficient; sed memẽtote quid dixerim vobis: *Beati eritis cùm maledixerint vobis,* &c. Eiicient vos tamquam publicam perniciem ac pestem, imò putabunt se obsequium præstituros Deo gratissimum, cùm vos omnium tormentorum genere è medio sustulerint. Paulus de se, ac aliorum nomine testatur: *Facti sumus tamquam purgamenta huius mundi.* Deos suos sanguine nostro arbitrabantur placari. Hæc autem impia persuasio adeò tenaciter hominum pectora illis temporibus occupauit, vt hac de causa D. Augustinus libros de Ciuit. Dei, & Siluanus contra Gentes, & ante hos ipsos diuus Cyprianus aduersus Demetrianũ, clarissima ediderint volumina, quibus peruersam hanc infidelium opinionem ex hominum mentibus euellere conati sunt: qui videlicet nouæ Christianorum religioni omnia quibus tunc mundus vrgebatur mala imputabant: quocirca necesse esse, eam è mũdo prorsus eliminari, quo mundus in pace ageret, cælestibúsque beneficiis potiretur. Quo quid demẽtius, aut execrabilius fingi potuit? Tali peruersa persuasione & modo in Catholicos Caluiniani hæretici laborant. Sed vnde tãtus furor, vnde hæc tanta rabies? *Quia,* inquit, *non nouerunt Patrem, neque me.* Quid ergo nosse poterant, qui te Domine, Dei virtutẽ, & Dei sapientiam ignorabãt? Necesse igitur erat eos in terris tenebris & caligine

Simile.

Mundus insanit.

Prouer. 18.

Matth. 5.

1. Cor. 4.

Tyrannorum opinio.

Opinio mũdi de piis.

versa

versari, qui duo hæc veritatis, & sapientiæ lumina nõ videbãt. Quare autem mundus veritatis lumen adeò sit execratus, paucis vno exemplo declarabimus. Sicut enim lumẽ sanis quidem oculis gratissimum, lusciosis verò & ægris molestissimum est: ita sanè sanis mentibus, & ab omni turpitudinis contagio puris, nihil veritatis candore iucundius, nihil amabilius: impuris autem & carnalium voluptatũ cœno immersis, nihil acerbius ea veritate, quæ eas sordes & impuritates execratur & damnat; quæque splendore suo earũ detestabilem prauitatem detegit, & in lucem prodit. Annon cùm multi alij tyranni, tum vel maximè adultera Herodias ostendit, quæ tam immani odio aduersus innocentem Ioannem, eius adulteria accusantem, exarsit, vt sancti viri supplicium Herodis regno prætulerit? Virtutem quidem impuri etiam homines admirantur & colunt, sed, vt quidam tamen dixit, *Probitas laudatur & alget.* Laudãt virtutem, quomodo iudicũ & magistratuum seueritatem laudant; quam tamen in rebus suis locũ habere nolunt. Quæ cùm ita sint, non mirum, si sancti Apostoli, qui tanta cura improbos homines ab impietate & iniustitia ad honestatis studium traducere nitebantur, quique virtutis lucem lippientibus oculis præferebant, adeò acerbum contra se impiorum odium & rabiem concitarent. Quod ergo tãtis malis, Domine, remedium adhibes? Quomodo dilectissimos amicos tuos tot calamitatibus expositos relinquis? Subdit protinus: *Sed hæc locutus sum vobis, vt cùm venerit hora, eorũ reminiscamini, quia ego dixi vobis.* Primũ laborum solatium & munimentum est, hæc ipsa mala multò antè discipulis prænũciasse, ne quicquam illis inopinatum accideret, vt dictũ est antè. Est hîc & aliud quod nõ modicum præbet solatium, quòd ex prædictione Magistri illius diuinitatem agnoscebant, cuius est futura prænoscere. Habebant in ipsa morte Deum adiutorem & protectorem. Poterant cum Propheta clamare: *Dominus illuminatio & salus mea, quem timebo?* &c. Adfuit & sancti Paracleti consolatio, quæ piorum mentibus robur inuictum & insuperabile præstat. Hoc enim spirituales deliciæ à carnalibus distant, non solùm quòd istis vitia, illis virtutes aluntur; sed etiam quod istę dissoluunt, illæ roborant; istæ molles & effeminatos illæ autem viriles & strenuos animos generant. Dulcedo autem Spiritus Paracleti facit, vt nullum laborẽ, nulláque certamina mentes piorum recusent, quo hanc tantam suauitatem percipiant, qua ad diuina obsequia alacriores, promptiorésque reddantur. Hac autem fideles initio nascentis Ecclesiæ copiosissimè fruebantur. Sic enim

Simile.

Herodias insana.
Matt. 14.

Virtutem improbi colunt.

Deus qui cognoscatur.

Psal. 26.

Actor. 5. enim in Actis Apostolorum legimus: *Ecclesia ædificabatur, ambulans in timore Domini, & consolatione Spiritus sancti replebatur.* Hac igitur pleni & roborati Apostoli, ibāt gaudētes à conspectu consilij, quòd digni essent habiti pro nomine Iesu contumeliam pati. Magnum est in contumeliis & verberibus, & carcere gaudere: sed quātò maius est, summam dignitatem & gloriam in hoc sitā esse existimare? Colligimus magno Dei consilio factum esse, vt priùs quidem Paracletus aduenirer, qui Apostolorum pectora ad pugnam roboraret, quàm aduersus eos mundus insurgeret. Priùs enim vires præberi, deinde certamina subsequi; priùs armis spiritualibus instrui, deinde cum huius mundi principe dimicare debebant. Hoc duce quis in certamine superior? Deus, qui pios consolatur: quis eos ergo tristitia afficere valeat? Vtinam, Auditores, huius diuini Spiritus vel minima scintilla intra viscera nostra ęstuaret: non dubium quin nulla mundi vis, nullus mœror, nullæ carnis illecebrę mentem nostram de gradu virtutis & constantię depellere possent. Hęc sant solatia, quę Dominus Apostolis, & piis omnibus ad ferendos propter iustitiam labores, impartitur.

Dux quis tutißimus

Præparatio ad Spiritum sanctum.

Hactenus de Euangelica lectione, nunc ad id quod initio proposuimus, id est, de pręparatione Spiritus sancti, agemus.

Cùm animus noster pręsētibus & sensibilibus bonis maximè capiatur, futura verò & spiritualia fastidiat; quia qualia sunt, minimè vult percipere: hac ergo de causa Spiritus ille diuinus quandam cęlestium gaudiorum pręgustationem, ac veluti primitias piis in hoc etiam exilio largitur: quibus aliqua saltem ratione cęlestis gaudij magnitudinem, velut ex gutta percepta fluminis magnitudinem, agnoscant. Sicut ergo qui pretiosa vina distrahere cupiunt, exemplar aliquod in exiguo vase vidēdum atque gustandum emptoribus offerunt, quo sapore, odore, atque coloris eius splendore illecti, ad illud emendum alliciantur: ita planè infinita illa bonitas, quę mortales cunctos sui participes efficere cupit, supernę dulcedinis exigua quędam pręgustamenta multis elargitur, quo ad summi huius boni plenitudinē consequendam acriùs incitentur. Sic ex Cananęorum terra, quam Iudęis pollicitus fuerat, insignes quosdam fructus, ficus scilicet, vuas, & malogranata afferri voluit, vt eorum pulchritudine & suauitate capti, nec itineris laborem, nec dimicandi pericula pertimescerent: sic etiam futurę felicitatis prælibationem quandā piis in hoc exilio præberi voluit. Verùm mundi bona, id est, omnia oblectamēta, nempe imperia, regna, opes, ad hæc collata, nihil sunt. Hæc apud homines

Simile.

Num. 13. Mūdi oblectamenta varia.

homines in magno sunt pretio, at ad sapientiam collata, nihili sunt. *Melior est*, ait Sapiens, *sapientia cunctis pretiosissimis*, &c. Sed quis tandem hoc seculi hominibus persuadere valeat? Reclamet autem quãtum volet mundus, ego diuina oracula non solùm corruptissimo multitudinis iudicio, sed omniũ seculorum, omniumque mundi sapientium iudiciis præferam. Huius felicitatis auctor est ipse Spiritus paracletus; officium eius describit Esaias Propheta: *Consolabitur ergo Dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas eius*, &c. Si enim omnipotens Deus hoc sibi munus pios consolãdi delegit: qualis erit illa consolatio, quæ à tali fonte proficiscitur? Quid enim ab immensa illa maiestate, quod non eius magnitudinem referat, oriri potest? Idem autẽ & adhuc longè clariùs alio in loco per eũdem Prophetã his verbis pollicetur: *Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis.* Quomodo si mater blandiatur, ita ego cõsolabor vos. Quibus verbis quid dulcius? quid blãdius? quid amantius? Quas non molestias libenter pij perferrent, quo hac plusquam materna Dei indulgentia perfruantur? Iam si à me quæratis, qua ratione hæc tam eximia diuini Spiritus dona percipere possitis: scitote eiusdem auctoris esse & dona tribuere, & ad donorum suorum perceptionem animam præparare. Quare ille orandus est, vt nos sibi aptare, & ad dona sua percipienda pręparare dignetur. Hac ergo primùm ratione dignum Spiritui sancto habitaculum pręparatur, si ipsum assiduè precemur, vt mentes nostras casta sibi habitacula pręparare dignetur. Nec vlla nos diffidentia ab hoc instituto reuocare debet, cùm vocem veritatis nos his verbis confirmantem audiamus: *Si vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester cælestis dabit Spiritum bonum petentibus se?* Ex quibus verbis liquidò constat, assiduum precandi studium ad Spiritus sancti dona percipienda cũ primis iuuare.

Prou. 8. *Esa. 51.* *Consolatio diuina immensa.* *Esa. 66.* *Animam præparare Dei est.* *Luc. 11.*

Nemo tamen sibi hoc sufficere putet, nisi manum etiam ad aratrum iniiciat. Salustius dicit, *auxilia deorũ non votis muliebribus parari, sed vigilando, & bene agendo, prosperè bene omnia cedere.* Quæ sententia quamuis ab ethnico homine profecta, maximè tamen fidei nostræ consentanea est: quæ precibus, quas Deo fundimus, pietatis ac iustitiæ opera iungenda esse docet. Itaque non satis est, Spiritum sanctum, vt sedem intra te sibi statuat, inuocare, nisi mentem quoq; tuam omni genere virtutũ ornare studeas. Sicut enim omnibus mẽbrorum atque sensuũ organis instructus esse infans in materno vtero debet, quo in illum naturæ conditor animam infundat,

Salust. in Catilin. *Mulierũ vota qualia.* *Simile.*

quæ

Mens ornanda. quæ ſenſus ipſos perficit,& rationali vita afficit:ita cæleſtibus donis inſtructa eſſe ea mens debet, quæ domicilium intra ſe Spiritui ſancto parat. Quæ tamen dona nemo ſine eiuſdem Spiritus ope ſe aſſecuturum ſperet: quæ idem rurſus mentem ingreſſus perficit, & nouis auget incrementis. *Augustinus.* Ille Spiritum ſanctum habet,quiſquis Deum diligit,& habendo meretur,vt plus habeat,& plus habendo plus diligat. Tabernaculum teſtimonij variis erat coloribus & figuris fabricatum: ſic conuenit vt Eccleſia Chriſti, & fidelis anima(in qua cæleſtis commoratur Spiritus) virtutum atque donorum cæleſtiũ ornamentis ſit ornata, quo dignum tanto hoſpiti fiat tabernaculum. Neque enim diuini oculi auro,argento,purpura,cęteriſque his ſimilibus rebus oblectantur,ſed iis virtutibus,quę per hęc ipſa intelliguntur. Quòd enim piorum mentes tabernaculum Dei ſint, idem ipſe Dominus teſtatur, cùm ait: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit*, &c. *Ioan.14.* Apoſtolus quoque: *Templum*, inquit, *Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* *1.Cor.3.* Quiſquis igitur ad hanc tantam dignitatem adſpirat, totis ſtudiis incumbat, vt ornamenta illa omnia intra ſe ſpiritualiter habeat, quæ corporaliter Dominus in tabernaculo illo requirebat. *Animæ ornamenta.* Fuerũt ibi duo altaria; alterũ intra tabernaculum, alterum extra illud.in primo accendebatur thus, in altero animalia in ſacrificium mactabantur.ita in anima noſtra,in primo altari thus deuotæ orationis ac dilectionis offeratur Domino;in altero altari,ferini mores,id eſt,ſuperbia, laſciuia, luxuria,& ſimiles affectus offerendi ſunt ac mactandi Deo. *Animalia quæ offerenda à nobis.* Cupiditates & propria voluntas (his enim hoſtiis promeretur Deus)iugulandæ & amputandę ſunt. Duo altaria ſtatuenda ſunt.Sunt qui orant,qui tamen iræ,ambitionis & auaritiæ intra ſe morbum retinent: hi ſanè non habent duo altaria,& minùs etiam placent Deo. Porrò autẽ ante tabernaculi oraculum opponitur velum, quod ex quatuor coloribus contextum erat,nempe purpura, coccóque bis tincto, & byſſo retorta,atque hyacintho.Et in purpuræ quidẽ ſanguineo colore patientiam, quæ totius vitæ & peregrinationis noſtræ quaſi baculus quidam eſt, intelligimus; quo in aduerſis rebus(quibus hæc vita referta eſt)ſuſtẽtamur. *Patientia eſt baculus vitæ noſtræ.* In cocco verò bis tincto duplex charitas deſignatur:hoc enim mandatum habemus à Deo,vt qui diligit Deum,diligat & fratrem ſuum. *1.Ioan.4.* His autem iungitur byſſus retorta. Byſſi nitor caſtitatem candore ſuo ſignificat:quæ tamen retorta eſſe debet,quia nemo illibatam diu caſtitatem ſine carnis maceratione retinere poterit. Ridiculum eſt enim intra varias carnis delicias atq; fomenta,

carnis

carnis puritatem conseruare velle: ideóque non mirum, si mundus ardet libidinibus, quia quisque, quantum potest, deliciis carnis indulget. Hinc Ioannes Climacus ait: *Qui*, inquit, *sine carnis maceratione, carnis lasciuiam superare vult, similis est ei, qui panem proiiciens, canem à se abigere nititur.* Postremus color hyacinthinus, hoc est, cæruleus siue cælestis est: quo admonemur terrenis rebus despectis, cælestia cogitare, appetere, & ad cælestia gaudia toto studio festinare: quandoquidem non habemus ciuitatem hîc manentem, sed futuram inquirimus. Videmus igitur omnes illos, qui piè viuere volunt in Christo, tribulationem oportere pati. Nam sicut aurum in fornace probatur, ita eos Dominus probat, & quasi holocausti hostiam accipit eos. Verissimè à Propheta dictum est: *Multæ tribulationes iustorum: & ex omnibus his liberabit eos Dominus.* Quare Dominus eos consolari non desinit. sic enim ait Vates sanctus: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Cæterùm cùm ea sit humani animi natura, vt sine delectatione aliqua esse nequeat, nec fas sit impuris illum voluptatibus irretiri: necesse profectò erat, spiritualibus eum deliciis foueri, quo illum diuina prouidentia (quæ non deficit in iis, quæ ad hominis salutem necessaria sunt) à carnalibus, & inconcessis voluptatibus ablactaret. Hoc autem munus Spiritui sancto ita tribuitur, vt hac de causa Consolatoris nomen acceperit. Præstat igitur nobis Spiritus sanctus, vt abdicata fœda voluptate carnis, spiritualibus deliciis subinde recreemur. Sic Paracletus piorum corda miris deliciis afficit, & ad omnium terrenarum voluptatum cõtemptionem inducit. Iam quo aptiores simus ad consolationes tanti hospitis, necesse est, vt primùm mentis nostræ domũ ab omnibus peccatorum sordibus purgemus. *In maleuolam* enim *animam non introibit sapientia.* Sicut tenebras pelli primùm necesse est: quo lucis splendore aër illustretur: ita peccatorum tenebræ fugandæ priùs ab anima sunt, quo diuini Spiritus luce & gratia compleatur. Secundò, exemplum Apostolorum imitandum, qui erant perseuerantes in oratione. Videmus perseuerantiam & assiduitatem orationis esse ad impetrandum efficacissimam. Spiritus igitur totius sanctitatis & pietatis clamorem continuum non contemnet. Multos integras noctes in ludo chartarum, etiam maximo suo malo, insumere non piget; at semihoram in oratione, siue Diuino officio perstare nauseat: vide qualis spiritus in illis operetur. Orationes ergo nostras ieiuniis, eleemosynis,

Similitudo.

2. *Tim.* 3.

Psal. 33.

Psal. 93.

Sapien. 1.
Simile.
Actor. 1.

iniuriarum remissione, vigili sensuum custodia, & cupiditatum abdicatione adiuuare debemus; quo talibus præsidiis fultæ, cælos penetrare, atque inde cælestes opes, & eximia Spiritus sancti dona nobis impetrare valeant. Amen.

IN DIE SANCTO PENTECOSTES, CONCIO: IN QVA HISTORIA Aduentus Spiritus sancti, quam S. Lucas Actuū 2. describit, enarratur: ac deinde, ad quid potissimùm idem Spiritus sanctus venerit, & cur in specie flatus venerit, exponitur.

THEMA. *Factus est repentè de cælo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis.* Act. 2.

QVAMVIS sacratissima huius diei solennitas, Auditores, discipulorū Domini propria esse videatur (qui primitias hodie Spiritus perceperunt) nos tamen nullo modo ab eius participatione secludimur. Siquidem Spiritus sanctus, qui hodierna die in illos descendit, sic planè descendit, vt quàm diu seculum steterit, ipse quoque apud nos mansurus sit. Hoc est enim quod in fidei Symbolo quotidie profitemur, cùm sanctam Ecclesiam, & Sanctorum communionem nos credere dicimus. Confitemur enim, in mundo esse piorum & sanctorum hominum cœtum, in quibus Spiritus sanctus sedem sibi & domicilium elegerit, cuius ductu atque applausu rebus omnibus terrenis, tanquam inanibus, & celeriter interituris, spretis atque contemptis spem omnem, amorem & felicitatem suam in vno Deo positam & constitutam habeant. Propter cuius gloriam & obedientiam non modò terrena ista contemnere, sed vitam etiam & sanguinem profundere parati sunt. Hic est ignis qui è cælis hodie effusus est, & in mundo planè ad finem vsque mundi integer & inextinctus in mentibus multorum fidelium permanebit. Cuius rei typum gessit ignis ille qui supra Mosis sacrificium, quod in deserto obtulit, è cælo descendit: qui deinceps appositis quotidie manu Sacerdotum lignis, in sacro loco vsque ad captiuitatem Babylonicam adseruatus, post illam mirabili ratione restitutus est. Qua de re in 2. Machab. lib. scriptum legimus: *Cùm in Persidem ducerentur Patres nostri, &c.* Agitur ibi de igni qui in suis sacrificiis immolari solebat. At

Pentecoste ad nos pertinet.

Deus amor noster est.

Ignis sacer quid prænotet.

2. *Mach.* 1

noster ignis è cælo demissus,& hoc nouo miraculo restitutus, quo omnia veteris sacrificia Legis incendebãtur;typũ cælestis ignis tenet, qui hodie Apostolorũ pectora incẽdit. Sicut enim nullum olim sacrificium Deo gratum erat,nisi hoc igne combureretur: ita nullum iustitiæ, aut pietatis, aut laudis sacrificium acceptum Deo est, nisi ab hoc diuini Spiritus igne virtutem trahat. Quicquid enim honestè feceris, nisi hoc diuini amoris igne conditum fuerit, gratum Deo non est. Hîc diuinus ignis permanebit nobiscum ad finem mundi,& in piorum mentibus habitabit. Videmus solennitatem hanc non ad Apostolos solos, sed etiam ad nos pertinere. Oremus opem diuinam suppliciter.

Sacrificiũ vt gratum sit.

AVE MARIA.

ANTEQVAM de huius diei mysterio incipiam disserere, dignitatem solennitatis præsentis paucis indicabo. Nomen habet Græcum; Pentecosten,quod quinquagesimum diem significat: quo die Iudæi memoriam celebrabant amplissimi cuiusdã beneficij,quod in illos Domin⁹ quinquagesimo die, posteaquam ab Ægypto egressi erant, contulerat. Descendens quippe in montem Sinai, iter illis ad felicitatem, & immortalem vitam ostendit: dum leges dedit,quibus & ritè Deum colere, & felicitatis eius participes effici possent. Quod quidem beneficium magnificis quidem verbis legislator ipse Moyses attollit,cùm ait: *Quæ est gens tam inclyta, quæ habeat cæremonias, iustaq; iudicia,& vniuersam Legem, quam ego proponam hodie coram oculis vestris?* Huius igitur tanti beneficij memoriam Iudæi hoc quinquagesimo die celebrabant, laudis & gratiarum actionis Domino sacrificium offerentes: quòd soli inter omnes nationes delecti essent, quibus diuina eloquia crederẽtur,soli sine vllo errore veri Dei notitiam, & ritum colẽdi nacti essent. Hæc tamen Lex, quamuis meritò inter magna Dei beneficia numeranda esset, non tamen omninò perfecta & absoluta erat:multa in ea meritò desiderabantur. Ostẽdebat quidem iter in cælum;at homini per cõmunem peccati morbum imbecillo, vires ad ingrediendum non suppeditabat. Peccati quidem fugam præcipiebat, sed peccati odium non præbebat. Prætereà cùm multa quidem hominibus aliàs concessa prohiberet,prohibitione ipsa peccandi acuebat appetitum (qui ferè *nititur in vetitum semper, cupitque negata*) ac legum quoque & prohibitionum multitudine, plura infirmis hominibus per

Pentecoste vnde.

Exod. 32.

Deut. 4.

Iudæi soli Deum colebant.

Lex imperfecta.

occasionem non quidem datam, sed acceptã, offendicula præbebat. Vbi enim non est Lex, nec præuaricatio: constituta verò Lege, præuaricationis pariter occasio constituitur. Hæc ergo, quæ infirmis hominibus offendiculo esse poterant, hodierna die Spiritus ille aduentu suo sustulit: dum fidelium mentibus illapsus, nõ modò splendidissimo lucis suæ fulgore eos illuminauit, sed etiam charitatis igne in amorem rerum diuinarum accendit, & afflatu suo ad omnia Legis præcepta perfectissimè implenda vires contulit. Quod ita futurum esse, multò ante Dominus per Hieremiam hoc memorabili vaticinio pollicitus fuerat: *Ecce, inquit, dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israël, & domui Iuda fœdus nouum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus vestris,* &c. Dabo Legem meã in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam. Cùm autem nouum fœdus & pactum, siue nouã Legem auditis, non solùm Euangelium atramento & calamo scriptum, sed præcipuè Spiritum sanctum cogitatione complecti debetis. Hæc enim noua Lex (vt D. Augustinus, cæterique Patres docent) ipsa Spiritus sancti gratia, eiúsque diuina præsentia est. Præcipuum autem atque maximũ in Lege noua, & in quo tota eius vis consistit, est gratia Spiritus sancti: quæ & mentem nostram ad pietatem & iustitiam erudit, & ad eam studiosè colendam afflatu suo incitat & impellit. *Quid,* inquit Diuus Augustinus, *sunt Leges nouæ, nisi virtutes in cordibus fidelium?* Hæ námque nos ad officia sua alacriter & suauiter exsequenda mouẽt. Alacriter, inquã; quia, vt Philosophus ait, non est admodùm difficile ea agere quæ vir iustus agit, sed difficile tamẽ est, eo modo agere, quo ille agit, hoc est, prõpto & alacri animo. Quare vtriusque Legis discrimina animaduersione quidem dignissima cognoscere licebit. Illa siquidem Lex scripta fuit in tabulis lapideis: hęc verò in cordibus fideliũ, in quibus habitat Spiritus sanctus. Illa solùm erudiebat & illuminabat intellectum: hæc verò & illuminat longè clariùs intellectũ, & vehementer in amorem Dei inflammat affectum. Illa viã solùm ostendebat in cælum: hæc & viam ostendit, & vires atque animum ad ingrediendum addit. Illa pœnis ac terroribus homines in officio cõtinebat: hæc amore magis ad pietatem & officium inuitat. Quocirca illa timoris Lex, hæc amoris esse dicitur: illa seruorum, qui pœnarum metu à malo coërcentur, hæc verò filiorum, qui amore magis ad obedientiam incitamur. Vnde cùm Dominus illã ferret legem, tanto filios Israël tremore concussit, vt perterriti, atque pauore percursi, ad Moysen dicerent: *Loquere*

Lex Christi perfectissima. — *Hiere. 31.* — *Euangelium quid præstat.* — *Augustinus.* — *Aristoteles.* — *Euangelij & Legis discrimen.* — *Exod. 20.*

quere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. Quibus ait ille: *Nolite timere; vt enim probaret vos, venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & ne peccaretis.* At hoc die fideles, amoris igne de cælo immisso, non timoris, sed amoris Spiritu in nouam vitam informati & animati sunt. Vnde Apostolus: *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba pater:* hoc est, qui filiorum in pectore nostro amorem ingenerans, facit nos Deum toto affectu tanquam parentem, & vnicum salutis auctorem, inuocare. Est & aliud discrimen, quod quidem ex impari vtriusque Legislatoris dignitate nascitur: quod Ioannes Euangelista exponit, cùm ait: *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Quò verò Legislator dignior, hoc & Lex præstantior atque sublimior. His ita constitutis, facile est animaduertere quanta sit huius diei solennitas, quantáque à nobis deuotione & alacritate celebranda. Si enim Iudæi olim ex omni natione, quæ sub cælo est, Hierosolymam confluebāt, vt pro latæ legis beneficio omnes in commune Domino gratias agerent: quid nos facere par est, qui hoc eodem die pro Lege Euangelium; pro litera Spiritum; pro Lege denique Moysis, Christi gratiam percepimus? Quò ergo maius beneficium, hoc & solennitas dignior, & charitas ardentior, & gratiarum actio debet esse deuotior. Hæc de solennitatis dignitate præfati, eius nunc historiam & historiæ mysterium, quantum nobis per diuinam gratiam licuerit, explicare incipiamus.

Rom. 8.

Ioan. 1.

Pentecostes quanta solennitas.

Saluator noster profecturus ad Patrem, cùm discipulos suos mœrore consternatos abscessu suo videret, multis eos & maximis rationibus consolatus est. Familiare enim Domino est, mœrorem ipsius causa susceptum lenire & mitigare. Inter varia autem doloris leuamenta, pollicetur illis loco ipsius alium consolatorem, qui perpetuò cum illis sit permansurus. Iam hac freti pollicitatione, & dolorem leniebāt, & ad huius susceptionem mentem excitabant. Hæc ante passionem. Post resurrectionem iterum eadem promissa renouauit, confirmauítque: *Ego,* inquit, *promissum Patris mittam,* &c. Et, *Ioannes baptizauit aqua,* &c. Hac tanta spe erecti eorum animi, post Magistri adscensum, in cœnaculo montis Sion, sese vno consilio, atque vna mente condiderunt, cum Maria matre Iesu ac cæteris piis matronis, perseuerantes in precibus, præstolantes promissum Christi. Orationis enim proprium munus & officium est, hūc Spiritum continuis clamoribus petere, præmium verò, quod

Historia explicatur

Luc. 14.

Actor. 1.

Orationis munus.

ita postulaueris, impetrare. Hoc exemplo multorum errori occurri potest, qui dictitare solent: Iam à Deo decretum est, quæ tandem sors mihi euentura sit; neque irritum vllo modo esse potest, quod ille decreuit, volo ergo genio indulgere: nulla res, diuina poterit immutare decreta. Ita & Apostoli Philosophari poterant: *Ecce omnia complentur: quare ergo oramus, quare ieiunamus? nobis stertentibus adueniet Spiritus sanctus.* Ita nõ cogitabant: sed dies noctesque Dominicam promissionem precibus continuis vrgebant. Hoc ferè diuinæ prouidentiæ ordo exigit, vt quamuis ipse in opere salutis nostræ, quod præcipuum & summum est, exsequatur, nos tamen vult, vt id quod pro virili nostra possumus (quãuis exiguum, & tãtis eius beneficiis impar sit) exsequamur. Aliter enim magnam socordiæ atque ignauiæ nostræ occasionẽ beneficiis suis præberet. Dum igitur hæc sacra concio his decẽ post adscensum Domini diebus in orationibus perseueraret, & promissum à Domino munus precibus vrgeret, decimo tandem die, cùm sacrum Pentecostes festum Iudæis instaret, *Factus est repentè de cœlo sonus: tanquã aduenientis spiritus vehementis: & repleuit totã domum vbi erant Apostoli sedentes,* &c. Eo námque claritatis splendore, eo mentis ardore, eáque diuinorum mysteriorũ cognitione illustrati, vt cõtinere se nõ possent, quin vocibus & clamoribus immensam diuinæ bonitatis magnitudinem linguis omnibus prædicarent. Quid enim aliud facerent, qui tantam diuini Spiritus plenitudinem & lucem accepêre, quantam nulli anteà Patriarchæ, nulli Prophetæ fuerant consecuti? Hic igitur cælestis ignis in eorum cordibus exæstuãs, quomodo has flammas cohibere potuisset? Si aqua, quæ natura grauis est, & deorsum naturali impetu fertur, vbi igni admota vehementem ignis calorem concepit, velut naturæ suæ oblita, sursum nititur, nec intra vasis angustias continetur, sed foras erumpit: quid mirum, si Apostolica pectora, vbi hoc cęlesti igne exarserũt, in has laudis & confessionis voces erumperent? Mirati sunt plurimi, dicentes: Hi musto pleni sunt. At Petrus horum contudit temeritatem, declarans, nunc vnigeniti Patris Filij meritis & sanguine Deum placatum, quasi diuitiarum suarum prodigum, thesaurum gratiarum effudisse, vt Ioël vaticinatus fuerat. Non enim solùm Iudææ finibus hæ tantæ opes continendæ erant, sed ad omnem carnem profundendæ. Hæc tanta gratiarum vbertas in omnem hodie carnem effusa esse dicitur: quoniam licèt centum viginti homines tantùm illam perceperint, hi tamen facultatem donandi eam cæteris acceperunt.

Error quorundã cõtũditur de prædestinatione.

Opera bona requiruntur.

Simile.

Apostolorum gaudium.

Ioël. 2.

Hactenus historia rei gestæ, quam simplicibus penè verbis S. Lucas exposuit: quæ tamen tot penè mysteriis, quot verbis referta est. Verùm quod totius historiæ veluti caput est, tractabimus: nempe, ad quid potissimùm Spiritus sanctus è cœlo in nos delapsus sit. Cui quæstioni tam multa responderi possunt, quàm sunt multa beneficia, quæ nobis hoc vnico beneficio cōferuntur: quæ & maxima, & innumera sunt. Præcipua tamen huius aduentus causa exstitit, vt collapsam naturam hominis reformaret, animosq́ue nostros à iustitiæ & pietatis cultu abhorrentes ad iustitiam potenter incitaret. Duo autem nobis maximè sunt necessaria, quo per viam salutis & iustitiæ ingredi valeamus: nempe rerum gerendarum cognitio, & voluntatis ad agendum propensio. Hoc est, vt sciamus quonam modo iustitia colenda sit: deinde vt ex animo eam colere velimus. Multi enim sciunt, quo pacto viuendum sit, qui tamen cupiditatibus suis implicati, vehementer illud ipsum vitæ genus, quod probant, detrectant atque refugiunt. Quis enim nesciat periurium, mendacium, furtum, homicidium & adulterium detestanda esse? Contrà verò castitatem, humilitatem, charitatem, & omnes denique virtutes esse sectandas? Quid ergo hominibus ad pietatem & iustitiam deest? Nimirum, certa & firma voluntas præstandi quod intelligas. Quàm multi enim sunt qui cùm sciant virtutem & probitatem esse maximè expetendam, libidinum tamen & voluptatum amore deuincti, eam deserunt? Quibus illud Poëtæ maximè conuenire videtur: *Video meliora, probóque; Deteriora sequor.* In hanc autem miseriam homo propter commune naturæ peccatum corruit. Iam scienti bonum, & nō facienti, peccatum est illi. *Seruus sciens voluntatem Domini sui*, &c. Horum causa coram summo Iudice inexcusabilis est. Spiritus sanctus igitur ad hoc est missus, vt quod veteri Legi deerat, abundè suppleret, vt lapsæ naturæ morbum sanaret, vt algentem hominis volūtatem igne suo incenderet, torpentem excitaret, iacentem erigeret, & in diuinæ legis studium inflammaret. Quo factum est, vt qui hoc diuino Spiritu pleniùs afflati fuêre, maiori deinceps ardore & contentione cælestia & inuisibilia bona quærerent, quàm terrena & visibilia anteà quæsissent. Quod ita futurum esse, longè antè Baruch vaticinatus fuerat his verbis: *Sicut enim fuit sensus vester vt erraretis à Deo, sic decies tantùm conuertentes, requiretis eum.* Vide quo studio seculi homines secularia bona, hoc est, opes, honores, voluptates, potentiam, consectentur: vide item quo ardore martyres ad cælestia flagrarunt. Vnde in

Spiritus sanctus ad quid venerit.

Viuendum bene quomodo.

Iacob. 4.

Baruch. 4.

Martyres quo ardore ad martyrium properabant. *Simile.* piis tanta vis, nisi ab hoc Spiritu vehementi, qui hodie Apostolica pectora repleuit? Hac enim de causa in vehementis auræ specie venit, vt ipsa species, quæ sensibus obiecta erat, latentem eius vim & imperium, quo nos ad pietatis & iustitiæ amorem exsuscitat, indicaret. Sic videmus quo impetu & celeritate naues in mari moueantur, cùm vehemens aura spirare cœperit: qua tandem destitutæ, immobiles in medio mari iacent. Vide exempla eorum qui singulari Dei dono ab amore seculi, ad Dei amorem, & pietatis studium tota mente conuersi sunt. Intueamur Apostolum Petrum in passione Domini, ad vnius inermis puellæ vocem trepidantem, & Dominum pernegantem, ac paulò pòst, ipso Domino præsente, detestãtem, quòd hominem illum non agnosceret: at nunc eundem intueamur, vbi paucis post diebus hunc cælestem Spiritum hausit. *Principes populi* (magna voce in concilio Iudæorum ait) *& Seniores*, &c. Quis te, ô beate piscator, sic mutauit? Quod autem de vno Petro dixi, idem de cæteris quoque discipulis dicere potuissem, qui tamen omnes in passione Domini scandalum passi sunt.

Matt. 26.

Petri mutatio & cõstantia.

Sed iam receptui canentes, quid ex his, quæ dicta à nobis hactenus sunt, domum referre debeamus, ne frustra cõcionem audisse videamur, paucis aperiendum est. Primum est igitur, vt immortales gratias huic diuino Spiritui agamus, qui hodie in Apostolica pectora descendit. Neque enim nos ab huius gratiæ communione secludimur: quandoquidem propter nos clarissimum illud donum in Apostolos effusum est. Cùm enim Deus Ecclesiæ suæ templũ ex viuis lapidibus ædificare decreuisset, eius operis artifices creare debuit, qui huic operi instarent: nos autem opus illud & templum sumus, propter quod artifices quæsiti sunt. Est igitur vt Seruatori nostro simili studio gratias agamus, cuius meritis & precibus hoc tam præclarum munus in nos effusum est. Errãt illi qui virtutis iter asperum dicunt, & ideò refugiunt. Hi Spiritus sancti virtutem vt nunquam experti sunt ita planè non agnoscunt. Verum est sine illius præsidio esse difficile; sed illo adspirãte, adeò est facile & suaue, vt Propheta dicat: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis.* Quæ cùm ita sint; iure multorũ ignauia atque desidia accusanda est. Quæ enim maior ignauia, quàm tam ingẽs donum, tam magno pretio & labore partum, propter res nihil amittere? Quid enim aliud à me Dominus requirit, quàm vt sitiam, quo bibam? petam, quo accipiã? quærã, quo inueniã? Omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit. Habes de hac re certissimos obsides, Aposto

Templum Dei nos sumus.

Virtutis iter facile.

Psal. 118.

Luc. 11.

Apostolos, Dei promissionem. *Si quis*, inquit Iacobus, *indiget sapientia, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter.* Postulet autem in fide, nihil hæsitans. Fides enim inter cæteras orationis conditiones cum primis est necessaria, si impetrare volumus quod postulamus. Quoniam fidei fecimus mentionem, multorum perniciosum errorem hodiernæ solennitatis argumento conuellere tentabo. Multi enim sunt, partim hęretici, partim etiam fideles, qui in sceleribus suis persistentes, de sola sibi fide blandiantur, existimātes ea sola salutem parari posse, & in ea totius Christianæ pietatis summam collocantes. Quæ quidem persuasio, Satanæ opera in mundum inuecta, incredibile dictu est, quantas animarum strages ediderit. Quam quidem sententiam (vt nihil aliud in præsentia dicam) sola huius diei festi ratio conuellere atque infringere potest. Constat enim, huc omnes Christi Domini conatus, huc preces, huc labores, huc incarnationem, passionē, mortem, vitā, resurrectionem, & in cælum adscensionem destinata fuisse, vt Spiritus sanctus in nos è cælis demitteretur. At Spiritus sanctus (si eius naturam & essentiam consideres) amor est, quo se Pater & Filius infinito amore cōplectuntur. Vt enim Filius Verbum, qui ab intellectu Patris procedit: ita Spiritus sanctus Amor est, qui ab vtriusque voluntate, Patris videlicet & Filij, manat. Hoc igitur argumento, Auditores, intelligite, charitatem quidem totius Christianæ religionis esse finem, quando Spiritus sanctus, qui Patris & Filij charitas est, omnium laborum Christi finis exstitit: vt is videlicet, qui essentialiter amor est, mentes nostras rerum cælestium amore inflammaret; & sicut ineffabili amoris nexu Patrem & Filium iungit, ita fideles omnes mutuo inter se charitatis vinculo copularet. Vbi autem huiusmodi regnat charitas; ibi nec odium, nec inuidia, nec iniuria, nec rapina, nec contumelia, nec detractio, nec scandalum, nec impudicus amor locum habēt: sed pro his misericordia, benignitas, liberalitas, lenitas dominantur. Hæc sunt veræ charitatis officia, eademque indicia sunt, quibus de Spiritus sancti præsentia coniecturam apud se quisque facere poterit. Sicut enim ignis proprium est, quamcunque materiam corripuerit, in ignem vertere: ita Spiritus sanctus, qui essentialiter ignis est, quas mentes occupauerit, in sui amorem vehementer incēdit. *Exagitauit Saulem spiritus nequam*: quare non magis Spiritus sanctus ad bonū pios instigaret, vbi semel admissus? Quocirca charitati semper studeamus, hanc rebus omnibus anteferamus; quam Apostolus Christianæ perfectionis vinculum esse

Iacob 1. *Fides necessaria.* *Fides an sola saluet.* *Spiritus sanctus amor.* *Charitas salutis sūma est.* *Simile.* *1. Reg. 16.* *1. Cor. 13.*

dicit: *Fides est operis fundamentum, charitas autem ædificij consummatio: hæc in cælesti patria manet.* Quam Spiritus sanctus nobis hodie misericorditer concedere dignetur, qui cum Patre & Filio viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

FERIA SECVNDA PENTECOSTES,

CONCIO EX DVABVS COLLECTA: in qua primùm omnia, quæ piis hominibus ad salutẽ necessaria sunt, ab vno Spiritu sancto plenissimè donari declaratur: inde effectus, quos in piorum mentibus operatur, sigillatim disseritur.

THEMA. *Paracletus autẽ Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcũque dixero vobis.* Ioã. 14.

CELEBRAMVS, Auditores, aduentum Spiritus sancti. Quis autem pro dignitate hãc tantam gratiam, hoc tantum opus, hoc tam ingens diuinę pietatis & misericordiæ beneficiũ poterit explicare? Est enim aduẽtus hic omniũ diuinorum operum, omnium spiritualium gratiarum velut finis. Imò verò quicquid in orbe terrarum diuina prouidentia molita est, in hunc pręcipuè finẽ destinauit, vt huius diuini Spiritus participes efficeremur: atque ita in eius sobole censeremur, & eius tandem hæreditatem consequeremur. Duo hìc explicanda potissimùm: alterum, quænam sint huius diuini Spiritus officia, quæ in piorum mentibus exsequitur; alterum verò quónam modo eiusdem Spiritus & gratiæ participes fieri valeamus. Ad hunc Spiritum consequẽdum illa est recta via, ipsius vera cognitio. Sic enim Saluator ait: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternũ,* &c. Quia igitur mundus nescit eum, ideò nec accipit eum. Quia nimirum quod nõ agnoscimus, non magni facimus: & quod nõ quærimus, nõ inuenimus. Vt ergo Spiritũ sanctum inueniamus, necesse est vt illum priùs agnoscamus, eo modo quo illum cognouerunt discipuli, quibus ait Dominus: *Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Ex eius ergo mansione & diuina in vobis operatione illum planè agnoscetis. Qua quidẽ cognitione, nulla in hac vita

Dei cognitio via optima. Ioan. 14.

Spiritum sanctum vt cognoscamus.

vita nec certior, nec efficacior,nec etiam vtilior est. Vt enim nemo melius dulcedinem, aut ignis calorem pleniùs nouit, quàm qui vtriusque vim experiendo magis quàm audiendo percepit: ita nemo Spiritus sancti virtutem & efficaciam perfectiùs intelligit, quàm qui illius intra se vim frequenter expertus est. Hæc est certissima via ad eum cognoscendum, non audiendo siue legendo. Ad hanc autem cognitionem multum valet doctrina, quæ torpentem excitat mentem, vt experiri & possidere gestiat, quod tam magnificis laudibus commendari audit. Vt igitur de hoc summo diuinæ charitatis beneficio dignum aliquid dicere valeamus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

Simile.

AVE MARIA.

SVMMVM diuinæ pietatis beneficium festis hodie, Auditores, laudibus celebramus; in quo videlicet Spiritus sanctus ad hoc tantum munus hominibus præstandum è cælo delapsus & in Apostolica pectora effusus, hanc tantam benignitatem & gratiam visibili etiam signo declarare dignatus est. Quamuis autem ipse vnus idémque simplicissimus sit, creaturæ autem corporis vsibus deseruientes innumeræ:is tamen instar omnium, imò supra omnia est. Illas námque plures esse necesse fuit,quia imperfectæ erãt,nec vna aliqua præstare omnia poterat:at hic,qui summè perfectus est,qui vnus in se omnia continet, qui bonorum omniũ fons inexhaustus est, vnus tantũ esse debuit. Sidera enim ideò multa sunt, quia cùm exiguo splendore fulgeant, multorum congerie, quod cuiq; deerat,refici & suppleri debuit. Sol autem ideò vnus est, quia cùm splendidissimus sit,aliorum siderum accessione non eget. Idem igitur de conditore nostro sentiẽdum est, qui in summa naturæ suæ simplicitate, rerum omnium conditarum perfectiones longè perfectiùs continet. Hinc diuus Augustinus, *Aurum* inquit,*quod tibi est,non potest esse argentum.Vinum quod tibi est, nõ potest tibi esse panis: Deus verò totus tibi est,in eo totum habebis.* Hinc idem Augustinus, hoc vno salutis auctore contentus, ipsum solum se desiderare ostendit, his verbis: *Nihil Domine peto, nisi te, quia tu es Doctor & doctrina, Medicus & medicina, amor & amator, tu es donum, tu es dator, vita & vitæ conseruator.* Quam quidem sententiam diuus Gregorius propositis exemplis confirmat his verbis:*Considero Patres noui & veteris Testamenti, Dauid, Danielem, Amos, Petrum,* Pau

Spiritus sanctus omnia potest.

Simile.

Sol vnus & Deus vnus

Augustinus.

Idem.

Gregorius.

Spiritus sancti opera.

Paulum, & Matthæum, & apertis oculis fidei intueor. Implet námque Spiritus sanctus puerum citharœdũ, & Psalmistam facit: implet pastorem armentarium, & Prophetam facit: implet abstinentem puerum, & iudicem senum facit: implet piscatorem, & principem Apostolorum facit: implet persecutorem, & doctorem gentium facit: implet publicanum, & Euangelistã facit. Quàm ergo dementes sumus qui hunc Spiritum non quærimus? Cùm igitur rerum omnium perfectiones atque virtutes in Deo sint; longè meliùs sola eius cura & prouidentia animæ nostræ consultum est, quàm si infinitam rerum cõgeriem ad eius curam & obsequium Dominus destinasset. Hac enim de causa Spiritus vnicus & multiplex esse dicitur: quia omnium est artifex, omnem habens scientiam, omnia prospiciens, & omnia, quæ ad animæ salutem spectant, cumulatissimè præstans. Quid enim est, quo homo ad hanc cælestem vitam egeat, quod is abundè non tribuat? Si enim luce & rerum cognitione indiget, Spiritus veritatis est: si viribus destituitur, virtus & fortitudo est: si ægritudine laborat, medicus & medicamẽtum est: si doctrina eget, Ecclesiæ, atque pręcipuè paruulorum magister est: si viæ ducem quærit, certissimus in cælum dux est: si inter hostes periclitatur, defensor & protector noster est: si variis vitæ huius ærumnis premitur, Paracletus, hoc est, consolator est; adiutor in opportunitatibus & in tribulatione est: atque vt semel finiam, vnus omnibus omnia est. Hoc autem diuus Franciscus, & omnes beati apertissimè intelligent, quando illa Esaiæ verba proferent: *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Illius abscessu, nec lux, nec vita, nec decus, nec iucũditas vlla reperitur. Omnia tenebris obruũtur, pestiferis morbis impediuntur, luctu & mœroris acerbitate conficiuntur. At illius præsenti numine, nouus repentè ornatus exoritur; omniaqúe læta & collustrata conspicimus. Spiritus sanctus mentem hominis ingrediens, peccata fugat. Sicut enim aduenientе luce tenebræ diffugiunt: ita Spiritu sãcto mentem hominis occupante, peccatorum tenebræ ipsius luce fugatæ, euanescunt. Ipse enim est lux splendidissima, & remissio omnium peccatorum. Deinde non contentus peccata eliminasse, & ab æternæ mortis supplicio hominem liberasse, ne iterum in eadem mala relabatur, mentem eius spiritualibus armis munit, & omnium donorum ornamentis decorat. Omnia præstat cumulatissimè, quæ ad animarum salutem necessaria sunt. Est quoque maximè necessarium, vt Spiritus sancti donum & gratia adsit, quo nouo quodam munere liberum

Spiritus vnicus & multiplex.

Refugium nostrũ quale.

B. Franciscus.

Esa. 26.

Simile:

nostrum

nostrum arbitrium dirigat, ne diuinis muneribus abutamur, nec ab eorum ductu & præscriptione declinemus. Quis primo nostro parente donis instructior? quis Salomone sapientior? Vterque tamen miserabiliter corruit: quoniam donis illis vti piè & sanctè noluerunt. Nunquid prodest si quisquam parentum magnam paruulo conferat facultatem, nisi prouidere studeat & tutorem? Ita ergo & Paracletus regeneratis in Christo & consolator & tutor est. Quartum præterea Spiritus sancti munus & officiũ est, internis nos motibus ad officia virtutum excitare. Vt enim quamuis oculos vigentes habeamus, interna tamen luce ad videndum egemus: ita quamuis anima gratiæ virtutúmque beneficio sanata, & ad rectè operandum instructa sit, ope tamen & luce diuini Spiritus eget, quo ad rectè operãdum incitetur. Hic igitur Spiritus, iusti mentem inhabitans, non cessat, non dormitat; sed iugi semper afflatu & impulsu ad benè operandum incẽdit. Cùm igitur sanctis votis atque desideriis, piísque motibus nos agitari sentimus, huic diuino Spiritui gratias agere debemus, qui nos ad vias vitæ, & studium immortalitatis incendit. Quis hæc tanta beneficia, quæ nobis satis nota sunt, adferre potest, nisi Spiritus, idémq; totius pacis & vnitatis effector? Hic seditionis (qui vnitatis Spiritus appellatur) materiã tollit, & efficit vt omnes idẽ expetant, sintq; simillimi inter se moribus & vita, & quilibet in altero sui imaginem mente perspiciat, & arctissimo Spiritus sancti vinculo inter se deuincti sint; vt ex omnium animis vnus sensus atque voluntas efficiatur. Ex huiusmodi fructibus pax illa, quæ exsuperat omnem sensum, exoritur. Mens enim ita Deo coniungitur, vt in summa tranquillitate versetur. Ex his tantis bonis gaudium nascitur, quod Ioannes Manna absconditum nominat, quod Petrus lætitiam inenarrabilem appellat, quod Dauid torrentem voluptatis esse dicit, quod postremò Christus gaudium sempiternum fore prænunciauit. Iam vide quæ olim fuerunt de summo bono opiniones, & in quibus constituerunt illud. Aliis omnibus posthabitis, in Spiritus sancti munere & virtute constituerunt. Iam ex his liquere, Auditores, puto, quo studio, quo affectu, quáque animi contentione, & ardore, hunc cælestem hospitem desiderare, quærere, & continuis votis à Domino postulare debeamus; vt ad nos veniens, in nobis requiescere dignetur. Vnde colligimus, hoc festum esse festum omnium temporũ, imò omnium horarum, non tantùm huius temporis. Quoties enim interno aliquo diuini Spiritus motu vel desiderio agitamur, vel spirituali gaudio afficimur; toties

lin

Arbitriũ liberũ quis confirmet.

Eu sebius.

Simile.

Spiritus sancti munus.

Pacis materia quæ.

Apocal. 2. 1. Petr. 1. Psal. 35.

linguam nostram in cælestis huius hospitis præconia laxare deberemus. Hic persimilis pastori gregem suum per tuta loca ducẽti. Sicut enim boni pastoris est, per eos tramites oues suas ducere, atq; deducere, in quibus & læta gramina inuenire, & à ferarum insidiis liberari, & itineris anfractus & præcipitia deuitare queãt: ita summus ille Pastor, quas oues in cælestes caulas adducere destinauit, ipse se illis viæ comitẽ, ipse pastorem & protectorem exhibet: qui illis frequenter ignorantibus, imminentia pericula & noxia cuncta depellit, & salutaria subministrat. Moyses verò Spiritum sanctum parenti similem facit, qui filiolum per huius vitæ vias difficiles & obscuras vadẽtem, manu prehensum ducit, cùm ait: *Portauit te Dominus Deus tuus in omni via, per quam ambulasti, sicut portare solet pater filium paruulum, donec venires ad locum hunc.* Idem quoque interdum charissimos filios matribus, & vxoribus viros immatura morte rapit: quòd futurorũ præscius intelligat, immodicum erga illos amoris affectum, magno eis ad purum diuinitatis amorem impedimento futurum. Harum autem rerum causas, dum in hac vita degimus, frequenter ignoramus: quas tamen in futura vita, ipso Domino tradente, agnoscemus; cùm ille nobis, quicquid ad salutem nostrã sine nobis molitus fuerit, indicabit: & à quibus nos tum corporis, tum animæ periculis liberauerit, ostendet. Rectè ille ait: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Vt igitur huic pernecessario hospiti habitaculum in anima nostra præparemus, necessum erit, vt mentem nostrã ab immoderato terrenarũ rerum amore auulsam, ad cælestia traducere studeamus. Aliter enim nequaquam Spiritus ille cælestis mentem terrenarum rerum sordibus & amore pollutam inhabitare dignabitur. Cùm enim præcipuum eius officium sit mentem ad sublimia attollere, & cælestiũ rerum amore incendere; fieri non potest, vt quisquam simul sit, & ad terrena per amorem depressus, & in cælum mente sublatus: quum hæc duo sibi inuicem aduersentur. *Seculares*, inquit diuus Gregorius, *mentes quantum se foris per desideria dilatant, tantum ad receptionem Spiritus sancti sinum cordis angustant.* Sicut enim venator insequens feram, non tam illam manibus comprehendere, quàm sagittis configere studet (his enim vulnerata, in illius tandem potestatem veniet) ita callidus ille animarum venator satis sibi esse putat, si animarum iecur immoderato terrenarum rerum amore sauciet: sic enim vulnerata mens, & ad terrena deflexa; in quæuis scelera facilè dilabitur: dummodò id assequatur, quod immoderato amore

com

Simile.

Deut. 1.

Cur filij, siue mariti moriantur immaturè.

Psal. 142.

Præparatio ad Spiritum sanctum recipiendum.

Amor nimius ad terrena, noxius est.

Simile.

cōplectitur. Tergat sordes praui operis, qui Deo præparat domum mentis. *In animam maleuolam non intrabit sapientia; nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Nunc quoniam de multiplici Spiritus sancti officio & munere diximus; qua ratione Spiritus sanctus piorum mentes inhabitet, restat vt dicamus; cùm is cælum & terram impleat, & omnibus in rebus insit. Est ille quidem omnibus in rebus: sed hac tamen ratione, quòd vniuscuiusque rei naturam in suo esse naturali conseruet. Cæterũ in anima iusti longè aliter esse dicitur. Non enim contentus animam in esse naturæ cõseruare, illã ad esse diuinum cælesti virtute eleuat: dum eam purgat, illuminat, perficit, diuináque imagine informat: atque ita diuinæ similitudinis & sanctitatis participē facit, & hac ratione ad nobiliorem similitudinem, quæ erit in futura vita, disponit & præparat. Hac singulari ratione Spiritus sanctus in anima iusti esse dicitur, quæ quidem rationalis creaturæ summa dignitas & perfectio est. Hoc opus Spiritui sancto potissimùm attribuitur. Creatio rerũ, diuinæ omnipotentiæ, gubernatio, prouidentiæ; admirabilis rerum ordo atque dispositio, sapientiæ; bonitati verò & charitati, rationalis creaturæ sanctificatio tribuitur. Idem igitur Deus omnia quidem in omnibus operatur: sed in ipsis tamen operibus suis aliæ atque aliæ eius virtutes & attributa magis elucent, vt proposita à nobis exempla declarant. Postremò illud etiam animaduertendum est, simili penè ratione diuinis personis quædam attribui, quæ alioqui omnibus communia sunt: Patri enim, quoniam diuinitatis principium est, potentia; Filio, quia Patris Verbum, & conceptus paternæ mentis est, sapientia; Spiritui sancto, qui Patris & Filij amor est, amor & bonitas tribuuntur. Hinc omnia gratiarum munera, omnia spiritualia charismata, omnia Prophetarũ eloquia, Spiritus sancti munera esse dicuntur: quia omnia hæc immensæ charitatis & bonitatis opera sunt, quibus ad hominũ salutem promouendam bonitate & misericordia sua vtitur. Inter hæc opera, sanctificatio summam Dei bonitatem, charitatémque declarat. Quanta enim bonitas & charitas est, immensam illã & infinitam maiestatem, sedem sibi in hoc angusto tugurio deligere, & mansionem in eo facere, vilissimíque homuncionis curam suscipere, illúmque diuinitatis & sanctitatis suæ participem reddere, omnibúsque donis suis cumulare voluisse! Qui enim hæc tria diligenter ponderauerit: nẽpe hominis vtilitatē, Dei sublimitatē, & operis huius dignitatē: nunquã satis poterit demirari hãc tantã Dei nostri bonitatē & charitatem.

His

Sapien. 8.

Spiritus sanctus mẽtes piorum inhabitat.

Trinitatis quid proprium sit.

Homo quãti Deo constet.

His ita constitutis, facilè liquet, qua ratione opus hoc, & totius Trinitatis, & Spiritus sancti proprium sit. Vnde quam mentem Spiritus sanctus, eandem tota Trinitas inhabitat, testante Domino, qui ait: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Hic Spiritus post Christi adscensum in cælum, in terram missus est. Voluit hac ratione Pater cælestis ostēdere, hoc tam præclarum donum (in quo salutis humanæ summa cōstituta est) Christo Domino atque Seruatori nostro adscribendum esse. Ipse enim hoc donum nobis precibus suis impetrauit, sicut ipse ait: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* Neque precibus solùm, sed multò magis meritis & passionis suæ sacrificio tantum hoc munus nobis promeruit. Hinc Ioannes ait: *Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nōdum erat glorificatus.* Sic & Esaias Passionis virtutem longè præuidit: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.* Quia videlicet ob immensos, quos in hac vita propter Patris sui gloriā pertulit, labores, copiosissima gratiarum munera in eos quos sanguinis sui pretio redemit, effundi videbit. Sic voluit hac tanta sua tolerātia corda ferrea emollire, & ad mutuam amoris vicem reddēdam incitare. Vnde si quis paulò attentiùs Christi Domini vitā considerat, inueniet planè omnia eius opera, miracula, verba, exépla, & beneficia, esse ignita quædam iacula, quibus voluntatem nostram amoris sui telo sauciaret, & charitatis igne incenderet. Ferreum hominis pectus, hoc tantæ charitatis igne molliendum erat. Iam vltimo loco dicendum de specie ignis (nam de aëris significatione dictum est.) Haberemus quidem magnam occasionem disputandi, cur se hac specie hominibus insinuare voluerit. Vix enim quicquam in rebus corporeis est, quod varios atque multiplices Spiritus Sancti effectus ita significet. Vnde sicut Saluator corpus suum in Sacramento cibum esse dixit, hoc vno verbo omnia quæ corporeus cibus in edentibus efficit, Sacramentum hoc in piorum mentibus efficere designauit: sic cùm Spiritus sanctus sub ignis specie virtutem suam declarare voluit: omnia ferè, quæ ad ignis naturam pertinent, sibi etiam spiritualiter conuenire docuit. Vnde sicut ignis incendit, liquat, durat, sursum agitur, & omnia, quæ ei applicita & coniuncta fuerint, sui similia facere contendit: sic etiam Spiritus sanctus, quam mentem occupauerit, rerum cælestiū amore incendit, dulcedinis suauitate liquefacit, fortitudinis virtute roborat, ad superna eleuat, & sui tādem simili-

hoc

Ioan. 14.

Ioan. 7.

Esa. 53.

Corda nostra vt moueantur.

Vita Christi qualis.

Simile.

Ignis naturalis.

hoc eſt, ſpiritualem, ſanctam, atque diuinam (quatenus homini licet) efficere conatur. Sicut enim aqua illa, quam Samaritanæ Dominus promiſit, ſalit in vitam æternam (vnde eadẽ profecta eſt) ita Spiritus hic cæleſtis eos quoque, quos inhabitat, ſic in cæleſtem patriam ſubleuat, vt curas omnes, & cogitationes, & ſtudia, atque opera ad illam ſemper dirigat. Hoc igitur igne pij incenſi, flagrant amore Dei: ita quæcumque faciunt, ad illius gloriam referunt. Hinc Dionyſius: *Radij*, inquit, *diuinæ claritatis, qui ad nos vſque demittuntur, rurſum ad colligentis Spiritus vnitatem, diuinámque ſimplicitatem nos conuertunt.* Qua in re piſcatorum artem diuina Sapientia imitari videtur: qui hamum filo pendentem in aquarum ima demittunt, vt piſces in imo reſidentes ad ſupera trahant. Sic enim Spiritus ſanctus è cælo in terram demiſſus, terrenos homines ſecum ſubuehit in cælum, quamuis illud ad mortem, hoc ad vitam fidelibus tribuendam ordinetur. Ab hac autem intentionis puritate, omnium actionum noſtrarum merita proficiſcũtur, quoniam ſapientiſſimus ille ſpirituum ponderator in operibus noſtris non tam manum, quàm animum, hoc eſt, nõ tam externam operis faciem, quàm internam mentis intentionem conſiderat. Nos illa opera, quæ aut ignominiæ, aut laboris & doloris aliquid præ ſe ferre videntur, fugimus ac detrectamus: ea verò quę commoditatibus noſtris, aut glorię ſeruiũt, libenter amplectimur. Ad hoc præcipuè Spiritus ſanctus è cælo in terram miſſus eſt, vt mentes noſtras à terrenis ad cæleſtia eleuaret, vt mundo mortui, Deo viuamus, & in terris poſiti, cæleſtia amplectamur, illis inhiemus, illorum ſtudio & amore flagremus, imò etiam mori propter illa pulcherrimum iudicemus, quo tandem ad plenam eorum poſſeſſionem, Spiritu ſancto ducente, & in via dirigente, peruenire mereamur. Amen.

***

Spiritus ſancti gratia aqua eſt.
Ioan. 4.

Dionyſius.

Simile.

Labores nos fugimus.

Spiritus ſanctus cur miſſus ſit.

IN FESTO SANCTISSIMÆ TRINITATIS, CONCIO, IN QVA primùm quidem Deum esse euidéti ratione probatur: deinde quomodo is in personis trinus sit, explicatur: partim sanctarum literarum, partim verò insignium aliquot Philosophorum testimoniis comprobatur.

THEMA. *Euntes docete omnes gẽtes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sãcti.* Matth. vlt.

IN his concionibus, Auditores, quas in Sanctorum festis habere solemus, hanc ferè rationem sequimur, vt præcipuas eorum virtutes & præclaras actiones explicemus: quo eximia eorum sanctitas & diuina gratia, quæ illis semper adfuit, illustrior & magnificentior appareat. Quia verò præsentis diei solennitas non sancti alicuius, sed Sancti sanctorum est; eandem dicendi rationem in hac ipsa concione sequi constitui: vt videlicet altissimas Dei nostri virtutes & laudes, quatenus infirmitati nostræ concessum fuerit, ipso adiuuante, & orationis nostræ cursum dirigente, prædicem. Huius autem argumenti tractationi obstat in primis ipsius rei, de qua agendum est, difficultas: quæ vt altissima, ita etiam & ad intelligendum difficilis, & ad explicandum difficilior est. Inter omnia Christianæ religionis dogmata, quæ fidelibus credenda proponuntur; principem locum beatissimæ Trinitatis mysteriũ obtinere, nemo est qui nesciat. Quamuis autẽ eorũ dogmatum veritas fide potiùs, quàm rationis lumine nitatur, in hoc tamen beatissimæ Trinitatis mysterio (quod sublimitate sua omnem humanæ mentis intelligentiam superat) tantò magis fides locum habet, quantò minùs illud humana ratio comprehendere potest. Pro sũma enim ratione homini pio fides est: quæ Deo reuelante sine vlla rationis attestatione firmissimũ præbet assensum. Richardus de S. Victore rectè ait, fidem esse totius spiritualis ædificij, & humanæ salutis ac felicitatis initium ac fundamentum. *Sine fide enim impossibile est placere Deo.* Nam vbi non est fides, non potest esse spes: oportet enim accedentem ad Deum credere quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit: alioqui quæ spes esse poterit? Vbi autem non est spes,

Deus sanctus sanctorum.

Trinitatis mysterium ineffabile.

Richardus.
Hebr. 11.

spes,

ſpes,charitas eſſe non poterit. Sic de fide acceditur ad ſpem, de ſpe ad charitatem,de charitate ad eam Dei cognitionem, in qua vita æterna conſiſtit, dicente Domino : *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum,& quem miſiſti, Ieſum Chriſtum.* Vt igitur de hoc fidei articulo aliquid tractare poſſimus,diuinam imploremus opem.

Beatitudinis gradus.
Ioan.17.

AVE MARIA.

EVNTES *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris,& Filij,& Spiritus ſancti.* His quidē verbis, Auditores, totius ſummę & adorādę Trinitatis,& indiuiduę vnitatis myſteriū adeò apertè declaratur, vt non aliis argumentis vel teſtimoniis ad huius fidei veritatem inconcuſsè retinendam nobis opus ſit,vt auctor eſt Hilarius. Nam primùm baptizandi nomine,peccatorū ablutio, & rationalis animæ ſanctificatio, & diuinæ agnationis, hoc eſt, diuinæ naturæ participatio ſignificatur. Quod planè non alicuius creaturæ, ſed ſolius diuinitatis opus eſt. Cùm igitur ſolus Deus tanti huius operis auctor ſit,& hoc ipſum opus in nomine Patris,& Filij,& Spiritus ſancti fieri dicatur;conſtat planè his verbis ſupernæ diuinitatis maieſtatem ſignificari:in qua & diuinarū perſonarum diſtinctio,& naturæ vnitas non obſcurè declaratur. Cùm enim cæleſtis Magiſter Patrem,& Filium,& Spiritum ſanctum nominat, tres diuinas perſonas apertè deſignat. Hoc eſt igitur myſterium,quod nobis hodie ab Eccleſia celebrandum,adorandum, atque explicandum proponitur. De quo duo mihi tractanda eſſe videntur. Primò quidem(quod cætera antecedit)Deum eſſe, rationibus etiam demonſtrandum eſt. Deinde verò,diuinarum perſonarum Trinitas(quatenus ruditati atque infantiæ noſtræ conceditur) exponenda eſt.

Hilarius.

Trinitas adoranda.

Qua in re illud ante omnia curandum,vt ſumma religione & pietate de hoc tanto myſterio diſſeramus. Quod quidem non modò ſancti Doctores,ſed Ethnici quoque Philoſophi admonent. Hinc Cicero,*Homini,* inquit,*timidè de poteſtate deorum & pauca dicenda ſunt.* Seneca Ariſtotelem, eadem prædicantem,citat his verbis : *Egregiè Ariſtoteles ait,nunquam nos verecundiores eſſe debere,quàm cùm de diis agitur.* Si intramus templa compoſiti : ſi ad ſacrificium acceſſuri, vultum demittimus,togam adducimus : ſi in omne argumentum modeſtiæ fingimur : quanto hoc magis facere debemus, cùm de ſideribus,de ſtellis, de deorum natura diſputamus,ne quid temerè

Cicero.
Seneca.

Cæremonia obſeruanda.

ne quid imprudenter, ne ignorantes affirmemus, aut scientes mentiamur. Si hoc Ethnici Philosophi sentiebant, qui tam obscuram de diuinitatis maiestate cognitionem habuerunt: quid nos facere par est, quibus tantò illustriorē de ea cognitionem Catholica fides tribuit? Hac igitur animi submissione & reuerentia, quæ proposuimus, tractare incipiamus. Illa quæstio, an Deus sit, superuacanea quibusdam esse videbitur. Sed nequaquam ita est. Multi enim inter ipsos etiam fideles sunt, quibus Propheticum illud conuenire videtur; *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Quomodo, inquis, hoc dicunt? Certè quia (vt Apostolus ait) *confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Hoc est, non quidem fide, sed moribus, & vitæ ratione Deum esse inficiantur: quandoquidem adeò scelerate viuunt, ac si nullum in mundo numen, nullámque prouidentiam esse crederent. Habent quidem isti fidem, tot tamen illam terrenarum cupiditatum vmbris obscurant, quot lethifera committūt peccata. Talia peccata fidei splendorem magis ac magis obscurāt, quamuis non penitus deleant. Peccandi assiduitate eò interdum rapitur, vt à diabolo variis fidei tentationibus infestetur, & an sit numen aliquod, cuius prouidentia mundus regatur, dubitare incipiat. Commodum igitur erit, vt non fide solùm, sed apertissimis rationibus, Deum esse ostendamus. Dei nomine intelligimus vniuersitatis huius moderatorem ac principē, seculorum Regem, quo nihil maius aut melius excogitari possit. Sol omnium astrorum est splendidissimus, primus & nobilissimus, qui causa exsistit aliorum omnium, quæ lucem, quam habent, ab vno Sole mutuantur. Ex hac sententia (quæ apud Philosophos est constantissima) nō modò Deum esse, sed summum etiam in rebus omnibus locum tenere, & omnium quæ sunt, primam causam exsistere, manifestè colligitur. Itaque in genere entium ipse est primum ens, quod omnibus quæ sunt, essendi causam adfert.

Psal. 13. *Tit. 3.* *Impiorum vita qualis.* *Ex S. Thoma Aquinate.* *Dei nomē quale.* *Ratio prima Deum esse.* *Deus Soli comparatur.*

Deus solus est, qui à nemine pendet, qui superiorem non agnoscit, qui omnia propter seipsum tanquam vltimum finem operatur. Quia verò artis est, naturæ opera, quatenus licet, imitari, hunc eundem ordinem in humana Repub. tam ciuili, quàm Ecclesiastica videmus. In Ecclesiastica enim in infimo loco simplices Clerici collocantur; hi Episcopis subsunt, Episcopi Archiepiscopis, hi Patriarchis, Patriarchæ verò Pontifici Max. qui quidem nemini subiicitur, & à nemine pendet, cùm omnes tamen alij ab eius auctoritate pēdeant, eiúsq; legibus & imperio subiiciātur. In ciuili Republica quoque varios Magistratus cerne

2. Ratio. *Ordo seruandus.*

cernere licet, hoc ordine digestos, vt inferiores superiorum præceptis pareant,& ab illorum auctoritate pendeant: eminet Rex aut Imperator, cui omnes subsunt, cùm is nemini subiiciatur. Quod ergo rex in regno,& in Ecclesia Pontifex Max. hoc in tota rerum vniuersitate summus cælitum Rex & Imperator est. Anima in corpore agit & mouet: ea sublata, corpus immobile manet: ita Deus omnium rerum effector est, sicut in corpore anima moderatrix.

Deus animæ comparatur.

Nihil nobis est certius, quàm habere nos animam, qua viuimus & operamur, quam tamen nemo nostrûm oculis vnquam vsurpauit: sicut Deum nemo vnquam mortali corpore septus vidit,& ideò non esse credamus, quod non videmus? Deus suæ omnipotentiæ & maiestatis tot reliquit argumenta, quæ sanè non possunt non eius magnitudinem ostendere. Cicero à Deo alienus, ait: *Quis est tam vecors, qui cùm suspexerit in cælũ, deos esse non sentiat,& ea, quæ tanta mente fiunt, vt vix quisquam arte vlla ordinem rerum atque vicissitudinem persequi possit, casu fieri putet?* Quãtum enim nos ad Dei cognitionem instruit immensus astrorum fulgor, Solis atque Lunæ,& reliquorũ errantium siderum admirabilis in varia & multiplici conuersione constantia, dierum & noctium vicissitudines, temporũ aptissimæ ad moderandam vitam varietates? Hoc autem quid aliud est, quàm quod Apostolus testatur, cùm ait: *Inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspici?*

3. Ratio.

Cicero.

Roman. 1.

His etiam rationibus certissimum hoc signum adiungere licet, quod clarissimi etiam Philosophi animaduerterũt, nẽpe totius orbis, atque omniũ gentium vnanimẽ in diuinitatis opinione consensum: de quo sic Cicero ait: *De hominibus nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam ferrea, quæ non etiam si ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat.* Constat autem, id quod omnibus hominibus, omnibusque in locis atque temporibus conuenit, ab ipsa natura conuenire: vtpote quod ipsius naturæ instinctu, atque lege omnibus inditum atque impressum sit. Propensiones autem has, quæ à natura proficiscuntur, non frustra esse, omnis Philosophorũ schola testatur. Cui etiam signo aliud non dissimile adiungimus, nempe quòd cuncti mortales in repentinis & desperatis casibus (vbi nulla humani præsidij spes affulget) natura ipsa instigante, ad diuini numinis auxilium implorandum excitantur. Quæ res cùm ab ipsa naturæ inspiratione oriatur, frustra (vt modò diximus) esse non potest. Hoc autem certissimum naturæ signum, non modò diuinum numen in mundo esse; sed

4. Ratio.

Cicero 1. de Legib.

Deum esse ostenditur.

5. Ratio.

etiam omnia, quæ in terris gerantur, ſcire, omnia poſſe, humanarúmque rerum curam & prôuidentiam gerere, apertiſſimè probat atque confirmat. Qua de re ſic etiam idem Cicero ait: *Sit hoc à principio perſuaſum hominibus, dominos eſſe omnium rerum ac moderatores deos; eáque, quæ gerantur, eorum geri ditione atque numine, eóſque optimè de genere hominum mereri: & qualis quiſque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate colat religionem intueri, piorúmque & impiorum habere rationem.* Quid quæſo ab homine Ethnico fidei noſtræ magis cõſonum dici potuit? Vtroque modo, & fide, & euidenti ratione Deum eſſe, eúmque rerum humanarum & ſcientiam & curam habere, ex his quæ diximus, conſtat. Quocirca perditi & exleges homines, qui adeò ſceleratè & perditè viuunt, ac ſi nullum numen, nullúmque bonorum ac malorum delectum eſſe crederent, ſciant & Deum eſſe, & quæ gerantur in terris agnoſcere: cuius cùm immenſa & infinita bonitas & iuſtitia ſit, non poteſt non ſummo amore complecti bonos, eóſque ſummis beneficiis afficere, ſummóque odio ſceleratos proſequi, debitiſque ſuppliciis punire. Quod cùm in hac vita non fiat, alia neceſſariò exſpectanda eſt, in qua diuinæ iuſtitiæ ratio conſtare poſſit. Hic eſt autem acerbiſſimus cruciatus, quo in hac vita praui homines torquentur: qui vt impunè peccare, & voluptatibus ſuis fræna laxare poſſent, vel Deum eſſe nollent, vel ipſum aut cæcum, aut infirmum, aut iniuſtum eſſe vellent: vt nec eorum voluptates per cæcitatem videre, nec punire per impotentiam poſſet, aut per iniuſtitiam vellet. Talẽ autem Deum optare, eſt prorſus Deum eſſe nolle. Quo quid eſſe ſceleratius poteſt? Vt autem hæc ipſa de Deo fides eſt grauiſſimus malæ conſcientię tortor: ita contrà eſt maximum piorum omnium in omni vita, atque adeò in omni calamitate ſolatium. Dominus Deus, id eſt, ſumma Trinitas varia habet nomina, quæ multiplices eius perfectiones & laudes deſignant: duo tamẽ in primis celebrantur, nempe, QVI EST, & BONVM. Hoc enim nomen ſoli Deo conuenire Saluator oſtendit, cùm adoleſcenti interroganti: *Magiſter bone, quid faciendo, vitam æternam poſſidebo?* reſpondit: *Quid me interrogas de bono? nemo bonus, niſi ſolus Deus.* Illud verò nomen, QVI EST, idem Dominus Moyſi ante omnes reuelare dignatus eſt, vbi ait: QVI EST, *miſit me ad vos.* Ex his igitur nominibus, illud quidem ad beatiſſimæ Trinitatis myſterium explicandum maximè deſeruit: hoc verò ad eas diuinę naturę perfectiones explicãdas, quas rationis lumine clariſſimi aliquot Philoſophi aſſecuti ſunt.

Cicero 2. de Legib.

Sententia optima.

Deus bonos amat, improbos odit.

Impij qualem optent Deum.

Trinitatis nomina varia.

Matt. 19.

Exod. 3.

Astra, quæ absente Sole mundum illuminant, eodem præsente splendorem suum tueri nequeunt, & perinde sunt, ac si non essent, cùm tamen Solis lumen finitum sit: quid mirum, si quæ esse habent certis limitibus circumscriptum, ante immensum illud & infinitum esse nihil sint? Hinc Esaias, *Omnes*, inquit, *gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihil & inane reputatæ sunt ei.* Ipse Deus est velut fons, alia velut riuuli sunt à fonte manantes, qui tandiu fluent, quamdiu fons illis aquas præbuerit. Illi igitur instar riuulorum à fonte pendent, nō autem ab illis fons. Solus ille Deus verè est, qui nō ab alio, sed à seipso est. Hæc est autem summa laus & gloria, quæ de conditore mundi Deo prædicari potest: ex qua cæteræ eius laudes & perfectiones colliguntur. Ex hac Dei perfectione summa, intelligitur ipsum immobilem atque immutabilem esse. Ex eodem etiam fonte apparet, eum nec initium habuisse, nec finem habiturum, sed semper fuisse, semperque futurum. Colligitur etiam, nullam in eo esse successionem, qua alia desināt, alia incipiant: sed totum esse suum simul esse. Ipse actus est purus: nihil ergo ei adiici, nihil nouū aduenire potest. Qua ex re æternitas Dei propriè colligitur: cognoscitur etiam illius excellētia, & virtus eius, infinita. Iam cùm Dei sit essentia atque potentia infinita, sequitur planè, vt eius quoque sapientia sit infinita. Hæc res nos cum primis ab omni maleficio reuocare deberet, cùm firma fide teneamus, & Deum omnibus in locis adesse præsentem, & omnia nuda & aperta esse oculis eius. *Deus*, inquit Esaias, *sempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ, non deficiet, neque laborabit, nec est inuestigatio sapientiæ eius.* Decet igitur fidelem Dei seruum, eximioque eius amore flagrantem, illi de hac tanta dignitate, opulentia, & felicitate congaudere, illique cum Ecclesia pro hac immēsa gloria gratias agere: præsertim cùm is hac tanta sua opulentia & potentia in nobis creandis, ornandis, bonisque omnibus locupletandis liberalissimè vsus fuerit: & in hoc ipsum nos condiderit, vt beatitudinis & felicitatis suæ cōsortes efficeret. Quòd si nos, cùm de Deo vel loquimur, vel cogitamus, nulla amoris eius dulcedine tāgimur, immodicus terrenorum amor in causa est, quo infecta mens nostra, tantò minùs spiritualia atque diuina degustat, quantò magis terrenis voluptatibus immersa est. Palato quippe non sano, pœna est panis, qui sano est suauis: & oculis ægris odiosa lux, quæ puris est amabilis. Vult Apostolus, & præcipit, vt ambulemus dignè, Deo per omnia placentes, & in omni opere bono fructificantes. Compendio, vti po-

Simile.

Esa. 40.

Deus fons est indeficiens.

Deus est sempiternus.

Maleficia vitanda.

Esa. 40.

Homines ad quid cōditi sint.

Simile.

Colos. 1.

tuimus, proposuimus, qua potissimùm ratione ad incomprehensibilem diuinitatis naturam aliquo modo cognoscendam procedere debeamus. Pythagoras sophista hoc in dubiũ vocauit: *De diis enim, essent nec ne, dubitare se dixit.* Quæ quidem insania adeò Atheniensibus exsecranda fuit, vt eorum decreto eius libri fuerint in cõcione combusti, & bona publicata, atque ipse in exsilium missus. Iam insuper ostendam non esse à ratione alienum, id quod Catholica fides de hoc ineffabili mysterio prædicat. Postremò quãta diuini Spiritus dulcedine viri sancti perfruantur, cùm purgatæ mẽtis oculis hoc diuinũ mysterium contemplantur, explicare tẽtabo. Mysterium sanctissimæ Trinitatis, quod supra omnem humanæ mentis rationem positum est, sola fide firmissimè credimus & cõfitemur. Quamuis fides nostra rationibus minimè nitatur (vtpote quæ Deum veritatis huius auctorem & testẽ habet) cùm tamen naturæ lumen, sicut & fidei, à Deo sit, neque alterum alteri aduersetur, sed potiùs alterũ altero adiuuetur; efficitur sanè, vt mens nostra ad huius mysterij fidem prõptior reddatur, & in eius contẽplatione maiori admiratione & lætitia compleatur. Cõparatur Dei Filius verbo, imagini, & lumini siue splendori. Verbum quidẽ Patris appellatur Filius, quia per illum Pater æternus, & seipsum sibi, & beatis mentibus ostendit. Sicut enim verbis nostris hoc agimus, vt animum nostrum auditori patefaciamus, mentemque & sensum nostrum in illum trãsfundamus: ita Deus Pater Verbum suum genuit, quo seipsum dixit, totámque substantiam suam in eum transfudit & manifestauit: cuius rei gratia Patris Verbum appellatur. Cõparatur idem Filius splẽdori & lumini. In Symbolo confitemur Deum de Deo, lumen de lumine. Vt enim splendidissima lampas splendidissimum radium siue lumen ex se fundit; ita Pater æternus lucidissimum ex se radium, hoc est, Filium ex se producit. Comparatur & imagini: neque enim imago vitam habet, quam Dei Filius habet, qui de seipso ait: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitã habere in semetipso. In ipso,* inquit Ioannes, *vita erat, & vita erat lux hominum.* Adde etiam quòd imago solã hominis faciem & corporis habitum atque figuram repræsentat: at Dei Filius paternæ substantiæ speculum & imago est. Videmus in sigillo nihil esse, quod in cera eo sigillata non inueniatur, quo significatur, nihil prorsus in Patris substãtia esse, quod nõ in Filio perfectissimè contineatur. His similitudinibus mens nostra ad altiora cognoscenda assurgere poterit. Nũc quoniam sancti viri nulla re magis (quæ res purgatam mẽtem, & diuini amoris igne

Gentilis de diis opinio mala.

Ioan. 1. Hebr. 1.

Simile.

Ioan. 5.

Ioan. 1.

Hebr. 1. Simile.

igne flagrãtem requirit) quàm in altissimi huius mysterij contemplatione acquiescũt; qua ratione id fiat, paucis explicãdum est. Huius verò gaudij, sincera & incensa in Deum charitas fundamentum est. Proprium quippe charitatis est, de dilecti felicitate non minùs quàm de propria gaudere. Cùm enim veræ dilectionis sit, amantem cum re dilecta copulare, & ex duabus animabus vnam quodammodo efficere; necesse est, bona & mala omnia vtrique parti esse communia. Hoc autem in parentibus filiorum amantissimis, animaduertere licet, qui vt non minùs eorum calamitates quàm suas lugent, ita non minùs de eorum felicitate, quàm de sua lætantur. Quod cùm ita sit; consequens est, vt pia mens, quæ eximio Dei amore ardet, mira suauitate atque dulcedine oblectetur, cùm immensam eius felicitatem & gloriam puro mentis intuitu contemplatur. Vbi infinitus amor est, cùm res dilecta præsens adsit, necesse est infinitum gaudium, immensam lætitiam, summamque felicitatem ibidem esse. Vnde etiã sequitur quod Plotinus Platonicus in libro de Pulchro ait, necesse esse, vt qui huius diuinę felicitatis particeps fieri cupit, diuinos quoque mores, diuinámque puritatem imitari, Deo assimilari, ac Deiformis quodammodo effici debeat: quòd nunquam ad verum summæ illius venustatis intuitum sit admittendus, nisi diuinam sibi similitudinem assumpserit. Est autem similitudo (Platone ipso teste) sanctitas & iustitia: quam habere debet, quem tenet veræ pulchritudinis contemplandæ atque fruendæ ardor. Hanc igitur, Auditores, omni cura & studio retinere contendamus, rebus omnibus, quæ nos pondere suo in terram deprimunt, vale dicentes, & ad cælestium rerum amorẽ toto mẽtis ardore adspirantes: vt & inchoata hac diuinæ contemplationis felicitate in via, & plena & consummata frui mereamur in patria. Non est cur solicitus & anxius esse debeas, quòd mysterij huius altitudinem non assequaris: non enim intelligere iuberis, sed credere. *Fides*, inquit D. Augustinus, *adsit, & nulla inquisitio. Sufficit*, inquit Bernardus, *Christiano tenere sic esse. Sacramentum hoc magnum est, & quidem venerandum, non scrutandum. Scrutari hoc, temeritas est: credere, pietas est: nosse, vita æterna est.* Vt enim qui oculos in Solem defigunt, oculorum aciem hebetant: ita qui ẽ terminis assignatis egrediuntur, vt lucem illam immensam adspiciant, à maiestatis splendore opprimentur. *Scrutator maiestatis opprimetur à gloria.* Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Dominus nobiscum. Amen.

Charitatis proprium.

Simile.

Plotinus.

Plato.

Augustinus

Bernardus ad Eugenium.

Simile.

Prouer. 25.

Gregorius.

IN FESTO SACRATISSIMI CORPORIS CHRISTI, CONCIO, IN qua & lectio Euangelica explanatur. Deinde docet, harum virtutum experimento, piorum mentes in huius Sacramenti fide magnopere confirmari. Tertio verò loco, qua frequentia ad hoc diuinum Sacramentum accedere debeamus, & qua animi puritate illud sit à nobis percipiendum, exponit.

THEMA. *Caro mea verè est cibus.* Ioannis 6.

CVM leprosi quidam post diuturnam vrbis Samariæ obsidionem, & diram famem, in hostium castra deuenissent, hostesque, Deo illos perterrefaciente, obsidionem soluissent, eósque abiisse intellexissent, vbi primùm cibis ibidem inuentis famem sedassent, & spolia nonnulla, quæ fugientes hostes reliquerant, surripuissent, dicere intra se cœperunt: *Non facimus rectè.* Hæc enim dies boni nuntij est: si tacuerimus, & non indicauerimus, criminis arguemur. Hoc exordio in præsenti Cócione vti volui, Auditores: quia cùm nos, qui beneficio Domini Sacerdotum officio fungimur, ad mensam Domini sedétes, Angelorū pane quotidie reficiamur; officio nostro abuti videbimur, nisi vos hoc faustissimo & lætissimo die eiusdem conuiuij, eiusdem cælestis panis participes nobiscum efficiamus, & quas diuinæ gratiæ opes nobis Dominus in hoc Sacramento reliquerit, annunciemus. Multa sunt quę nos ad venerationem, amorem, & frequentiorem eius vsum incendere possunt. Quæ vt piè & religiosè persequi valeam, communibus votis (quando communis agitur causa) cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

4. Reg. 7.

Sacerdotū officium.

AVE MARIA.

ANTE hoc Euangelium historia de saturitate quinque millium hominum de quinque panibus præponitur. Dominus, habita occasione illius insignis & celeberrimi miraculi, cùm illi panis cælestis, qui illis à Moyse erat datus, mentionem fecissent pretiosas margaritas huius doctrinæ, non tam illis quàm nobis, qui in illum credimus, proposuit. Itaque longa oratione

disseruit, quanto præstantiorẽ panem cæleſtis Pater hominibus dederit, cùm Filium ſuum in mundum miſit: per quem homines non corpoream & caducam, multíſque miſeriis obnoxiam, ſed ſpiritualem, diuinam, ac poſtremò immortalem vitam viuerent. Cúmque hæc & multa alia de huius panis dignitate dixiſſet, in hodierna ſancti Euangelij lectione idem argumentum proſequitur, dicens: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Res creatæ quædã ſunt tantùm, & nõ viuunt, vt elementa, lapides & metalla: quædã ſunt pariter, & viuunt, vt plantæ, arbuſta, bruta, hõines, Angeli. Commune autem eſt omnibus, quæ vitam habent, vt cibum quoq; habeant, quo vitam ſuſtentare poſſint. Vnde alia quædam alũtur terra, alia aqua, alia aëre, alia verò ſublimiorem cibum habent. Angeli enim, qui vitam habent, vt cibum quoque habeãt, quo paſcuntur & ſuſtentantur. Vnde Raphaël Angelus ad Tobiam ait: *Videbar quidem manducare & bibere*, &c. Hoc enim diſcrimen inter viuentia eſt, quòd quæ corporea ſunt, corporeo: quæ verò ſpiritualia, ſpirituali cibo aluntur. Cùm autem ſolus homo, inter omnia quæ vitam habent, ex corpore ſimul atque ſpiritu compoſitus ſit; conſequens eſt, vt duplici egeat alimento: quorum altero corporis, altero ſpiritus vitã ſuſtentare valeat. Et illud quidem habet commune cum brutis, quorum naturam participat: hoc verò cum ſpiritualibus ſubſtãtiis; qua ratione eius anima ſpiritualis quoque ſubſtãtia eſt. Quo fit vt communem cum illis cibum habeat, quorum conditionem & naturam participat. Spiritualis quippe vita in Dei dilectione conſiſtit. Qui enim diligit, viuit: qui autem non diligit, non viuit: dicente Ioanne: *Qui non diligit, manet in morte.* Vnde eſt illud: *Perdit, quod viuit, qui non diligit Deum.* Conſtat igitur ex his quæ diximus, Deum ipſum & Angelis & mentibus noſtris cibum eſſe: quo illi quidem beatã, nos autem ſpiritualem vitam viuimus. Cùm igitur in hoc Sacramentorum omnium maximo verè Deus ſit ipſe, rectè Saluator in ſacra huius diei lectione ait: *Caro mea verè eſt cibus.* Talem vtiq; cibũ, animarum noſtrarum dignitati conuenientem, diuina prouidentia deſtinare debuit. Sunt multa ciborum genera, quibus corpus ſuſtentatur, anima, quæ longè præſtãtior eſt, vnico: ſed hic cibus vnus quidem eſt, qui omnium in ſe ſpiritualium ciborum virtutẽ & ſuauitatẽ continet. Vnus eſt Sol in mundo, qui perfectiſſimè lucet, qui omnibus ſufficit: plurima verò aſtra, quia lux eorum imperfecta eſt & exigua. Quia igitur in hoc cibo ille continetur, qui continet omnia, vnus vtique eſſe debuit,

Panis cæleſtis quid efficiat.

Tob. 12.

Corporeorum & ſpiritualium diſcrimen.

1. Ioan. 3.

Vita quæ vera ſit.

Ciborũ genera multa.

buit, quia vnus ipse instar omnium, & supra omnia est: vnde aptè per illud Manna patribus exhibitum adumbratur, quod omnium in se saporum suauitatem referebat. Habet & hic cibus viatici nomẽ, quod robur addat: quod in Elia ille subcinericius (qui spiritualis huius cibi imaginẽ gerebat) panis declarauit. Memento tibi ab Angelo dici: *Surge, comede; grandis tibi restat via.* Est pium & sanctum, hunc panem circumferre ab omnibus adorandum: at maior est pietas, eum intra cordis tui hospitiũ deuotè excipere. Hîc deuotio esse debet. Hic cælestis cibus quoties sumitur, gratiam auget, & cætera Spiritus sancti dona & virtutes, per quas piorum mentes de virtute in virtutẽ proficiunt. Hinc Diuus Thomas *nullum Sacramentum hoc salubrius esse* ait, *quòd per illud virtutes augeantur, & mens omnium spiritualiũ charismatum impinguetur. Ore,* inquit ille, *percipis corpus Domini, & intus anima de Deo saginatur.* Proprius huius cibi effectus est spiritualis refectio, hoc est, debilitati spiritus restauratio: cõsequens igitur est, vt piè & religiosè frequentetur, quo eius virtute, intermissa deuotio reparetur & coalescat. Cęlestis hic cibus nullo modo in naturã aliti transit, sed alitum tamen ipsum transformat in se. Hinc Dominus ad Augustinũ: *Cibus,* inquit, *sum grandiũ: cresce & manducabis me. Nec tu me mutabis in te, sicut cibũ carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Ex qua quidẽ mutatione præcipuus huius venerabilis Sacramẽti effectus colligitur, qui est (vt D. Thomas ait) paulatim diuinos, hoc est, puros, sanctos, innocentes, & immaculatos eos efficere, qui illud deuotissimis & supplicibus animis frequentant. Hoc est autem quod Saluator in sacra huius diei lectione præcipuè docet, cũ ait: *Qui manducat meam carnem, & bibit meũ sanguinem, in me manet,* &c. Quid autẽ ex hac mansione consequatur, idẽ ipse altissima similitudine explicat, cùm protinus subdit: *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem,* &c. Hoc est, sicut vita mea eadem quæ Patris est, quia Pater est in me: sic vita eius in quo ego permãsero, vitæ meæ similis erit, hoc est, innocẽtiæ, iustitiæ, & sanctitatis meæ puritatem & imaginẽ referet. Hęc quidem permutatio inexpertis mentibus est obscura, sed fide sola percipienda est. Dominus creator & moderator humani generis tot salutares herbas curandis corporũ morbis creauit: æquum igitur erat, vt nobilissimam mundi partem, hoc est, mentem nostram, nequaquam desereret, quę multò pluribus & grauioribus obnoxia est morbis. Aduersus exitiales morbos præsentissimum huius Sacramenti medicamentum cælestis Medicus instituit. Quod quidem

Manna quid innuat. *1. Reg. 19.*

Thomas.

Tertullianus.

Cibi cælestis natura.

Augustinus.

Christus vita nostra est.

Animæ remediũ.

quidem apertè diuus Bernardus testatur his verbis: *Feruore spiritus, feruor exstinguitur aliorum desideriorum; & pestiferam dulcedinẽ vitiorum, iucunditas spiritualis vnctionis excludit.* Hic panis Dei virtute, Sacerdotúmq; ministerio sacratus, piè, religiosè, atq; frequẽter susceptus, efficaci modo tricipitis Cerberi canis, id est, cupiditatis rabiẽ atq; famẽ sedat ac temperat. Arca testamẽti, Iordanis fluenta cõpescere potuit: quare non magis sacrosancta Eucharistia cordis nostri motus & cupiditates varias comprimeret? Verùm hęc mutatio à facie Domini esse dicitur; quia nimirum virtus & præsentia huius Sacramenti miranda hæc operatur. Neque enim ante immaculati Agni præsentiã immundus fornicationis spiritus stare diu potest. Hæc de huius diuini Sacramenti virtutibus & institutione dicta sint: in qua diuinæ prouidentiæ ordo atque sapientia mirabiliter elucet. Cùm enim ea suauiter atque sapienter omnia disponat: qua via mors introiuit in mũdum, eadem vitam mundo reddere curauit. Quatuor quippe ad mũdi interitum conuenerunt: nempe vir inobediẽs superba mulier, arbor interdicta, ac vetitus à Domino cibus. Totidem verò quatuor Dominus ad mũdi instaurationem destinauit. Aduersus námque inobedientem hominem, alterum vsque ad mortem obedientem opposuit; aduersus autem feminam superbientem, feminam deuotissimam, se humilitate submittentem: aduersus interdictam arborem paradisi, vitale lignum Dominicæ crucis: aduersus aûtem mortiferum illum cibum, viuificum hoc Dominici corporis Sacramentum. Sicut ergo mala omnia, quæ importauit primus homo, sustulit secundus; & quæ inuexit Eua, repulit Maria; & quæ protulit arbor mortis, vitæ arbor eliminauit: ita mala omnia, quæ lethalis ille cibus intulit in mundũ, hic viuificus panis propulsauit è mũdo. De illo cibo dictum est: *In quacunque die comederis ex illo, morte morieris:* contrà verò de hoc in præsenti Euãgelio Dominus ait: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Ille igitur mortis, hic vitæ cibus est. Atque ita demùm impletum est quod Ecclesiasticus ait: *Omnia duplicia, vnum contra vnum; & non fecit quidquam deesse.* Sic enim diuina prouidentia non solùm in operibus naturæ, sed etiam gratiæ, contraria contrariis curat; & ne res sapienter ab eo constitutæ intereant, aliarum vim, aliarum virtute vel temperat, vel repellit. Hoc à nobis exigitur, vt pro tãto munere, Deo immortales agamus gratias, & illum totis viribus diligamus, qui sic nos visitare, sic alere, nobiscũ vnum fieri, meritorum atque laborum suorum participes efficere

Bernardus.

Cupiditates quid cõterat.

Psal. 113.

Mundum quid condemnauerit.

Rom. 5.

Genes. 2.

Eccles. 42.

Contraria contrariis curantur.

efficere dignatus fuerit. Cæterùm cùm nec in præsenti seculo, nec in futuro etiam dignas tanto muneri gratias agere valeamus; in futuro tamen hoc multò aliter faciemus, cùm vitalis huius cibi merito sempiternam nos vitam assecutos esse videbimus. Vt enim Saluator in præsenti lectione docet, hoc distat hic cibus ab eo, qui Patribus exhibitus in deserto fuit, quòd ille quidem mortalem vitam, iste sempiternam largiatur. Sic enim ait: *Hic est panis qui de cælo descendit, non sicut manducauerunt Patres vestri Manna*, &c. Vbi ergo æterna vita huius panis beneficio fruemur, tunc demùm meritas pro eo benignissimo largitori gratias agemus.

Cùm iam Christus tantas gratiarum & donorum cælestium opes nobis passionis suæ meritis promeruit: nullo modo committamus, vt illũ vel offendamus, vel ab illo nos secludamus. Christus factus est noster mercenarius: tunc autem nos illum pium mercenariũ mercede sua fraudamus, cùm propter ignauiam nostrã & socordiam, æternæ vitæ subsidiis (quæ ille nobis in hoc Sacramento reliquit) vti nolumus. Laudatur Centurio, qui præ timore & reuerentia Dominum ad se ingredi non est passus: laudatur contrà Zachæus, qui alacriter illum in domũ suã excepit. Sic igitur laudãtur, qui religioso timore ad hanc mensam accedere non audent, licèt bonæ sint volũtatis: & laudãtur item qui amoris & deuotionis studio exstimulati audent. Quamuis autem vtrique laudem mereantur; quia tamen, vt diuus Thomas ait, timori amor præfertur, satius est, ob amorẽ ad illam accedere, quàm ob metum & reuerentiam ab ea abstinere. Ille sanè verè deplorandus est, qui tam raròl, licèt cum deuotione, semel in anno accedit. Vis spirituales habere opes, & eas colligere negligis? hîc ipsemet es in causa.

Christus mercenarius noster factus.

Matth. 8.

Luc. 19.

Voluntas & opus requiritur in sumptione Eucharistiæ.

Adhortamur quidem fideles ad frequentem huius Sacramenti vsum, sed eos ad cordis puritatẽ admonere non desinimus. Meminisse enim oportet scriptum esse: *Domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudine dierum.* Et, *Iustitia & iudicium, præparatio sedis eius.* His námque iustitiæ opibus domus ac sedes Dei adornanda est, & omnes ab ea vitiorum sordes eluendæ, quo illi dignum habitaculum præbeat. Hinc D. Athanasius: *Si quis*, inquit, *gulositate, aut turpium cogitationum consensu, quasi luto contaminatus est, si quis odio, & iniuriarũ recordatione, quasi vertigine affectus est, si quis inuidia, aut ira perturbatus est, si quis superbia aut arrogantia victus, is ad diuina, & pura hæc mysteria accedere non ausit, priusquam ea per pœnitentiam diluat, & seipsum ab omni carnis*

Psal. 92.

Athanasius.

Præparatio ad Eucharistiã.

& spiritus inquinamento repurget. Sit os nostrum purum ab omni turpiloquio, detractione, mendacio, mala imprecatione; purum inquam, ne quo aditu ad nos Deus ingreditur, dæmon vnquam ingrediatur. Vias ornamus; via illa quæ illi aditus ad cor nostrum patet, ab omni vitio purganda, & virtutũ aulæis adornanda est. Illorum socordia maximè est accusanda, qui se ad saluberrimum hoc infirmitatis humanæ remedium piè & religiosè frequentandum præparare negligunt. Rectè & grauiter ait Bernardus: *Væ ei, qui non communicat; & væ item ei, qui indignè communicat.* Sic & D. Augustinus: *Si*, ait, *non tanta sunt crimina, vt propter ea quis excommunicandus sit, non debet à medicina corporis Domini se subtrahere.* Auget etiam D. Bonauentura: qui non ideò nos ad hoc Sacramentum accedere debere ait, vt sanctitate nostra nos Dominum sanctificemus, sed vt ipse contra sanctitatis suæ virtute sanctificet nos. Verè enim vt corpora cibo, ita mentes nostræ hac cælesti alimonia viuunt: nec modò viuunt, sed omnibus etiam virtutum & gratiarum opibus indies augentur & cumulantur. Nec te moueat quòd multi sint qui frequenter hoc cælesti cibo pascantur, & multi ex Sacerdotibus, qui ad hanc quotidie mẽsam accedũt, cùm tamen nihilo aliis meliores atq; sanctiores euadant. Verùm hoc nullum in Sacramẽto defectum, sed sumentium indignitatem arguit. *Sumunt*, inquit Ecclesia, *boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali, vitæ vel interitus.* Vt enim idem ignis & ceram mollit, & lutum durat: ita hoc Sacramentum idem in se manens, aliis salutis & vitæ auctor, aliis mortis occasio est. Atque vtinam qui frequenter communicant aut cõsecrant, non fierent deteriores. Sacra illa mensa aliis quidem imbecillitatis remedium, aliis verò iudicium est. *Qui indignè manducat, videat.* Conditor & gubernator mundi licèt omnia posset gubernare solus, septem tamen stellas (quas ob id ipsum vagas & erraticas vocamus, siue planetas) præcipuè delegit: quarũ virtute atque influxu hæc inferiora mũdi corpora gubernaret. Ex his aliæ pluuias demittunt, aliæ serenitatem, aliæ ventos ex occultis terræ vaporibus proferunt: aliæ mari, fontibus & fluminibus præsunt: aliæ frugibus & plantis, cæterísque quæ ex terræ gremio producuntur. Sicut ergo mundi conditor naturam vniuersam his præcipuè septem sideribus administrat: sic Ecclesiam suam totidem Sacramentorum virtute gubernat, regit, atque fœcundat. Cùm enim idem sit tum gratiæ, tum naturæ auctor: nihil mirum, si eundem numerum & ordinem in vtriusque rei administratione voluerit retinere.

Eucharistia vt sumenda.

Bernardus.

Bonauentura.

Communio sancta crebrò accipienda.

Simile.

1. Cor. 11.

Stellæ septẽ quid agant.

Sacramenta septem.

Vt

Vt autem septem illæ stellæ in corporibus:ita septem hæc Sacramenta varios effectus in mentibus efficiunt, quos longum esset hoc in loco recensere. Inter septem planetas præstātissimus est Sol, à quo stellæ cæteræ & lucem & virtutem trahūt: ita inter septem Ecclesiæ Sacramenta, sacra Eucharistia principem tenet locum, vtpote in qua ipse Sacramentorum auctor & institutor est, à quo, tanquam à Sole iustitiæ & fonte gratiæ, cætera Sacramenta gratiam & virtutem sortiuntur. Vt autem inter planetas, is qui Luciferi nomen obtinet, Solem semper siue occidentem, siue orientem comitatur: ita Confessionis Sacramentum, sacræ Eucharistiæ indiuiduus comes, & veluti pedissequus est: vtpote quod mentis nostræ domicilium purgat, vt in eo sacra Eucharistia collocari dignè possit. Hæc autem præstantissima Sacramenta, quæ iterari quotidie possunt (cùm cætera partim rarò, partim nunquam iterentur) vehementer ad animarum salutem constituendam atque seruādam adiuuant: quandoquidem quotidiana hac repetitione & frequentatione, quotidianis morbis & necessitatibus nostris medicinā faciunt. Quod quidem Ambrosius admonet his verbis: *Si quotiescunque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere; qui semper pecco, debeo semper habere medicinam. Qui vulnus*, inquit idem, *habet, medicinam desiderat*. Vulnus est, quòd sub peccato sumus: medicina est hoc venerabile Sacramentum. Duo ista Sacramenta ad præterita peccata delenda præcipuè seruiunt: Eucharistia etiam aduersus futura mentem munit & armat. Quamdiu autem viuimus, intra nos est carnis cōcupiscentia, & peccati fomes, qui nos frequenter ad malum solicitat, aduersus quem huius Sacramenti virtus cælestem nobis vim atque opem confert. Nec concupiscentia solùm, sed ipsæ quoque res humanæ, quibus per amorem inhæremus, mentem sæpe nostram inficiunt, & à spiritualium rerum studio & amore auocāt. Vt enim in corporeis rebus, qui res sordidas tractant, ipsi etiam earum contactu sordidantur: ita vbi mens nostra immoderato amore terrenis rebus adhæréscit, ipso vtique amoris huius contactu inficitur & sordidatur. In remedium igitur infirmitatis, Eucharistia est instituta. Est & Sacramentum istud sacrificium: in quo non vitulos & agnos (vt olim in Lege) sed ipsum Dei Filium (qui in cruce olim pro salute mundi oblatus est) denuò immolamus. Hoc sacrificio nihil Deo gratius, nihilque homini salutarius excogitari potuit. Nihil enim minus in quotidiano Missæ sacrificio Deo Patri offerimus, quàm quod ille

Confessio Eucharistiæ adesse debet.

Ambrosius.

Sacramentum medicina.

Carnis cōcupiscentia.

Simile.

Eucharistia sacrificium.

Missa quid contineat.

ille moriens in cruce obtulit, sed eundem Agnum immaculatum, eandem Hostiam, eundémque Dei Filium superno Patri præsentamus. Qua in re immensa Dei nostri bonitas & charitas apparet; cui non satis fuit, fieri panem nostrum, nisi etiam fieret sacrificium nostrum, vt nos illum tanquam panẽ viuum, vitam æternam largientem, comederemus, & tanquam verum & immaculatum sacrificium Deo Patri pro sceleribus nostris offerremus. Est etiam hoc sacrificium vtile & necessarium toti Ecclesiæ, pro qua offertur, & viuificũ & salutare. Nec viuis solùm, sed mortuis etiam, qui purgatorio igne pristinæ vitæ maculas diluunt, magnopere confert. Magnum quoque solatium est Sacerdotibus, qui quotidie deuotè celebrant, quòd & ipsi sint liberandi à purgatorio, vel in eo certè aut breuiori spatio, aut leuiori pœna expiandi. Nunc ad vos Auditores, conuerto sermonem. Si tantas diuinæ gratiæ opes Sacramentum hoc secum adfert, quo quæso ardore, quo affectu, ad hoc tantum salutis nostræ remediũ accurrere debemus, quod nobis post adscensum Domini in cælum, in terra relictum est? Apostoli aliis erant eruditi mysteriis; at nobis ex aureo illo seculo, summum istud Sacramentum relictum erat, quod eo tempore à Christo institutum, & à fidelibus frequentatum fuit, hucusque manet, manebitq; perpetuò in Ecclesia. Cur ergo maximũ hoc, quod nobis superest, beneficium negligimus, quod felicissimi illius seculi dignitatem repræsentat? Quamuis enim tot temporum spatia exacta sint iam, eodem tamẽ modo Eucharistia nondum mutata, idem diuinum Sacramentum, idem sacrificium, idem Agnus immaculatus, idem Angelorum panis, idem illud sacrosanctum corpus & sanguis, eadem gratia, postremò eadẽ manet cœna: quæ ad finem vsque mundi perduratura est. Sic enim Apostolus ait: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Quocirca existimare debemus, Auditores, cùm ad venerabile Eucharistiæ Sacramentum accedimus, nos quoque cum discipulis, in postrema illa Domini cœna esse præsentes, eodémque affectu & religione, qua illi, ante hãc mensam adsistere. Si tãta est huius Sacramenti dignitas, tantáque per illud nobis salus & gratia confertur: quãtum quæso accusari illorum socordia debet, qui se ad illud piè & religiosè sumendũ præparare negligunt? Olim quidem initio nascentis Ecclesiæ frequentissimus huius panis erat vsus. Omnes enim, qui sacris mysteriis adesãt, Christi corpus sanctissimũ vnâ cũ Sacerdote percipere solitos fuisse, auctor est in primis Dionysius Areopagita, & Iusti-

Sacerdotes purgatoriũ euadent.

Eucharistia nobis relicta à Christo.

1 Cor. 11.

Sacramentum corporis Christi quanti æstimandũ.

Dionysius.

Iustinus.

nus Martyr, qui de baptiſmatis ritu agens, conſueuiſſe inquit Euchariſtiam dari à Diaconis, omnibus qui præſentes aderant, percipiendam, & abſentibus deferendam. D. Auguſtinus: *Si quotidianus eſt panis, an poſt annum illum ſumes? Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit. Sic viue, vt quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere.* Proceſſu temporis hîc fidelium feruor & deuotio refrixit. Quòd autem minùs cõmunicamus, illa noſtra omnis excuſatio inualida & friuola eſt. Agamus immẽſas Domino Deo gratias, ab eóque ſuppliciter poſtulemus, vt qui ſeſe nobis velatum in hac mortali vita tradere dignatus eſt, reuelata tandem facie, ſe nobis in patria præbere dignetur. Amen.

Auguſtinus Sermone in monte.

Communicandum ſæpius.

IN EODEM FESTO SACRATISSIMI CORPORIS CHRISTI,

Concio ſecũda, ex tribus collecta: in qua primùm de ſummis beneficiis in hoc Sacramento nobis exhibitis, eiúſque effectis & virtutibus; deinde verò de reuerentia, qua ad illud accedendum ſit, ac de frequentiori eius vſu agitur.

THEMA. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Ioan. 6.

DIONYSIVS ille magnus Areopagita, de hoc admirabili Sacramento dicturus, ab ipſo Domino, qui in hoc Sacramento latet, ſibi exordium ſumendum decreuit, nempe vt paulisper id quo regitur velum aperire, & ex immenſa luce, quæ intra illud latet, vel exiguum ad nos radium emittere dignetur: quo luſcioſi mentis noſtræ oculi illum videre, voluntates amare, & lingua noſtra dignum aliquid de eo proloqui valeat; vt totum illi hodie acceptum feramus, & quod ab eo munus accepimus, & lucem qua illud agnoſcimus & prædicamus. Hoc myſterium Moyſes à Domino ſuppliciter petebat, cùm diceret: *Si inueni gratiam in oculis tuis, oſtende mihi gloriam tuam.* Quod quidem beneficium ſanctus Propheta non vni ſibi tantùm, ſed vniuerſo populo, quem regendum ſuſceperat, à Domino poſtulabat. Cùm enim videbat inobedientem populum, nec tot inſpectis miraculis, nec tot perceptis beneficiis in officio contineri, hanc

Chriſtus latet in Euchariſtia.

Exod. 33.

hanc vnam viam ad pietatem iudicauit, si Dominus lucis suæ radios in eum mitteret, vt quàm esset ipse magnificus, & quãta reuerẽtia dignus, intelligeret. Hac enim ratione facilè homines nõ ad obedientiam modò, sed ad mille mortes pro ipso obeundas paratissimi essent. Sine diuini luminis radio de hoc Sacramento dignum aliquid dicere non valet humana infirmitas: nihil enim non summum in eo est atque diuinum. Si enim effectus eius considerare velis, is est, homines diuinos, hoc est, Deiformes efficere: si verò huius effectus causam in tuearis, Deus ipse causa est, intra pectus hominis admissus: si autem modum inspicias, modus est, vt idem Dominus sub panis specie ab homine sumptus, eundem hominem cælestem atque diuinum, & puritatis atq; sanctitatis suæ participem efficiat Omnia in hoc Sacramento sunt diuina, homuncio autem rudis non potest assequi seu proloqui tanta mysteria. Vt hanc igitur nobis lucem Dominus, qui in hoc Sacramento conditus est, impartiri dignetur, ad beatissimam Virginem, hoc est, misericordiæ matrem, confugiamus, eiúsque patrocinia, solita oratione imploremus.

Euchari-stia quid faciat.

AVE MARIA.

OMNIA diuinæ legis præcepta aduersùs carnis nostræ cupiditates militant, quę omnium perturbationum, molestiarum atque dissidiorum causæ sunt, Iacobo testante, qui ait: *Vnde bella & lites in vobis, nisi ex concupiscentiis vestris, quæ militant in vobis?* Diuinæ legis obedientia, quæ cupiditatem comprimit, certissima ad felicitatem via est. Rectè proinde ille ait: *Cùm Christianæ vitæ rationem considero, singula ipsius instituta beatitudinem hominibus adferre perspicio.* Est & alia cælestis Philosophiæ pars, quæ cælestia continet præmia, piis constituta; & spiritualia gaudia, quibus in hac etiam vita reficiuntur, & oblectantur. Iam quis non videat, quantæ sit felicitatis talibus consolationibus recreari, tantæque gloriæ spe animum ali atque recreari?

Iacob.4. Bella quid causantur.

Ephrem.

Satis hæc duo ad constituendam hominis felicitatem esse videbantur: sed est aliud, quod multò magis ad humanæ vitæ beatitudinem conferat, nempe Sacramentorum beneficia: quæ sunt humanæ infirmitatis medicamenta, dolorum solatia, malorum remedia, & diuinæ bonitatis, ac charitatis argumenta. Inter quæ tamen singulari virtute & dignitate diuinissimum Eucharistiæ Sacramentum eminet: quod totius felicitatis &

Sacramenta sũt medicamenta.

Christus in quo sit Sacramento totus.

beatitudinis fundamentum est. In eo se nobis Christus Dominus totum tradit, cùm se in aliis per partes tradat: quia in illis nō ipse, sed eius nobis virtus & gratia communicatur. Qui verè amat, seipsum primo amanti tradit, ac deinde reliqua, quæ in eius facultate posita sunt. In hoc Sacramēto, quod Cōmunio appellatur, seipsum Dominus Iesus, atque opes suas largè & munificè amatoribus suis impendit; & intra illos manens, omnia in omnibus operatur. Ipse animā ad omnia virtutis officia exsuscitat, & sic tandem spiritualem animæ vitā tribuit, per quam ad vitam perueniat sempiternam. Qua de causa Dominus Sacramentum hoc sub cibi specie instituere voluit, vt humanæ mentis cum diuina mente vnionem designaret: quandoquidem proprium cibi est, vnum cum eo fieri, qui eo vescitur. Hoc est igitur quod præcipuè Dominus in hac Euangelica lectione exponit, cùm ait: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Quid autē hoc sit, idē Dominus explicat, cùm ait: *Qui manducat meam carnem,* &c. Hoc enim cibi propriū esse diximus, in aliti naturā transire, & vnum cū illo fieri: quod quidem huic Sacramēto maximè conuenit, quo Ecclesiæ mēbra capiti Christo copulantur, & vnū cum illo efficiuntur.

Eucharistia quare cibus.

Admiramur sanè huius vnionis dignitatem. Hæc autem vnio est spiritualis, & amore potissimùm fit. Fuit Sanctorum perpetuum studium, vt, quantum in hac vita fragili fieri posset, mētem suam cum diuina mente & voluntate ita copularent, vt quidquid illa vellet, ipsi quoque simili studio & affectu vellent, & se totos ad illius ductum, propria voluntate repudiata, applicarent: vt sic ex duabus volūtatibus, vna quodammodo voluntas fieret. Talis erat ille qui dicebat: *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* Sicut acerbi fructus melle aut sacchàrò decocti, nihil pristinæ acerbitatis retinent, sed illius liquoris saporem referunt, in quo diu iacuerunt: ita Paulo nihil erat, quod veteris Pauli naturam & ingenium, & pristinæ vitæ saporē haberet; sed quidquid in eo videbatur, eius erat, cui per ardentissimam charitatem vnitus, & in quem transformatus erat. Ideóque iure seipsum discipulis in exēplar virtutū Christi proponere potuit, cùm dixit: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Quid igitur hac dignitate ambitio humana optare amplius poterat? Si enim summa rationalis creaturæ perfectio est, principio suo, à quo profluxit, iterum copulari: quid maius in hac vita homini cōtingere poterat, quàm ita Deo coniūgi, vt ipse in Deo, & Deus in eo maneat? quod fit huius Sacramēti beneficio. Summū Dominicæ passionis beneficium quamuis semper

Sanctorū studium.

Galat. 2.

Simile.

1. Cor. 4.

ſemper nobis ad ſalutem proficiat, ſemel tamen in ara crucis impenſum eſt: hoc tamen quotidie nobis in altari per manus Sacerdotum confertur, quo eiuſdem paſſionis & mortis participes efficimur. Eſt igitur præcipua huius Sacramenti virtus, humanam mentem cum diuina copulare: quæ quidem vnio non corporea, ſed ſpiritualis eſt, & amoris glutino fit. Hoc eſt autem quod Saluator hîc ait: *Miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me*, &c. Hanc ſimilitudinem quis inter homines vſurpare auderet, niſi ea Saluator ipſe vſus fuiſſet? Senſus enim eſt, quòd ſicut Filij Dei vita eadem cũ Patris vita eſt, quia Pater eſt in Filio: ſic fidelis hominis vita, qui Chriſti Domini corpus intra ſe receperit, Chriſti vitæ conformis erit: quia Chriſtum intra ſe commorantem habet. Sicut ignis (qui inter elementa omnia nobiliſſimus eſt) quamcunque corripuerit materiam, in ſe conuertere, ſuámque formam atq; virtutem in eam transfundere contendit: ita quam mentem Chriſtus Dominus (qui ignis conſumens eſt) corripit & inhabitat, in ſe transformare, ſibi vnire, & ſui ſimilem, hoc eſt, diuinã efficere nititur. Traditur hîc corpus & ſanguis Chriſti, imò eius charitas & Spiritus ſancti, quo ſanctificamur, diuinæque ſimilitudinis participes efficimur. Id autẽ euenit, cùm ea puritate & ſinceritate vitam noſtrã inſtituimus, vt in ea diuinæ puritatis imago quædam appareat: vt quicumque nos viderit, non ſpurios & adulteros, ſed legitimos Dei filios, eiúſque ſimplicitatis & innocentiæ imitatores agnoſcat. Ex eo fonte, ex quo Sacramenta ſuam habent dignitatem, ſequitur Chriſti meritorum communio, quæ huius Sacramenti beneficio nobis contingit. Fideles enim in hoc Sacramento participes fiunt mortis & paſſionis eius. Vt enim virtus omnis atque ſenſus capitis in omnia corporis membra deriuantur: ita Chriſti Domini opes & virtus ad omnes fideles, qui charitatis glutino illi tanquam viua membra copulati ſunt, pleniſſimè dimanant. Cùm enim nobis ſacrum corpus & ſanguinem ſuum donat, ſimul etiam donat, quod illo corpore & ſanguine in ſacrificiũ oblatis promeritus eſt. Neque enim alterum ſine altero dignè accedentibus datur; hoc eſt enim dari & Sacramentum & rem Sacramenti. Qua in re diuinæ pietatis dignatio ſtudioſè conſiderãda eſt: quæ planè voluit, vt quod ille moriendo promeruit, nos edendo conſequeremur. Solent patres immenſos ſæpe labores excipere, & varia pericula adire, vt amplum filiis patrimoniũ relinquant, quo ipſi circa laborem & periculum opibus alieno labore partis fruantur. Quam rem Chriſtum Dominum no-

Euchariſtiæ virtus quæ.

Similes.

Vita vt inſtituenda ſit.

Sacramentum, & res ſacramenti.

Simile.

Leuit. 16.

biscum in hoc Sacramento egisse constat. Olim quidem Dominus in Lege vnum in vniuersa terra altare, & vnicum templum esse voluit. Et quidem in sacrarium & intimum templi adytum (in quo Arca testamenti collocata erat) solùs summus Sacerdos (thuris suffitu totum sacrarium operiẽte, ne quid cernere posset) ingrediebatur; arcam verò ipsam non modò manu contingere, sed nec videre fas erat. Bethsamitę námque, quæ eam curiosiùs videre præsumpserũt, meritas audaciæ suæ pœnas dederunt. Quid quòd nec ad eã propiùs accedere licebat, nisi duorum millium cubitorũ spatium esset interiectum? Hoc enim Iosue cauit, cùm arca Domini in Iordanis transitu populum præcedebat. Iam verò cùm Dominus in montem Sinai descendisset, solús Moyses ascendit in montem, nulli autem hominum aut iumentorum etiam fas erat ad montem, in quo Deus loquebatur, accedere. Ille ergo Dominus, qui adeò exiguam olim sui copiam hominibus faciebat, ille etiam ad finem vsque seculi, in hoc nostro tuguriolo, propter electorum suorum salutem & gloriam, habitare dignatur; vt illum salutare, illi calamitates suas declarare, & auxiliũ petere valeãt. Hoc igitur argumento, Saluatoris nostri charitatem in homines intelligere licet: à quibus tot modis offensus, nihilominùs tamen inter eos habitare dignatur; vt eos gratiæ & præsentiæ suæ virtute oblectet atque confirmet. *Ecce*, inquit, *ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.* Hæc consideratio magnam piis deuotionis præbet materiam. Fuerat conuersatus nobiscum in terris; adscendẽs in cælum, rationem iniit, qua in terra perpetuò apud nos maneret. Quis igitur hoc indicio viscera illa charitatis & misericordiæ plenissima non agnoscat? non adoret? non veneretur? non ardentissimo amore complectatur? Facilè ex his dictis causam ruinarũ mundi diuinare licet. Multi raro communicant, imò inuiti: non mirum igitur, si tanta cælestis cibi virtute destituti, in summa versentur imbecillitate, & (quod est consequens) leuissimæ cuiusq; auræ impulsu corruant, qui hoc fortitudinis cibo vix vnquam roborantur. O infelicem temporum conditionem! ô mirandam rerum commutationem! Olim sceleratis interdicebatur cibus ille mysticus, donec pœnitentiam dignam fecissent: nunc autem res nostræ eò deuenerunt, vt ipsi se fideles sponte sua hoc tanto supplicio non ad tempus modò, sed tota penè vita puniant. Audiant tales diuum Cyrillum: *Sciant baptizati homines, si longo temporis spatio propter simulatam religionem mysticè communicare Christo recusent, ab æterna se vita procul*

Arcæ dignitas.

Deus olim absconditus.

Matt. 28.

Deus quomodo sit nobiscum.

Mundus quare ruinã minatur.

Cyrillus in Ioannem.

procul depellere. Quippe recusatio huiusmodi, quamuis ex religione proficisci videatur, & scandalum facit, & laqueos instruit. Quare oportet omnibus viribus à peccato mundari; & rectè viuendi iactis fundamentis, magna cum fiducia, ad sumendam vitam concurrere. Sed variæ sunt diaboli, multiplicésque ad decipiendum insidiæ, quare demus operam modò, vt vinculis eius abruptis, & iugo seruitutis peccatorum excusso, in timore Domini seruiamus, & carnis voluptate per continentiam superata, ad cælestem gratiam accedamus. Hactenus ille. Cuius verba quãtum timoris animis nostris incutere debeant, expendendum venit. Illud hîc in primis obseruandum; vt flagrantissimo amoris igne diligamus eum, qui ita dilexit nos, qui hunc amoris ignẽ venit mittere in terrã, hoc est, qui tot amoris incitamenta, incarnatione, passione, & huius diuini Sacramenti institutione in pectore nostro congessit. Cùm enim tria sint, quæ amorem iustissimè sibi vindicẽt, nempe bonitas, charitas, & beneficentia: hîc bonitas maxima, charitas flagrans, & beneficia summa inueniuntur. Certè si hoc igne non accendaris, non video quam torporis tui excusationem in diuino iudicio prætexere valeas, cũ aduersum te Dominus has tres amandi caußas commemorauerit. Neque enim iniustus erat Deus, cùm præcepit, vt ipsum toto corde, tota mẽte, totisque viribus diligeremus. Vt quid enim nõ amaret opus artificem, cùm haberet vnde id posset? Et cur non quantum omninò posset, cùm nihil omninò nisi eius munere posset? Medicina est efficacissima: opus est eam vulneri admouere. Vulnus autem in corde est: quod & terrenarum rerum amore feruet, & cælestiũ amore alget. Huic igitur admouenda cælestis hæc medicina est. Tunc autem illam admouemus, cùm admiranda hæc beneficia quotidiana & pia consideratione diligenter (vt D. Bernardus ait) in corde nostro voluimus & consideramus. Quare rogo, obtestórque vos, Auditores, vt partẽ diei aut noctis seposi-tam habeatis, qua hæc tanta diuinæ dignationis beneficia in corde vestro, piè & religiosè tractetis: hoc est, vt ignem hunc, è cælo missum in terram, in pectore vestro condatis: haud dubium enim, quin omnem alium profani amoris ignem à vobis excutiat, & diuinæ dilectionis ignem incẽdat: quò Deo similes per dilectionem effecti, & in hac vita eius sanctitatem & puritatem, & in futura sempiternam eius felicitatem consequi mereamini. Quid autem hæc tanta beneficia, tantáque nobis ad salutem exhibita adiumenta, nisi immensam Dei nostri bonitatem & charitatem ostendunt, quæ summum nostrum erga

Luc. 12.

Amorem quid incitet.

Matt. 22.

Medicina cælestis quæ.

Bernardus.

Amor profanus qui propulsandus.

illum amorem & gratitudinem exigunt? Cùm enim veræ dilectionis proprium sit, bene velle, & beneficiis afficere: qua quæso dilectione Christus Dominus illos prosequitur, quos tantis afficit & ornat beneficiis? Quod vt euidentiùs appareat, vetera beneficia, quæ olim populo Iudæorũ Dominus exhibuit, cum noui Testamenti beneficiis conferamus. De illis igitur apud Oseam item Dominus ait: *Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis.* Et mox: *Ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum: & declinaui ad eum, vt vesceretur.* Tria amoris genera erga populum suum his verbis Dominus indicauit. Primus est nutricis amor, quę puerum materno affectu nutrit, & in sinu suo gestat. Secundus est pauperis agricolæ erga par boum, quorum opera atque labore vitam inopem sustentat: quos, diurno labore finito, blandè & molliter tractat, iugúmque, quo premuntur, exaltat, vt eorum laborem atque onus alleuet. Tertius est patris erga ægrotantem filium, cibósque fastidientem: cui pius pater manu sua cibum benignè porrigit, quo vescatur. Hos ergo tres amores Dominus erga populum suum se habuisse testatur, qui illos primùm velut nutritius prouidentiæ atque tutelæ suæ brachiis gestabat atque tuebatur; idémque iugum, quo ab Ægyptiis & finitimis nationibus premebantur, sustulit, & in libertatem asseruit: ac postremò ipse illis alimenta, & omnia quæ ad vitam sustentandam necessaria erant, larga manu suppeditabat: vtpote *qui eos*, vt ait Propheta, *frumenti adipe satiaret.* Hos igitur tres amores Dominus longè maioribus beneficiis erga populum suũ in noua Lege declarauit. Non contentus enim gestare nos in brachiis, gestat etiam in visceribus suis, cùm se in hoc Sacramento ingerit nostris: idémque nos eius virtute à grauissimo peccatorum & cupiditatum iugo liberat: ac postremò idem nõ modò cibum nobis porrigit, sed ipse etiã cibus noster effici dignatus est: qui non temporariam corporis vitam, sed immortalem & sempiternam dignè sumentibus tribuit. Qua in re dissimilitudinem amoris Christi ad alios communium amicorũ amores cernere licet. Hi enim, vt maximè diligant, nihil magis cupiũt, quàm amicis suis conuiuere, cũ illis versari, mutuóque illorum conspectu frui. At Christus Dominus hac vnione minimè cõtẽtus, præcordiis se nostris in hoc Sacramẽto voluit insinuare, intra nos habitare, & vnũ nobiscum effici. Idémque, velut pius Pater, manu sua nobis hũc cibum porrigit, cùm in extrema illa cœna discipulis, & in illis omnibus nobis ait: *Accipite, & manducate inter vos*, hoc est, accipite & manducate ex hoc

om

Osea 11.

Amoris genera tria.

Psal. 147.

Christus vt nos gestet.

Amicorũ proprium.

Matt. 26.

omnes. Quæ quidem verba non leuiter à nobis prætereunda sunt. Assuerus fecit magnum conuiuiũ suis; at noster Rex regũ, ac Dominus dominantium, Christus, ad Patrem ex hoc mundo discessurus, splendidissimum apparauit conuiuium, vt immensas bonitatis, charitatis, & misericordiæ suæ diuitias mundo ostenderet: idque nõ centum octoginta diebus, sed ad finem vsque mundi duraturum: nec Principibus Persarum & Medorum tantùm, sed vniuerso hominum generi præpositum, ad quod planè conuiuium nos inuitauit: *Accipite & manducate ex hoc omnes.* Nihil hîc vulgare exspectamus, non vina ex longinquis regionibus adlata. Non exspectamus agnum Paschalem, non Manna de cælo, quod omne cõtinet delectamentum, & omnem saporis suauitatem. *Hoc est,* inquit, *corpus meum: & hic sanguis meus.* Quid, quæso, Auditores, his pauculis verbis significari putatis? Nimirũ hoc perinde est ac si diceret: Tanto vos amore complector, tantopere vestrã salutem sitio, vt quoniam veram & æternam vitam sine carnis meæ cibo, & sanguinis potu assequi nõ potestis, carnem meam in cruce immolem, & sanguinẽ fundam: vt hoc cibo & potu refecti, veram & æternam vitam consequamini. Ab hoc autem conuiuio neminem excipio, omnes homines, cuiuscunque sortis & fortunæ sint, inuito. Dicant igitur omnes homines, dicant Angeli, quàm magnum diuinæ bonitatis & charitatis indicium hoc exstiterit. Si igitur Christus Dominus tãtopere nos diligit, si nos tot beneficiis cumulat, si tantam nobis bonitatem atque misericordiam hoc opere declarat: quî fieri potuit, vt à nobis nõ impensè ac vnicè diligatur? Quid ergo superest, nisi vt hanc tantam Dei nostri in nos bonitatem, & charitatẽ, quæ vel lapidea corda mouere posset, tota mente, totis viribus diligamus, & illi nos totos in sacrificium offerre, qui se nobis in cibum contulit, studeamus? Hoc est enim quod Sanctorum omnium mentes miro modo accendit, & liquefecit, & ex carnalibus spirituales atque diuinos effecit. D. Gregorius: *Si,* inquit, *lapidis durities igni cedit: cui admota, non duritiam suam modò, sed naturam quoque & nomen amittit, quando in puluerem vertitur: quid mirum, si lapidea corda hominum, pristina duritia cælestis huius ignis virtute deposita, in aliam quodammodo naturam trãseant, ex durisque lapidibus, Abrahæ filij, imò Dei filij efficiantur?* Hunc igitur amorem ante omnia à nobis hoc amoris Sacramentum exigit, vt amorem rependamus ei, qui tantopere amoris ignem nobis in hoc Sacramento ostendit. Deinde etiam postulat, vt quoniam tam multa nobis beneficia hoc cælesti cibo

Conuiuiũ Assueri, & Christi quale.

Peroratio. Christus quantopere diligendus.

Gregorius lib. 28. in Iob.

Simile.

Sacramentũ Eucharistiæ sæpius accipiendum.

conferuntur, ad ea frequentiùs capessenda, quanta poterimus deuotione & puritate præparemur. Callidus olim serpens feminam ad vetitæ arboris cibum inuitans, falsò illi diuinitatis similitudinem promisit: cuius verbis decepta mulier, & comedit & periit. At modò Veritas ipsa nos ad hunc cibum conuiuas vocat, pollicens fore, vt si eum edamus, non fallacem, sed veram Dei similitudinem consequamur. Detestemur fallacem serpentem, & eius asseclas; & diuinæ veritatis monitis, quibus nos ad vitalem animarum cibum amanter inuitat, obtemperemus, conscientiã nostram ab omni lethali crimine pœnitentiæ Sacramento expiantes, & deuotis precibus, sanctisque cogitationibus mentem nostram præparantes, ad hanc cælestem mensam, ad Angelorum panem, ad bonorum omnium fontem, non segnes, sed auidissimo studio properemus, vt per hunc salutarem cibum, & in præsenti seculo gratiam, & in futuro sempiternam vitam, Domino largiente, percipere mereamur. Amen.

Genes. 3. Eua decepta est.

***

CON

CONCIONVM TOMVS QVARTVS.

De tempore, quod eſt à Dominica prima poſt Pentecoſten, vſque ad Aduentum.

DOMINICA PRIMA POST PENTECOSTEN, CONCIO: IN QVA lectio Euangelica explanatur; inde de charitate & miſericordia diſſeritur.

THEMA. *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* Lucæ 6.

Iuſtitiæ partes tres

TRIPARTITAM eſſe, Auditores, abſolutæ iuſtitiæ rationem conſtat: cuius pars prima Deo, ſecunda nobis, tertia proximis, quod æquum & iuſtum eſt, reddit. Duabus prioribus relictis, de hac nouiſſima, quæ ad proximos pertinet, in hodierna ſancti Euangelij lectione cæleſtis Magiſter diſſerit. Hæc porrò tertia iuſtitiæ portio, duabus præcipuè partibus conſtat, quarum altera benignè facere monet, altera malefacere vetat. De vtraque igitur hoc in loco Saluator diſputat. De priore námque ait: *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* Miſericordiæ verò officia ſimul & præmia declarat, cùm mox ſubdit: *Dimittite & dimittemini, date, & dabitur vobis.* De poſteriore autem iuſtitiæ parte diſſerit, cùm ait: *Nolite iudicare; & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini*, & cætera. Cùm ergo Dominus de hac bipartita erga proximos iuſtitia in hac præſenti lectione ſaluberrima nobis documenta proponat: de eiſdem nos

quotidie

quoque in præsenti Concione, eius adspirante gratia, sermonem habebimus. Quod vt piè & religiosè præstare valeamus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

OMNIVM diuinorum beneficiorum optimum est, quòd omnium rerum Dominus, Filium suum vnigenitum, libertatis nostræ redemptorem & vindicem, ac Doctorem donauerit nobis. Hoc beneficium Apostolus ad Hebræos amplificat: *Multifariam*, inquit, *multisq; modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis loquutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula.* Moyses hoc beneficium nouit etiam amplificare, qui post Legem in monte Sinai ipsius Domini voce latam ad populum ait: *Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te, ex die quo creauit Dominus Deus hominem super terram, à summo cælo vsque ad summum eius, si facta est aliquando huiuscemodi res, aut vnquam cognitum est, vt audiret populus vocem Domini Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti.* Huius autem beneficij gratia exultare, & gratias agere nos Propheta iubet, cùm ait: *Et filij Sion exultate in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorem iustitiæ, & descendere faciet super vos imbrem matutinum & serotinum:* vt videlicet verbi Dei semen eius opera in terrã cordium vestrorum iactum, & cælestis gratiæ imbribus irrigatum fructus germinet æterñ ę vitæ. Munus autem hoc Saluator cumulatissimè præstitit, sicut ipse in Psalmo ait: *Annunciaui iustitiam tuam in Ecclesia magna: ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti.* Quid enim aliud sacra Euangelia nisi iustitiam Dei annunciant? Iustitiæ autem nomine virtutem omnẽ, & sanctitatem Hebræo more significauit. Quia enim ad iustitiam præcipuè pertinet, vnicuiq; reddere quod suum est, virtus autem hoc ipsum cumulatissimè præstat: ideò non mirum, si iustitiæ nomine virtutem omnem complexus est. In hodierna sancti Euangelij lectione, de ea iustitiæ parte Saluator disserit, quæ ad communem hominum societatẽ, hoc est, ad proximi dilectionem pertinet: in cuius explicatione à misericordia exordiũ sumpsit. *Estote* ait, *misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Quid sit misericordia, exponendum. Misericordia aliquando virtutem, aliquando affectum, quandoque verò vtrumque simul comprehendit. Primo loco, misericordiam in Deo, & beatis mentibus ponimus: quæ

Hebr. 1.

Deut. 4.

Beneficiũ optimum quale.

Ioël. 2.

Psal. 39.

Iustitia quid sit.

Misericordia quid.

quæ ſine vllo doloris ſenſu miſeris opitulantur. Miſericordia verò ſecundo loco, affectus quidã & ſenſus doloris eſt, ex aliena miſeria in animo noſtro contractus. De quo affectu verba illa S. Iob intelligenda eſſe videntur: *Ab infantia mea creuit mecum miſeratio.* Huiuſmodi affectus in ſenibus, in feminis, & infirmis hominibus maximè dominatur. His perſonis ſanctos viros addo: in quibus cùm diuina gratia non euertat, ſed perficiat naturam, hic naturalis miſericordiæ affectus longè perfectiùs deprehenditur. Vnde eſt illud: *Nouit iuſtus animas iumentorum ſuorum, viſcera autem impiorum crudelia.* Impij námque ſceleratæ vitæ merito nõ ſolùm gratuita Dei dona, ſed etiã ipſius naturæ munera atque beneficia penè perdiderunt. Inuenitur hîc etiam blandus animi motus cum virtute coniunctus. Quæ res adeò laudanda eſt, vt D. Gregorius dicat, *plus eſſe aliquando compati ex corde, quàm donare: quia quiſquis indigenti perfectè compatitur, minus æſtimat omne quod donat. Tanto quiſque perfectior eſt, quanto perfectiùs dolores ſentit alienos.* Nouum teſtamentum totum penè charitatis & miſericordiæ commendationem & laudes continet. *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter cæleſtis,* &c. His verbis Dei filios, Deoq; ipſi ſimiles facit eos, qui miſericordiæ operibus vacant. Quocirca, cùm ſimilitudo amoris conciliatrix ſit, fieri non poteſt, quin eximiè à Deo diligãtur, qui ei ſimiles ſũt. Dei perpetuum munus eſt, res humanas curare, & hominibus neceſſaria ad vitæ vſum prouidere. Hoc enim illa Saluatoris verba declarant: *Pater meus vſque modò operatur, & ego operor.* At vir benignus & miſericors, dum alienis neceſſitatibus, qua poteſt ratione, conſulit; Deo planè ad hominũ incolumitatem & ſalutem, pro facultate ſua cooperatur. Deus enim ad omnes; hic ad eos quos poteſt, miſericordiæ ſuæ ſinum aperit. *Miſericordia hominis ad proximum ſuum; miſericordia autem Dei ad omnem carnem.* Hic enim Pater ſuper ingratos & malos benignus eſſe dicitur. *Solem* quippe *ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Omnibus enim ex æquo Sol radiat, dies illuminãt, fontes irrigant. Similem ergo vos miſericordiam & beneficentiam citra perſonarum acceptionem ſectamini: nil in homine niſi humanitatem, niſi diuinitatis imaginem, niſi præceptum Domini, atque adeò ipſum Dominum ſpectantes: quandoquidem ipſe dixit: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Hic eſt munificus ſine vllo emolumento. *Cùm facis prandium, magis vult vocari pauperes quàm diuites.* His verbis Dominus non humanæ retributionis

Iob. 31.

Prouer. 12.

Gregorius li. 20. Mor.

Idem.

Compaſsio laudatur.

Ioan. 5.

Vir benignus Deũ imitatur.

Eccleſ. 28.

Matth. 5.

Matt. 25.

Luc. 14.

tionis ſpem, non terrenum aliquod emolumentum & lucrum reſpicere nos vult. Quo enim mens ab omni vtilitatis intuitu purior fuerit, eo maioris apud Deum meriti erit. Hac enim de cauſa tanta cura Dominus eleemoſynam clàm fieri voluit, ne quid eſſet præter ipſum, quod nos ad eam alliceret: atque ita quod foris rectè gereretur, intus à mercede boni operis non euacuaretur. In Eccleſiaſtico legimus: *Datus inſipientis non erit vtilis tibi; oculi enim eius ſeptemplices ſunt.* Quibus verbis innuit, auaros, atque ſui amãtes homines multa metere velle, vbi aliquid fortè ſeminarunt, quæ res à Chriſtiana beneficentia plurimùm diſtare debet. Dominus Deus oues ſuas, quæ per dilectionem, quam habere debent mutuò, cognoſcũtur, nullo tempore ſigno aliquo carere voluit. Ante Legem enim, & ſub Lege, Circunciſionem inſtituit, qua à cæteris gentibus fideles diſtinguerentur. At in Lege noua, inter alia ſigna, quibus fideles ab infidelibus, & pij ab improbis diſcernuntur, dilectionis mandatum adiecit, cùm dixit: *In hoc cognoſcent omnes, quòd mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Ea enim Chriſtianæ charitatis ſpecies eſſe debet, ea largitas, ea lenitas, vt facilè Chriſtiani homines hoc ſingulari benignitatis officio inter omnes alios dignoſcantur. Magi illi Pharaonis in tertio ſigno à Moyſe edito defecerunt, digitũ ac virtutem Dei in eo eſſe intelligentes, quoniã ad id tota dæmonum & naturæ vis pertingere non poterat: ita planè talis inter Chriſtianos charitatis ſpecies eſſe debet, talia opera, talis concordia (nemine quæ ſua ſunt, ſed quæ aliorũ curante, & aliorum incommoda, vt ſua lamentante) vt vel hoc argumento conuicti homines, facilè intelligerẽt, eam gentem non terrenam eſſe, ſed cæleſtem; non humano, ſed diuino ſpiritu agi: quando nihil tale in cæteris hominibus eiuſdẽ naturæ conſortibus reperiretur. Quod ſi ita eſt, Auditores, quàm longè quæſo, ab huiumodi charitatis ſpecie diſtat mundus, quãtumque ab hac diuina Lege aberrauit? Quis enim hãc cordis vnitatem ita retinet, vt illud Apoſtoli implere ſatagat? *Vnanimes, vno ore glorificetis Deum, & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti?* Quis ita proximum diligit ac ſeipſum? ita alienis malis condolet ac ſuis? ita quæ aliorum ſunt vt ſua curat? Tam longè ab hac charitatis vnanimitate diſtamus, vt tantiſper dum res noſtræ in tuto ſint, nihil ad nos, an totus mundus intereat, pertinere putemus. *Quia*, inquit Saluator, *abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorũ.* Exſtincta charitate, quid non tandem malorum conſequutũ eſt? Hinc diſſidia, odia, ſectæ, furta, proditiones, bella, quid

Eleemoſyna clàm facienda.

Eccle. 20.

Geneſ. 17.
Leuit. 12.
Pij & improbi quomodo noſcantur.

Exod. 17.

Philip. 2.

Charitas modò exſulat.
Rom. 15.

Matt. 24.

quid non tandem malorum in mundum inuectum est? Hinc Leges contemptæ, oppressi pauperes, pupilli direpti, neglectæ viduæ, corrupti iudices, boni viri despecti, & qui recessit à malo prædæ patuit. Vt enim charitas virtutum omnium, ita charitatis exstinctio malorum omnium caput & seminarium est. Denique, sicut charitatis vnio Christianæ fidei, atq; religionis velut approbatio quædam & confirmatio fuit: ita modò inhumanitas, & crudelitas nostra effecit, vt sanctissima religio nostra inter infideles & barbaras nationes malè audiat, & Christi nomen propter nos inter Gentes blasphemetur. Ita effectum est, vt qui Christianum audiat, carnificem quendam ferum & immanē, ac generis humani pestem intelligat. Quo quid indignius esse potest? Nos legem charitatis, in crudelitatis & inhumanitatis legem vertimus. Ad Euangelicam lectionem redeamus. Misericordiæ præmij magnitudinem paucis attingit, cùm ait: *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Quid hoc est? *Mensuram*, inquit, *bonam*, hoc est, iustam; *& confertã*, id est, pressam; *& coagitatam*, hoc est, benè concussam. hac enim diligentia fit, vt vas, quo metimur, capacius fiat. Addit quartam conditionem, cùm dicit, *supereffluentem*: qua conditione posita, nihil ampliùs emptor desiderare potest. Hac autem materialis mensuræ similitudine, cælestis mercedis magnitudinem misericordiæ officiis propositam significare voluit. Vt enim emptor supra hanc mensuram nihil habet quod vlteriùs desiderare possit: ita misericordiæ præmiũ tale erit, vt vir misericors nihil ampliùs desiderare queat, quàm quod sibi à misericordiæ parente præstãdum erit. Inter magnifica autem virtutis huius præmia, nõ postremũ locum obtinet, quòd per eam sibi in alia vita homo thesaurizat, & in tuto loco reponit, quidquid aliis tribuit. *Misericordia viri, quasi sacculus cum ipso: gratiam hominis quasi pupillam conseruabit: & posteà resurget, & retribuet illis retributionem.* Quocirca prudenter admodùm nos Salomon ad huius virtutis officium hortatur, his verbis: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas: & post longa tempora inuenies eum.* Quod igitur tecum auferre non poteras, si pauperi porrexisti, tecum sustulisti. Bonis nostris frugaliter vtamur, partem pauperibus erogemus: hac enim ratione opes nostras in cælestes thesauros manus pauperum deportabunt. Ne causeris peccata tua, quæ commisisti, audi consilium Tobiæ: *Eleemosyna, inquit, ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Respondet item

Mala vnde habeant originem.

Charitas virtutum caput est.

Christianus odiosus.

Misericors mala morte nõ obit.

Eccles. 17.

Eccles. 11.

Tob. 4.

Eccles. 3. Item Ecclesiasticus: *Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna resistit peccatis.* Magna enim est eleemosynæ virtus: quæ ardentium criminum globos beneuolentiæ suæ fonte refrigerat, & quodam irriguo largitatis obruit incendia vitiorum: vt quamuis offensus Deus, & criminibus prouocatus, cogatur liberare eleemosynis, quę disposuerat punire peccatis. Oportet vt rectè miserearis, hoc est, modum in miserendo adhibeas. Propone tibi ante oculos Zacchæum publicanũ, misericordiæ laude præstantem, vt eius exemplo misereri condiscas: *Ecce,* ait ille, *Domine, dimidium bonorum meorum do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Quot verba, tot sententiæ. *Dimidium,* ait, auaritiam nostram accusat, qui aut nihil, aut exiguum pauperibus damus. *Bonorum,* superbiam nostram, & delicias nostras damnat, qui abiectissima pauperibus damus, lautiora nobis reseruamus. *Meorum,* illos arguit de quibus ait Dominus: *Ego Dominus diligens iudicium, odio habens rapinam in holocaustum.* Iam quòd verbo vtitur præsentis temporis, cùm ait, *Do*: illos redarguit, qui nihil ipsi pium in vita molientes, omnia posteris testamẽto facienda relinquunt. Saul rex in tot mala præcipitatus, prætermissis iustitiæ & obedientiæ præceptis, greges, quos ex diuino mandato interficere debuit, ad sacrificium Domini reseruauit, qui redargutus à Samuele est. Sequitur in textu: *Nolite iudicare, & nõ iudicabimini, nolite cõdemnare, & nõ condẽnabimini.* Duo hîc vitia prohibet, ad quæ homines procliues admodùm sunt: quę partim animo, partim lingua fiunt. Primùm enim prohibet, aliorum facta iudicare, hoc est, ea, quæ rectè fieri possunt, sinistra interpretatione damnare. *Illa* enim, ait Augustinus, *quæ ignoramus, vtrùm bono an malo animo fiant, iudicare penitus non debemus.* Vidisti hominem indicto publicè ieiunio ante horam prandere, noli eum damnare: cùm hoc & rectè ex iusta causa, & non rectè ex sola cupiditate fieri possit. In huiusmodi rebus, quæ vtrùm bono, an malo animo fiant, scire non possumus, cãdido animo esse iubemur, nihil malignè, nihil in sinistram partem interpretantes. Diuina lex (quod humanæ leges non faciunt) vsque adeò malefaciendi affectum cõprimit, vt Ioannes dicat: *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Nec hoc solo contentus, aliud adiecit nouum, & ante hunc diem in Philosophorum doctrina inauditum, nempe iudicium intellectus, cùm ait: *Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condẽnare, & non condemnabimini.* Dominus noster proximum nostrũ nobis rem adeò sacram esse voluit, vt iudicium temerarium inter capitalia crimina

Ambrosius.

Luc. 19.

Zacchæus imitãdus.

Esa. 61.

1. Reg. 15.

Augustinus.

Iudicare temerè non debemus.

1. Ioan. 5.

mina computauerit. Veræ atque germanæ charitatis est, aliena delicta aut planè non videre, aut extenuare, aut candidè interpretari, aut etiam ad illa blandè leniterque conniuere: præsertim quia Diuus Gregorius ait: *Vera iustitia cōpassionem habet, falsa autem indignationem.* Cæterùm quod ad se ipsum attinet, longè aliter quàm erga proximum se homo gerere debet. Aduersus vitia sua indignari, & incandescere, erga se rigidus atque seuerus vitæ atque operum suorum explorator esse debet: in eòque studio magnam vitæ partem insumere, atque illud implere, quod est à quodam dictum: *Vt te ipsum semper inspicias, ab omnibus aliis oculos auerte.* Sed ô deplorandam humani ingenij peruersitatē! Hoc enim salubri studio neglecto, tempus omne in aliena vita curiosiùs indaganda expendimus: relinquimus quod salutare est, & id appetimus, quod vehementer est noxium: ęgrotis similes, qui salutares cibos fastidientes, nocituros sitienter appetunt. Seipsum enim cognoscere, totius sapientiæ caput & fundamentum esse veteres dixerunt, adeò vt hanc vocem, *Nosce teipsum*, è cælo allatam esse crederent. Quid quòd humilitas, virtutum omnium fundamentum & custos, ab hoc eodem fonte dimanat? *Est enim humilitas*, vt Diuus Bernardus ait, *virtus, qua homo verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit.* His igitur de causis nos cælestis Magister ab aliorum moribus & vita curiosiùs indagāda auocat, vt tanto magis nostri ipsorum cognitioni vacemus, quanto minùs alienæ vitæ perscrutandæ operam demus: præsertim cùm humanæ vitæ iudicium ad supremum illum Iudicem reseruatū sit, qui solus spirituum ponderator est, solus scrutatur renes & corda, solus est cogitationum atque intentionū cordis discretor. Quocirca ab hoc iudicio nos etiam Apostolus reuocat, cùm ait: *Itaque, fratres, nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Qua ex re liquet, eos qui sese alienæ vitæ, alienæque intentionis iudices præbēt, Dei munus atque officium indignè sibi vsurpare, & in alienā messem falcem mittere. *Quis es tu*, inquit Paulus, *qui iudicas seruum alienum? Domino suo stat, aut cadit.* Verùm nos salutaria repudiamus, noxia concupiscimus, oculis nostris persimiles, qui cùm omnia videant, seipsos minimè vident. Hinc Pythagoras dicere solitus erat, mortales cunctos duas secum peras circumferre, in quarū posteriori propria vitia, in anteriori verò aliena gestarent. Veteres olim Amorem Deum faciebant, & puerum & oculis captum depingere solebāt, duplici videlicet nomine,

Gregorius.

Homo seipsum iudicare debet.

Simile.

Humilitas quid sit. Bernardus.

Iudicium cui cōmittendum. *1. Cor. 4.*

Rom. 14. *Simile.*

ætatis & cæcitatis,illius stultitiam atque amentiam designantes. Huiusmodi omnes in seipsos cæcos, Dominus hypocritas, & cæcos,& cæcorum duces appellat, dum ad vitia sua conniuentes, seuerissimi alienæ intemperantiæ iudices fiunt ;dum festucam in aliorum oculis cernunt,trabem in suis negligunt. Dicis fortè: *Annon meritò indignari contra impudicos ac improbos debeam?* Vide tu ne aliis sis vitiis obnoxius grauioribus. Si, inquit Apostolus, *inuicem mordetis & comeditis,videte ne ab inuicem consummamini.* Irascitur hic citò, à te condemnatur: tu forsitan tardiùs irasceris, sed tamen tardiùs, aut nunquam placaris ; quod est longè grauius. Hac de causa omnes isti perniciosè errant, quando se ab illis vitiis, quæ arguunt,alienos vident, cùm tamen maioribus ipsi vrgeantur. A quo illos errore vindicare Dominus nititur, cùm eos admonet, vt priùs trabem oculis suis inhærentem eximant, & tunc demùm festucam alienis oculis infixam remoueant. Eosdem etiam magistrorũ dignitatem & officium sibi indignè arrogare ait,cùm magister discipulis superior & sanctior esse debeat: quod ab his tamen alienum erat,qui eisdem vitiis,quibus discipuli,aut etiam grauioribus obnoxij erant. Quos Dominus oratione, qua aduersùs Pharisæos,adulteram feminam accusantes, vsus est,castigat & arguit: *Qui sine peccato est vestrûm*, inquit, *primus in eam lapidem mittat.* His igitur sentẽtiis, Auditores,occultũ superbiæ vulnus(quod in multorum pectore latet)curare Dominus intendit; qui alienæ intemperantiæ delatione, vel obiurgatione,sanctitatis opinionem venari volunt:quos ideò hoc in loco hypocritas meritò appellat, qui cùm in animo aliud sint,aliud fronte mentiuntur. Dēmus igitur operã, Auditores, vt ab his vitiis abhorrentes,præceptis Euangelicis auscultemus,neminem temerè iudicemus nec condẽnemus,neq; aliorum vitia obseruemus,quin potiùs nosipsos,& mala nostra prudenter inquiramus, lugeamus, & solicitè emendare curemus: neque hac iustitiæ parte contenti, misericordiæ & benignitatis officiis incũbamus. Audiamus magnũ illũ Doctorem Ioannem:*Si quis viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo,quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei,non diligamus lingua,sed opere & veritate.* Hoc plerisque Sanctorũ propositũ fuit, vt nunquam ab indigentibus sacratissimum Christi nomen(quod illis charissimum & suauissimum erat)frustra eleemosyna petenda proponeretur. Sic fuerunt nonnulli,qui,vbi facultas defuit,seipsos passi sunt vendi, vt pauperum inopiæ subuenirent. Talibus igitur propositis

Galat.5.

Magister discipulis sit dignior.

Ioan.8.

1.Ioan.3.

prx

præmiis, Auditores, demus operam, vt misericordiæ operibus toto pectore incumbamus: quibus non modò eiusdem misericordiæ fructus (quos hactenus commemorauimus) percipere, sed etiã misericordem iudicem in extremo illo mortis agone, qui omnibus imminet, inuenire valeamus. Quod præstare dignetur omnium bonorum operum retributor Deus. Amen.

DOMINICA SECVNDA POST PENTECOSTEN, CONCIO: IN QVA post Euangelicæ lectionis explanationem, de nouissima cœna, hoc est, cælesti gloria disseritur.

THEMA. *Homo quidam fecit cœnã magnam.* Lucę 14.

CVM Christus in hunc mundum venerit, nõ modò vt redemptionis gratiam, sed etiã vt cęlestis verbi doctrinã hominibus impartiret: vbi primùm hoc munus obire cœpit, vix vnquam ab eo conquieuit. Vnde quocunq; tẽpore, quocunque loco, quacũque occasione oblata, docẽdi officiũ nunquã intermisit. Itaque à Pharisæo quodã inuitatus, cùm quidã, conuiuij huius occasione accepta, dixisset, *Beatus qui mãducabit panẽ in regno Dei*; ipse elegantissimã hãc parabolã proposuit: in qua cælestis regni gloriã, & diuinæ bonitatis largitatẽ, & cœnæ magnificẽtiam describit, & qui ab hâc cœna excludẽdi, quique admittendi sint, parabolicè declarat. Huius autem parabolæ scopus huc tendit, vt sciamus, ob vtilitatis alicuius spẽ omnia ferè institui. Vtilitatis enim spe illecti homines, ad officia sua excitantur. Quã rẽ intelligens sapiẽtissimus ille rerũ æstimator, & humanæ salutis amator Dominus, cùm ad pietatis & iustitiæ cultum traducere homines vellet, miras eis vtilitates, & magnifica pręmia proposuit. Sciebat enim spẽ esse, quæ sic animũ ad res gerẽdas exacuit, vt maximorũ laborum obliuisci faciat, omnẽque sensum à cogitatione doloris auertat. Agricolæ enim frugum exspectatione labores immensos facilè perferũt: sic milites, sic venatores laborant. Nemo denique sperat aliquid, quem non spes illa ad omnes labores libẽter excipiẽdos exsuscitet. Quòd si spes incerta rerum caducarũ tantam habet vim, vt omnẽ laborem leuem, & tolerabilem efficiat: quid nõ molietur animo

Vtilitas quemque trahit.

Spes quorsum nos vocet.

is, qui spiritualia atque diuina bona, & in præsenti, & in futura vita piis proposita esse, firmissima fide tenet? Hæc igitur nobis in sacra huius diei lectione, Dominus sub eleganti cœnæ parabola proponit; vt ad ea percipienda promptiores, alacrioresque reddamur. Vt autem hoc argumenti genus piè, religioséque tractare possimus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

HANC parabolam à Domino non ad turbas, vt ferè aliàs, sed in conuiuio ad Pharisæos fuisse prolatam, paulò ante hæc verba S. Lucas exposuit. Cùm enim ex conuiuiis quidam dixisset, *Beatus qui manducabit panem in regno Dei:* huius panis & regni occasione Dominus hanc elegantem parabolam proposuit: *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Homo hic Christus Dominus est: de quo scriptum legimus? *Homo est, & quis cognoscet eum?* Hic igitur apparauit cœnam magnam. Quo nomine cæleste conuiuium designauit. Post prandium quippe cœna, post cœnam verò conuiuiũ nullum superest; quod in cælestem gloriam præcipuè cadit, post quam conuiuium nullum speratur. Dicitur autem cœna magna: primùm, quia magnus Dominus, qui illam apparauit, cuius opera omnia eius amplitudinem & magnificentiam referunt. Magna item, quia multa & varia, & pretiosa fercula in ea electis proponũtur. Magna item, quia multi ad eam inuitantur: quandoquidem conuiuarum, hoc est, electorum numerus, qui ad hanc cœnam vocandi sunt, recenseri non potest. Ab ipso enim mundi exordio Dominus cõuiuas ad hanc cœnam vocare nõ cessat. Postremò magna, quia sempiternis seculorum ætatibus duratura. Ad hanc igitur cœnam Dominus seruum mittit: qui multos ad eam vocaret. At quàm multis modis vocat! Vocat per Apostolos, per Prophetas, per Angelos, per Pastores, ac postremò per me nũc, licèt indignum verbi Dei ministrum. Quid enim aliud nunc ago, quàm vos ad cœnam hanc ex Domini mandato vocare? Seruus enim sum summi patrisfamilias, nemo me debet in hoc loco despicere. Regis enim nuncios videmus, quamlibet humiles & abiecti sint, magna cum reuerentia à populis recipi & audiri. Non enim nunciãtis personam, sed mittentis auctoritatem in eo intuentur, quam nobis ita contulit, vt ipse dicat: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Itaque, Auditores, in nobis non nos, sed ipsum Dominum loquentem attendere debe

Luc. 14. *Hiere. 17.* *Cœna magna.* *Legati Dei qui sint.* *Simile.* *Luc. 10.*

debetis: præsertim cùm verba, quæ vobis proponimus, non nostra, sed illius sint, à sacris Euangelistis in vtilitatis vestræ gratiam consignata. Vt autem inuitati libentiùs atque alacriùs ad cœnam venirent, nuncius omnia iam parata esse exposuit. In veteri quidem Testamento nequaquam erat omnia parata. Vmbram enim habebat Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem (hoc est, veritatē) rerum: ideóque Lex nihil ad perfectum adducebat. *Quoniam impossibile erat sanguine hircorum, aut taurorum aboleri peccata.* At sub Euangelij gratia omnia parata sunt. In ea námque panis Euangelicæ doctrinæ, & varia Sacramentorum fercula, & sacræ Eucharistiæ mensa, & vitulus ille saginatus, hoc est, maxima Christi beneficia, maximaque item virtutum omnium exempla, ante oculos ponūtur, quæ facilè nobis aditum ad cælestia regna præbent. Seruo igitur ex Domini præcepto inuitatos ad hanc cœnam primo loco vocante, cœperunt omnes excusare, & causas prætexere, cur ad cœnam venire non possent. Hora autem cœnæ est, post Christi mortem, quando mortis Christi merito cælum reserātum est, & omnia redēptionis nostræ mysteria propalata. Itáque dicere iam seruus potest: *Venite, quia parata sunt omnia.* Omnia, inquā, quæ ad redemptionis & salutis nostræ causam necessaria sunt. Mittit ergo Dominus seruum, vt ad hanc cœnam inuitatos vocet. Scitis seruum hunc ordinem prædicantium esse. An hic igitur solus seruus vocat? Vocant etiam mala & incommoda omnia, diuina dispensatione immissa, quæ nos ab huius seculi amore auocant, & ad Deum ire compellūt. Vocant bella, fames, pestilentiæ: vocant innumeræ propè hæreses, quæ hoc infelicissimo seculo inundauerunt, irámque Domini indignantis denūciant, qui tantum in nos communi hosti potestatis contulit. Vocāt cuiúsque nostrûm orbitates, charorum funera, inopia, variáque morborum genera, quæ luctuosam atque miserandam vitam nobis efficiunt. Vocant item diuersa ratione diuina dona & beneficia, quæ nos ad se amandum alliciunt; vt à mundo persequente resiliamus, & ad Deum alliciētem confugiamus. His igitur modis, aliísque compluribus, quamdiu in hac vita manemus, pius & misericors Dominus, quos condidit homines, ad cœnam suam inuitare non cessat. Quid igitur inuitati? *Cœperunt*, ait Euangelista, *omnes simul excusare. Mira res*, inquit Gregorius: *offert Deus, quod rogari debuerat: non rogatus dare vult, quod vix sperari poterat. Contemptoribus verò paratas delicias refectionis æternæ denunciat, & tamen omnes excusant. Ponamus ante oculos mentis minima,*

Lex imperfecta. *Hebr. 10.* *Hebr. 7.*

Vitulus saginatus ubi.

Hora cœnæ quæ.

Vocant nos multa.

Gregorius in Homil. 30.

vt possimus dignè pensare maiora. Si quispiam potens ad inuitandum quemlibet pauperem mitteret, quid, fratres, rogo, quid pauper ille faceret, nisi de eadem sua inuitatione gauderet, responsum humile redderet, vestem mutaret, ire quantocyùs festinaret, ne prior se ad potentis conuiuium alter occurreret? Homo igitur diues inuitat, & pauper occurrere festinat. Ad Dei inuitamur conuiuium, & excusamus. Verba Gregorij. Videamus quibus rationibus inuitati se excusent. *Vnus dixit: Villam emi, & eo videre eam; rogo te habe me excusatū. Alius dixit: Iuga boū emi quinque, & eo probare ea; rogo te habe me excusatum. Alius dixit: Vxorē duxi, & ideò nō possum venire.* His porrò excusationibus varia impedimenta, & vitia, quibus homines addicti, diuina promissa negligunt, intelliguntur. In eo enim qui villam emit, auaritia, & studium pecuniæ designatur, quæ magnum homini ad salutem præstat impedimētum. Scriptum est enim: *Nihil iniquius, quàm amare pecuniam:* hic enim & animam suam venalē habet: quia videlicet pro paruo lucro, animæ suæ salutē negligit, eámque æternæ mortis supplicio addicit: quo quid indignius esse potest? Quàm multa autem mala ex hoc vno vitio oriantur, quæ homines à cælesti regno excludunt, Apostolus enumerat, cùm ait: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim malorum est cupiditas.* Quis igitur tantus amor, quæ tanta pecuniæ sitis, quæ non his Apostoli vocibus, imò non vocibus, sed fulminibus restinguatur? Hæc igitur pestis nō vno modo ab hac cœna homines retardat, sed tot modis, quot sunt scelera, ad quæ mentes hominum inclinat. Alius verò se quinque iuga boum emisse ait, ideóque supplici prece se à conuiuio excusat. Per hæc autem quinque boum iuga, Diuus Gregorius quinque corporis sensus accipit. Hîc autem potissimùm illa curiositas, aliorum discutiēdi facta reprehenditur. Curiosi, quæ libenter audiunt, libenter effutiunt, & quæ ab aliis studiosè colligunt, apud alios cum voluptate efferunt. Ad huius morbi depulsionem iuuabit, si consuescamus temperare nobis. Sicut enim venatores non sinunt canem aberrare, & quemlibet odorem prosequi, sed loris retrahūt, reuocantque, olfactum eius seruantes purum & integrum, officio peculiari, vt acriùs inhæreat vestigiis: sic oportet & curiositatē ad quiduis spectandum, audiendúmve excurrentem atque oberrantem, cohibere atque retrahere, quo seruetur ad vtilia. Etenim sicut leones & aquilæ, dum ambulant, vngues vertūt retror

Deus nos inuitat. Gregorius.

Excusationes friuolæ.

Ecclef. 12.

1.Tim.6.

Boum iuga quæ.

Simile.

Simile.

trorsum, ne aciem illorum, & cuspidem deterant: sic existimantes curiositatem ad multarum rerum cognitionẽ aciem quandam & acumen habere, ne consumamus illud, nec hebetemus in rebus deterrimis. Semper illud ob oculos versato: *Vt teipsum inspicias semper, ab omnibus aliis oculos auerte.* Isti inuitati conati sunt se excusare: qua quidem in re quorundam fidelium conditio designatur, qui illius quidem cælestis cõuiuij desiderio tenentur, pondere tamen, hoc est, amore rerum temporalium ad infima deprimuntur. Per eum autem, qui vxorem duxit, eorum intemperãtia notatur, qui sese vagæ libidini, & carnis lasciuiæ dediderunt. Non enim nouum est re iusta, iniustam aliquãdo, propter operum similitudinem, designari. Apud Oseam legimus: *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Vix potuit diuinus Vates paucioribus verbis mali huius vim explicare. Ebriosus persimilis furioso, ita impudicus amator hominem in pecudẽ trãsfert. Hac igitur de causa iste, qui vxorem duxit, nequaquam rogat se excusari, sed libere & inuerecũdè dicit, se non posse venire. Quo verbo maximũ illud vulnus humanæ naturæ, ex originali peccato inflictum, apertè designatur. Nulla enim in re concupiscentiam magis, quàm in hac cupiditate sæuire, Theologi fatentur. *Omnes adulterantes* (apud Prophetam est) *quasi clibanus corda eorum.* Quam rem mores hominum non obscurè indicant. Quòd si quis ab hoc igne liberari, & huic pestilenti morbo occurrere velit, sciat hoc genus dæmoniorum non eiici, nisi in oratione & ieiunio. Ieiunium quippe corpus inedia extenuat, ne escarũ abundantia luxuriet atque lasciuiat. Oratio verò, continentiæ donũ à Deo impetrat, sine quo virtutẽ hãc retinere diu nemo poterit. Dominus ait, *Amen dico vobis, quia nemo virorum illorũ, qui vocati sunt, &c.* Ad hoc igitur respondendum, non res, sed rerum abusum esse in crimine. Crimen autem est, cùm hæc immoderato amore diliguntur, cùm illis perpetuò animus hæret, cùm totus homo his quæ ad vsum & voluptatem corporis pertinent, sic per amorem affixus est, vt neque animæ suæ, nec diuinarum promissionum vllam prorsus curã habeat. Hos Propheta animas in vanam accepisse ait, quia neque illarũ ductum sequuntur, nec illum eis cultum impendunt. Rectè ait Ioannes: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Hæ námque sunt voluptates, diuitiæ, mundique honores, quorum immoderatus amor, in rebus etiam licitis atque concessis, malorum omnium seminarium est. A quo nos malo idem reuocat Euangelista, cùm

Sensus custodiendi.

A regno Dei quid remoretur nos.

Osea 4.

Naturæ nostræ vitium quale.

Osea 7.

Matt. 17.

Sapien. 8.

Psal. 23.

1. Ioan. 2.

1.Ioan.2.
ait: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ sunt in mundo.* Quo quidem in loco prudenter Diuus Augustinus annotauit, quòd non dixerit, *Nolite habere*; sed, *Nolite diligere.* Non enim habere, sed nimirum diligere in crimine est. Vnde idem Augustinus hũc amorem viscum appellat: quo anima captiua in infimis tenetur; ne ad summa, in quibus vera salus est sita, assurgere valeat. Non possidere, sed immodicè concupiscere prohibemur. Ait Apostolus: *Hoc itaque dico, fratres: Tempus breue est, reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint*, &c. Quum enim homines totum studium suum in rebus terrenis collocant, cælestium prorsus obliuiscuntur: tum immodicus harum rerum ardor, frequenter diuinas Leges perrumpit, cùm eas cupiditatibus suis obsistere videt. Qua in re diuina maiestas contemnitur, vt vel honor, vel voluptas, vel pecunia acquiratur. Quam rem quidam his duobus carminibus expressit:

Augustinus.

Simile.

1.Corin.7.

Ambitiosus honos, & opes, & fœda voluptas,
Hæc tria pro trino numine mundus habet.

Colos.3.

Numen ac Deus illud (cùm Apostolus auaritiam idololatriam appellat) cuique est, in quo spem salutis, amorem, & felicitatem suam collocat. Qua re quid indignius? quid horribilius? quid exsecrabilius? Dominus non aperta scelera improborũm designauit, per quæ homines à cælestis mensæ cõuiuio excluduntur: sed ea quæ licitè possidentur, si immodicè diligantur: vt intelligamus, qualis illorũ sors sit futura, qui manifestis criminibus irretiti tenẽtur: quales ij sunt, qui eadem iniustè rapiunt, qui fœnerantur, qui prædantur, qui pauperes spoliant, qui viduas opprimunt, qui mille fraudibus opes suas augere contendunt. In quo crimine sunt & iudex iniustus, & improbus aduocatus, & testis fraudulẽtus, & litigator auarus. *Nihil iniquius, quàm amare pecuniam.* Cùm igitur isti, qui ad cœnam inuitati fuerãt, variis se rationibus excusarent: *Iratus Paterfamilias dixit seruo suo: Exi citò in plateas & vicos ciuitatis*, &c. In his verbis apertè Iudæis exclusis, qui priùs inuitati fuerant, Gentiũ vocatio designatur, quæ variis animorũ morbis obnoxiæ, omnium spiritualium bonorum inopes erant. Qua de causa ligna siluarum appellantur, quæ de vocatione sua lætari iubentur. Huiusmodi enim siluarum ligna infrugifera sunt, atque ad solum ignem & incendium destinata, quales Gentes erant. Hoc enim linteum illud quadrupedibus & reptilibus plenum, quod esurienti Petro in visione ostensum, & in cælum sublatum fuit, non obscurè designat. Hac etiam ratione Pharisæis Saluator

Scelera aperta.

Eccles. 10.

Gentes vocati ad Euangeliũ.

*Psal.*99.

Act, 10.

Saluator dixit: *Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei.* Qua sententia quid mirabilius? quid magis Ecclesiasticis etiam hominibus formidandum? Hos igitur Gentes vbi seruus vocauit, ad Dominum rediens, ait: *Domine factũ est vt imperasti, & adhuc locus est. Cui Dominus: Exi citò in vias,*&c. O immẽsa Dei bonitas! Parũ erat ad splendidũm hoc conuiuiũ vocasse pauperes, debiles, cæcos, & claudos, hoc est, Gentium populum, vitiis omnibus coopertum: vlteriùs etiam progredi vult ad vias & sepes, hoc est, ad extremos mundi fines; dũ Apostolis præcepit, vt prædicarent Euangeliũ omni creaturæ. Quin & tanta eius charitas exstitit, tantúmque de hominibus bene merẽdi desiderium, vt eos qui ad cœnam spontè venire nollent, compelleret. Quomodo autem compulsi fuerũt? Certè magnitudine miraculorum, puritate & assiduitate doctrinæ, ad quam Paulus Timotheũ adhortabatur, cùm diceret: *Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue,*&c. Postremò etiam splendore morum, & vitæ integritate semetipsos nũcij commendabant ad omnem conscientiam hominum coram Deo, qui vocauit nos in regnũ suum, & gloriam. His igitur armis, Apostoli perfidiam mundi debellarũt: his vim quodammodo humanis mẽtibus intulerunt: his intellectum omnem in obsequium Christi captiuum reddiderunt: quibus omnes aduersarij contradicere minimè potuerũt. Deus omnes homines ad se trahit, qui omnes vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vide quid sit, *Compelle intrare.* Dominus quosdam non dulcedinis, sed amaritudinis calice, ad se venire cõpellit: quos videlicet inopia premi, morbis intabescere, orbitatibus affligi, variisque à fallaci mundo calamitatibus & incommodis vexari permittit. Subdit deinde Dominus quandam verè formidabilem sententiam: *Amen dico vobis, quia nemo virorũ illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meã.* Qua ex re liquet, quãtum periculi sit in neglectu diuinorum beneficiorum: cùm isti ideò repudiati sint, quia clementer à Domino variis modis vocati, aures suas obturauerunt: & frustra Dei gratiam recipientes, Domino obtemperare noluerunt. Hoc enim est crimen illud, de quo idem Dominus per Prophetam loquitur: *Quia locutus sum,* ait, *apud vos manè consurgens, & loquens, & non audistis, & vocaui vos, & non respondistis: faciam domui huic, in qua inuocatum est nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam, sicut feci Silo, & proiiciam vos à facie mea.* Videtis ergo, Auditores, quæ pœna eis, qui diuinis beneficiis, cælestique vocationi resistunt, proposita sit. In quo cri-

Matt. 21. | *Matt. 28.* *Marc. 16.* | *Compellimur ad cœnam.* | *2. Tim. 4.* | *1. Thess. 2.* | *1. Tim. 2.* | *Neglectus Euangelij.* | *Hiere. 7.*

mine an ij ſint, qui, cùm quotidianis concionibus interſint, nihilo meliores fiunt, vos ipſi diiudicare poteritis. Ex hac autem lectione, inſignes illas Domini virtutes & laudes toties in literis ſacris celebratas perſpicere licebit, videlicet miſericordiã & iuſtitiam. Miſericordia enim fuit, abiectos & viles homines ad cœnam ſuam non ſolùm vocare, ſed etiam compellere: iuſtitia verò fuit, ceſſantes ac deſides à ſempiterno illo cõuiuio repellere, & in tartara perpetuò cruciandos relegare. Quocirca rectè nos Eccleſiaſticus monet: *Ne dicas, miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur.* Miſericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores reſpicit ira illius.

Eccle. 27.

DE NOVISSIMA COENA, hoc eſt, de cæleſti gloria.

HOMO *quidam fecit cœnam magnam.* Cùm multa ſint quæ nos ad pietatem & iuſtitiã mouere poſſint, plurimùm inter ea cæleſtis præmij exſpectatio eminet. Hæc enim Sanctos omnes, ac præcipuè Chriſti Martyres, ad omnes iuſtitiæ labores, atque adeò ad omnes cruciatus alacriter perferendos impulit. Sicut mercenarius quod graue perpendit ex opere, leue exiſtimat ex remuneratione. Hinc eſt quòd Paulus ſemper ſeipſo robuſtior, cõtra aduerſa erigitur: quia nimirum finem ſui operis, ſicut mercenarius, præſtolabatur. Hac igitur de cauſa, non ratò Dominus mercedis huius magnitudinem in Euangelica hiſtoria nobis ob oculos ponit; vt eius deſiderio accẽſi, omnem à moribus noſtris torporem excutientes, ad hoc iter in cælum accingamur, nullúmque pro ea laborem recuſemus. Quare autem in mundo tantus ſit languor, tãta imbecillitas, tot animarum morbi, tot hominum lapſus, tãtúſque veræ pietatis neglectus: in cauſa certè eſt, quòd illo cæleſti pane Euchariſtiæ, qui cor hominis confirmat, minimè reficiuntur, aut illum indignè ſumunt. Certè ſi dignè ad illum nos præpararemus, ex animo cũ Propheta diceremus: *Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Itẽ illud: *Cor meũ, & caro mea exultauerũt in Deum viuum.* Huiuſmodi fidelem animam, quæ ita Dei indeſinenti deſiderio flagrat, ſolet frequenter ſpõſus Chriſtus inſolita quadam & cæleſti lætitia reficere, quo illam & in amore feruentiorẽ, & in bono opere diligentiorem efficiat. Quam lætitiam diuinus Pſaltes à Domino petebat, cùm diceret: *Lætetur,* inquit, *cor meum, vt timeat nomen tuum.* Sciebat enim mentẽ hominis, ſpirituali hac lætitia perfuſam

Mercenarius quid ſpectet. *Gregorius.* *Tædij cauſa quæ.* *Pſal. 41.* *Pſal. 83.* *Pſal. 89.*

fuſam, ad omnia religionis officia alacriorem ac promptiorem reddi. In Actis Apoſtolorum magnitudo lætitiæ exprimitur, dum ait: *Eccleſia ædificabatur, ambulans in timore Domini, & conſolatione Spiritus ſancti replebatur.* Hæc eſt igitur ſpiritualis illa lætitia, ad quã ſub refectionis nomine Saluator nos amanter inuitat, cùm ait: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* O immenſam diuinæ bonitatis dulcedinem! ô aurea verba, intimis animi ſenſibus infigenda! *Ego*, inquit, *reficiam vos. Ego*, inquit, *ipſe conſolabor vos.* Videmus magnam in his verbis emphaſim. Qualis illa conſolatio, qualis refectio, qualis cœna erit, quæ ab omnipotente Deo apparatur? Cùm Rex aliquis epulum Principibus ſuis apparat (quod olim Rex Aſſuerus fecit) ſplendidum quiddam, quódque regiam magnificentiam referat, accipimus. *Guſtate*, ait Dauid, *& videte quoniam ſuauis eſt Dominus.* Liquet ſanè carnales homines ad has epulas non adſpirare, quia videlicet nunquam eas deguſtarunt; cùm contrà tamen de piis hominibus diuina Sapientia dicat: *Qui edunt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Hîc enim ſaturitas famem, maiúſque edendi deſiderium accendit. *Qui*, inquit Chriſtus, *biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* Demus igitur operam, vt per exiguum laborem ad æternam requiem, per noſtri abnegationem peruenire mereamur. Amen.

Actor. 9.
Matth. 11.
Eſa. 52.
Pſal. 33.
Prouer. 8.
Ioan. 4.

DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN, CONCIO; IN QVA poſt Euangelicæ lectionis explanationẽ, qua ratione rationalis ouis pereat, perditáque rurſum per veram pœnitentiam inueniatur, diſſeritur.

THEMA. *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat.* Lucæ 15.

MAGNA nobis, dilectiſſimi, Dei bonitas & miſericordia, magna pœnitentiæ virtus, magnáque peccatoribus verè pœnitentibus ſpes veniæ atque conſolatio proponitur. Sic in Domino non fucata eloquentia, ſed planè diuina. Hac allecta Maria Magdalena, tota ab eius ore pendebat, adeò vt omnium rerum obliuiſceretur. Sic D. Petrus non minori

Chriſtus eloquentiſſimus.
Luc. 10.

Ioan. 6. *Ioan. 9.* nori affectu vnus pro omnibus respondit: *Quò ibimus, Domine?* verba vitæ æternæ habet. Sic hostes Domini dicebāt: *Nunquam sic homo locutus est, vt hic loquitur.* In hodierna quoque sancti Euãgelij lectione S. Lucas simile huius rei testimonium inducit, cū ait: *Erāt appropinquātes ad Iesum publicani & peccatores, vt audirent illū.* Illud genus hominū, quorū mens tota auiditate lucris quauis arte quæsitis inhiabat, illud item quod, nulla salutis animæ suæ ratione habita, iniustitiæ & libidini seruiebat, in doctrina Domini audiēda intentissimum erat, illique vsque ad familiaris conuictus, & mensæ communionem adhærebat. Qua in re mira Domini humanitas, charitas ac humilitas elucet, mirúmq; salutis humanæ desiderium: quãdo ille, qui choris supereminet Angelorū, peccatorū mensam non dedignatur. Quam eius benignitatem cùm laudare Scribæ & Pharisæi deberent, canino dente obtrectare cœperūt. Hi enim, qui religionis nominē insignes habebãtur, adeò securi non sunt, vt etiam sanctū illud opus in crimen vocãtes, hoc Domino Saluatori probrum obiicerent. *Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Scribæ de Scripturarum scientia, Pharisæi de vera religione gloriabantur, eóq; nominē populo insigniores erant. Hi ergo boni & pij viri, de scientia & pietate sibi placētes, illicitum iudicabant cum publicanis & peccatoribus versari, & cum illis mensam habere communem: quæ magnum est familiaritatis indicium. Vides hîc præposteram religionē, vides & meticulosam, & subdolã. Dominum enim coràm monere miseri non audebant, siue quòd conscij essent propriæ maleuolentiæ, siue quòd illius refellendis calumniis experti essent prudentiã, metuentes ne audirent ab illo quod nollent, Discipulos adeūt rudes adhuc: qui & maleuolentiam minùs persentiscerent; & rationem facti, quam quærebant, reddere non possent. Et hoc improbitati est familiare, vt quæ bona opera imitari propter improbitatem dedignatur, improbet & accuset. Videmus item, quãtum superbiæ virus homini noceat, & quàm magnū homini ad salutem impedimentum præstet. Tales erant ferè omnes Pharisæi, qualis ille apud Lucam, qui sese iactitabat de bonis suis operibus. Publicani & peccatores horum nihil dicere poterant, non tamen superbia illa Pharisaica tumebant. Et tamē videmus, plus illis hoc superbiæ vitium, quàm istis omnia sua vitia nocuisse. Isti adhærebant Domino, illi inuidebant, Dominum contemnebant. Quare Dominus dixit: *Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei.* Qua sententia quid

Christi humanitas.

Scribæ & Pharisæi quales.

Improbitatis quid proprium sit.

Luc. 18.

Matt. 21.

quid quæso dici formidabilius, & ad superbiæ detestationem horribilius potuit? Quid abiectius inter homines, vita meretricia? *Omnis mulier fornicaria, quasi stercus in via, ab omnibus conculcabitur prætereuntibus.* Et tamen hac meretricia turpitudine, Pharisæorum vita periculosior erat, quamuis à multis perditorum hominum sceleribus immunis esse videretur, quia vitio superbiæ inquinata erat. Cæterùm hanc Pharisæorum calumniam Dominus adeò à se non depulit, vt etiam propositis exemplis, opus suum commendauerit. Qua quidem re magnam peccatoribus cunctis sperandæ veniæ materiam præbuit, magnósque ad pœnitentiam huius misericordiæ suæ ostensione, stimulos nobis addidit. Quæ enim oratio, quod peccatorũ auribus præconiũ insonare dulcius potuit, quã hæc de diuina benignitate prædicatio: *Hic peccatores recipit, & mãducat cum illis?* Quid, quòd non solùm recipit veniẽtes, sed vocat etiam recusantes, cùm ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis;* onere videlicet peccatorum (quod taleto plumbi grauius est) *& ego reficiam vos?* Sit ergo benedictum nomen tuum Domine, & prædicetur inter Gentes hæc aduersum te iactata calũnia. *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis*, eos videlicet non modò in gratiã recipiens, sed spiritualibus etiam deliciis pascens. Dominus intelligens æmulorum suorum calumniam, non asperè, sed blandè, pro more suo, eorum obtrectationi respondet; quamuis non ignoraret, verum esse quod ab Ecclesiastico dictum est: *Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis eius:* Sed exẽpla videamus, quibus causam suam Dominus tuetur. *Quis ex vobis homo, qui habeat centum oues*, &c. Hoc officium summus ille pastorum princeps cumulatissimè præstitit, qui ex sublimi illa regia in huius seculi desertum veniẽs, errabundas oues diligentissimè quærebat, vt eas ad cælestis patriæ caulas reuocaret. Idẽ etiam inuentam ouem humeris suis clementer imposuit; vt ipsa tandem ad quietis & securitatis locum alieno labore perueniret. Hinc Esaias, *Sicut pastor*, inquit, *gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.* Quid hac prouidentia clementius? Angelorum Dominus & Rex ad seruitutem seruorum descendit. Quid enim aliud fecit, cùm pro nobis crucis supplicium pertulit? Mihi laborauit, mihi acerbissimos illos dolores pertulit, vt ego eius morte viuerem, eius sanguine redimerer, eius lacrymis peccata mea diluerem, eius denique laboribus æternam requiem inuenirem. Sumpsit ille laborẽ, verùm fructus amplissimos mihi

Eccles. 9. *Meretricia vita pessima.* *Matt. 11.* *Eccles. 7.* *Esa 40.* *Christus pro nobis laborauit.*

hi contulit. Hoc est igitur, illum fieri ministrum salutis meæ, hoc boni pastoris officio fungi, qui errantem super humeros ouem baiulat, cùm ipse sibi & itineris, & oneris ferēdi laborem assumat. Hoc autem fecit, cùm innocens Dominus peccata nostra in corpore suo super lignū portauit, vt nec peccatis mortui, iustitiæ viueremus. Hæc omnia in nostri gratiam fecit, sine vllo suo commodo. Vides hîc, quanta sit Domini benignitas, qui tanta diligentia ouem perditam quæsiuit, inuenta, tanto gaudio sit affectus. *Hic*, inquit Apostolus, *proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta.* Quid est autem sustinere crucem, nisi perditam ouem humeris suis portare, dū is peccata nostra in corpore suo tulit super lignū? Quo argumento intelligere licet, quanto cariùs salus nostra Christo Domino constiterit, quàm nobis. Ille enim morte & sanguine, nos pœnitētiæ lamentis, nobis eam comparamus. *Congratulamini mihi*, inquit; mihi, non oui, quæ à ferarum dentibus erepta fuit, cui magis congratulandum fuit. Hac ex re liquet apertè, magis nos ab illo diligi, quàm à nobis ipsis diligamur. Ipse nostris lucris & dānis magis cōmouetur, quàm nos ipsi. Neq; ille solùm gaudet, sed *gaudent etiā Angeli in cælo super vno peccatore pœnitentiā agente*, &c. Fidelis sanè sermo, & omni acceptione dignus. En pœnitentię fructus. Angeli in cōmuni lætum diem agunt, quòd nouus felici eorum consortio ciuis additus sit, & in cælis, chirographo diaboli disrupto, conscriptus. Quis hoc credere potuisset, nisi Veritas ipsa testata esset? Quin igitur festinatis, Auditores, hoc tantum gaudiū cælesti curiæ præbere quæ Deū laudat, & festum diem celebrat, cùm vos in terra pœnitētiæ lacrymas funditis? Et quali quæso gaudio? *Magis*, inquit, *quàm super nonaginta nouē iustis, qui non indigent pœnitētia.* Quid hoc est? Quonā modo vnius noui iusti gaudium, tot iustorū gaudio antefertur? Certè quia, cùm hoc gaudiū nouū sit, nouitate sua miro modo beatas illas mētes allicit & oblectat. Adde etiam, quòd quemadmodum dulcior post famem cibus, & post æstuantem sitim potus est; ita post amissæ ouis iacturam percepta de ea inuēta lætitia maior existit. Quā rem non obscurè Dominus designauit, qui frugi filio de perditi felicitate & conuiuio quærenti respondit: *Epulari & gaudere oportebat; quoniam hic frater tuus mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est.* Quæ causa etiam est, vt gaudium spiritus, quod verè pœnitentes de percepta salute, & noua rerum diuinarum luce & cogitatione percipiūt, sæpe vehementissimū sit: vt hęc etiam ratio vos fratres ad veram pœniten

1. Petr. 2. *Hebr. 12.* *Christus quantū nos diligat.* *Angeli gaudent de nobis.* *Luc. 15.* *Thomas.*

nitentiam, & melioris vitæ propositū inducat, quo simili gaudio, quod omne mundi gaudium superat, perfruamini. Videmus hîc duo, quorum nomine vehementer miramur: nempe vnius homuncionis pœnitentis tantum gaudium beatarum mentium: tunc pœnitentiæ virtutem & dignitatem, quæ vniuersam cælestis exercitus curiam noua lætitia exhilarat. Videmus & hominum socordiam & cæcitatem, qui nec hac tanta virtutis huius dignitate & commendatione ad pœnitentiā excitantur: cùm possint salutari tristitia sua, Angelorum choros eximia afficere lætitia. Bernardus ait: *Lacrymæ pœnitentium, vinum est Angelorum.* Hinc etiam D. Augustinus: *Quoties*, inquit, *bene agimus, gaudent Angeli, & tristantur dæmones: quoties verò à bono deuiamus, diabolum lætificamus, & Angelos nostros suo gaudio defraudamus.* Gaudium est enim eis super vno peccatore pœnitentiam agente; diabolo verò super vno iusto pœnitentiam deserente. Agitur autem hîc non de essentiali, sed de accidentali & sensibili gaudio: sicut pater aliquis hoc genere gaudij magis lętatur de vnius filij restituta valetudine, quàm de multorum filiorum perpetua sanitate: quamuis omnes filios ex æquo diligat, aut sanos etiā magis diligat. Cogitandum, Dominum multis in rebus vsitato more locutum, déque diuinis & spiritualibus rebus tamquam de humanis disseruisse. Diuus Gregorius ait: *Maius de peccatore conuerso, quàm de stante iusto gaudium fit in cælo, quia & dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reuersus, hostem fortiter premit, quàm illum qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter gessit.* Sic agricola illam terrā ampliùs amat, quæ post spinas & vepres, vberes fruges profert, quàm eam, quæ nunquam spinas habuit, & nunquā fertilem messem produxit. Lapsus est Petrus Apostolorum caput, sic Paulus doctor Gentium, sic Maria Magdalena: quibus nunc præcipuè Ecclesia gloriatur: quorū lapsus cesserunt in stabilimentū atque solatiū domus Dei. Iam verò similitudo de drachma perdita, ad idem propositū referenda est. Ad hunc igitur modum æterna Patris Sapiētia, quæ hîc femineo nomine designatur, cū ex decem electorum choris naturā humanā, quę velut drachma decima erat, decidisse per peccatū vidit, lucernā accēdit, hoc est, naturā diuinam humanę copulauit. In splēdore enim lucernæ, diuinitas, in cera verò, sacra humanitas designatur. Quod quidem sacramentum confitentur, qui morituri, lucernam manibus tenēt. Deinde mulier euertit domum, hoc est, supera & infera omnia à sedibus suis conuellit & inuertit, vt sic euersis

omnibus

Gaudium verum vbi sit.

Bernardus.

Augustinus.

Angelos vt lætificemus.

Gregorius.

Simile.

Cyprianus.

omnibus pretiosam drachmam inueniat. Annon hoc ipsum diuina Sapientia fecit? Annon ipse per Prophetam ait: *adhuc modicum, & ego mouebo cælum & terram, mare & aridam: & commouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria?* Omnia igitur se euersurum promittit, vt aduentu suo desideratam drachmam inueniat. Hic exaltauit humiles, & esurientes Gentiles impleuit bonis. Dei Filius ex altissimo cæli cardine dilapsus, latronum supplicium sumpsit, Barabba inferior iudicatus est: Barabbas enim eo superior, & vita dignior à furente populo pronunciatus est. Quò eius doctrina, quò tot virtutum exempla, quò tot itinera pedibus confecta à Iudæa in Galilæam, & à Galilæa in Iudæam, quò postremò tot vincula, verbera, sputa, colaphi, alapæ, & opprobria tendebant, nisi vt hãc perditam drachmam inuenirer? His enim laboribus & meritis eam à diaboli potestate liberauit. Monenda fidelis anima, vt nõ contenta diuinæ Sapiẽtiæ hac diligentia, ipsa quoque diuinæ Sapientiæ cooperetur. Euertat mentis suæ domum, vt se perditam inueniat. Euertat igitur primùm, diligentérque consideret, à quo condita, & in quem finem condita ac destinata à conditore suo sit. Sic enim fine, & veluti portu constituto, intelliget quam viam tenere debeat: à qua deflectere, est frustra à Deo conditum esse, frustra & incassum viuere. Hunc finẽ seculi homines non cogitant. Euertat domum, beneficia omnia, quæ à Dei benignitate percepit, sibi ante oculos ponat: vt videat quid debeat benefactori liberalissimo. Euertat demùm domum, & omnia interni hominis latibula, hoc est, anteactæ vitæ omnia scelera perscrutetur: sanctique illius Regis exemplo recogitet omnes annos suos in amaritudine animæ suæ. Hoc enim studio non dubium, quin perditam drachmam, hoc est, seipsam, per veram pœnitentiam inueniat. Sic Propheta vertebat, siue verrebat domum suam, cùm diceret: *Meditatus sum nocte cũ corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum*, siue verrebam spiritum meũ. Confugiamus sedulò ad hoc verriculum pœnitentiæ, vt contractas per peccatũ sordes, hoc salutari verriculo expurgemus. Scitis verum esse quod D. Gregorius ait, peccatũ quod per pœnitentiã non diluitur, mox suo põdere ad aliud trahere. Et Ecclesiasticus, *Peccator*, inquit, *adiiciet ad peccandũ.* Quomodo enim, amissa gratia, infirmus homo (& velut alter Samson, capillorum fortitudine destitutus) oppugnantibus Philistæis, hoc est, tentantibus dæmonibus resistere poterit? *Time*, inquit ille, *amissa gratia, quoniam reliquit te custodia tua.* His igitur

exem

Osea 1. — *Drachma perdita quæsita.* — *Anima fidelis domũ euertat.* — *Esa. 38.* — *Psal. 76.* — *Verriculũ quærere debemus.* — *Gregorius.* — *Ecclesi. 3.* — *Bernardus.*

exemplis & argumentis causam suam Dominus aduersus Pharisæorum calumniam tuetur. O vtinam tam chara nobis salus nostra, quæ ad nos pertinet, extitisset, quæ tā chara illi fuit ad quem ea minimè pertinebat. Nemo hic occasionem arripiat cum peccatoribus cōuersandi: alia enim perfectorum, alia imperfectorum, ac alia magistrorum, alia discipulorum cōditio atque professio est. Magistri quippe velut spirituales medici, inter ęgrotos versari debent, vt eos exemplo vitæ, & magisterio doctrinæ, ad sanitatem perducant. At discipuli, qui nondum altas in virtute radices iecerunt, cautè versari debēt inter istos ægrotos. Scriptum est enim: *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea*, &c. Contrà verò: *Qui cum sapientibus graditur, sapiēs erit: amicus stultorum, similis efficietur*. Faciliùs improbus homo virum bonum corrumpet, quàm ipse à bono viro ad meliorem mentem perducatur. Est enim mali natura ad nocendum potentissima: propterea quòd humana natura, post communis peccati lapsum, vehementer ad malum prona sit, leuique flatu in id impellatur, ad quod ipsa sponte sua propensa est. Hinc virtus difficilis, studio & labore indiget, vitia sine præceptore discuntur. Tertia facilè tribulos producit, at bonum semē non sine magno labore & cultu. Hactenus de Euangelica lectione: nunc de oue perdita & inuenta paucis agemus.

Peccatores deserendi.

Eccles. 13.

Natura ad malum prona.

EXPLICATIO THEMATIS.

ANIMA nostra per lethale peccatum perit; perdita, per pœnitentiā inuenitur. Magna est felicitas stantis, id est, suis fungentis officiis animæ. In hac enim Deus sedem suam elegit, fixit, eam dirigit, & hæreditatis æternæ hæredem constituit: hic enim in anima iusti singularia sāctitatis opera molitur. *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ*, &c. Hoc est, *Oculi Domini sunt semper in se metuentes intenti*, nimirum, quia illi vicissim ipsum semper intuentur. *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*. Sequuntur inde bona, quibus Dominus timētium se mentes afficit, cùm per Esaiam pollicetur eis: *Sustollam te super altitudines terræ*, vt videlicet tanquam ex alto terrena cuncta contemnas, pedibúsque tuis substrata videas. Hic dat sanitatem, vitam, & benedictionem. Quæ omnia timentes Dominum, ab ipso plenissimè recipiunt, vtpote, quibus omnia cooperantur in bonum. O igitur felices nimiúmque felices, qui talem vitæ suæ tutorem, custodem, atque rectorem

Deus in anima iusti sedet.

Psal. 33.

Eccle. 34.

Zachar. 2.

Esa 58.

Deo quàm simus chari.

Peccatum quid operetur. nacti sunt! Nunc quid peccatum & iniustitia pariat, expendamus. Quisquis igitur se lethali crimine contaminat, cælestem hunc hospitem à se protinus fugat, teterrimúmque hospitem, septem spiritibus, quasi satellitibus stipatum, intra se admittit: à quo miserandum in modũ agitatur, & in tetra atque horrenda facinora furenter incitatur. Exemplo nobis esse poterit infelicissimus Saul Rex, qui vbi in capitale inobedientiæ crimen incidit, à Deo protinus derelictus, dæmonióque traditus fuit. *1. Reg. 15.* *Occidit, agitatus furiis, octoginta Sacerdotes nihil commeritos? Nobe ciuitatem Sacerdotum, ferro & igne vastauit, omnia deleuit:* vt iam videas, quò tandem perueniat animus diuina luce atque præsentia orbatus, dæmonísque potestati permissus. Quis enim hoc tam immane & inauditum facinus, vel concipere animo potuisset, nisi qui à Deo derelictus, dæmonum furiis traditus fuisset? *2. Reg. 11. & 12.* Dauid vbi se adulterio commaculauit, optimi ciuis cædem adiecit. in hoc scelere diu permansit. Hoc tantum scelus commisit Dauid, qui tam multis diuinæ gratiæ opibus insignitus erat. Intelligite, quæso, Auditores, vel hoc vno argumẽto, qualis sit illius animę status, quam diuinus Spiritus, *Simile.* & cælestis gratia dereliquit. Vt enim ardenti lampade in obscuro accensa, omnia quæ ibidẽ latent, conspicua fiunt; exstincta verò, corpora etiam ingentia minimè videntur: ita quamdiu diuinæ gratiæ lux animæ nostrę prælucet, minutissima etiã delicta & cernimus & dolemus: at vbi hæc lux per lethale peccatum exstincta est, grauissima etiam, & execranda scelera nec videmus, nec alicuius momenti esse putamus; adeóque ipse homo omnibus in rebus permutatur, vt vix credas eundẽ esse. Anteà enim Dei filius, modò diaboli mancipium; anteà diuinam effigiem, modò verò diaboli imaginem refert. In Dauide ruinam Dominus permisit, vt esset hominibus testatũ, in quas foueas mens humana, diuina gratia per lethale peccatum orbata, præcipitetur. Vide periculum ouis quæ se à Dominico *Peccatum fidẽ & spem non adimit.* grege segregat, quæ mala sequantur. Nemo tamen, quãlibet perditus sit, quamdiu in vita manet, de salute sua, Domini que misericordia desperare debet. *Venit* enim *Filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat.* *Luc. 19.* Venit pius pastor, relictis nonaginta nouem ouibus in deserto, vt errabundam ouem ad *Matth. 9.* cælestis vitæ caulas reuocaret *Non venit,* inquit, *vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* *Ouis vt inueniatur.* Quo vno verbo recuperandæ salutis viam perditis ouibus ostendit: quæ non alia quàm hæc ipsa pœnitentia est: quæ si non ficta, sed vera sit, homini pristinam Dei amicitiam & gratiam restituit. Sic exemplo Dauidis, quem

quem offendimus, pœnitentia placamus. Curandum hoc loco, ne sera valde pœnitentia sit: ne fortè vulnera ita menti hæreãt, vt penè insanabilia reddantur. Recte enim Ecclesiasticus: *Languor*, inquit, *prolixus grauat medicum, ac breuem languorem præscindit medicus*. Constat enim multum inter se morbos animæ, corporisque distare. Hi námque quo diuturniores, eò & molestiores sunt; at illi contrà ipsa diuturnitate iucundiores fiunt. Voluptatis enim diuturna consuetudo in naturã propè versa, eo est ad superandum difficilior, quo ad fruendum iucũdior. Quis enim versa in naturam facilè relinquet? Hinc fit, vt qui hoc modo affecti sunt, difficillimè ad sanitatem perducantur. Hinc illa Poëtæ vox: *Quisquis initio obstitit, pepulitq; amorem, tutus ac victor fuit. Qui blandiendo dulce nutriuit malum, serò recusat ferre, quod subijt iugum.* Quare ne in hoc tantum præcipitium prolabamur, omnis celeritas adhibenda est, vt ab hoc tanto incendio resiliamus. Omnis procrastinatio rumpẽda: oportet Ægypti, hoc est, peccati fines festinanter relinquere. Ne tardes conuerti ad Dominum, nec differas de die in diem. Sic laudanda Niuiuitarũ celeris pœnitẽtia. Hanc ergo nos, Auditores, celeritatem imitemur: quo amissam vitio nostro Domini præsentiam, diuinãque amicitiam, recuperare possimus. Amissus enim capitali crimine Christus, nisi per veram pœnitentiam inueniri nõ potest. Pœnitentia est vulnerum medicina, morborum remedium, ianua vitæ, clauis paradisi, peccatorum venia, secundáque post naufragium tabula: quæ nos ad cælestis regni portum, in quo vera salus, sempiterna quies, æterna beatitudo regnat, felici cursu perducit. Amen.

Eccles. 10.

Pœnitentia sera.

Seneca in Tragœd.

Exod. 12.

Eccles. 5.

Ionæ 3.

Pœnitentia quid sit.

DOMINICA QVARTA POST PENTECOSTEN, CONCIO: IN QVA post Euangelicæ lectionis explanationem, vitæ nostræ, morúmque corruptio (quam retis ruptura significat) describitur.

THEMA. *Concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum.* Lucæ 15.

PETRI verba; *Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cœpimus*; illorum præcipuè temeritatem & stultitiã arguunt, qui humanis cõsiliis & industria

freti, inconsulto mundi principe ac moderatore Deo, res suas aggrediuntur. Est autem hic communis omnium ferè mortalium error, ex quo innumera penè mala atque incommoda oriuntur. Aduersus quem tota sacræ huius lectionis historia acriter pugnat: aduersus quem etiam nos hodie, adspirante diuina gratia, dimicare debemus, si priùs tamen Euangelicā lectionem, quæ huius doctrinæ fundamentum est, explanauerimus. Vt autem hoc vtiliter & religiosè valeamus, cælestem opē, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

Hominum error communis.

AVE MARIA.

DVO nobis hodie mysteria, Auditores, in sacra huius diei lectione proponuntur; quorum alterum imitari, alterum admirari debemus. Populi enim ardor & studium, quo ad Dominum irruebant, vt audirent verbum eius, nobis ad imitandum exhibetur. Vocatio autem discipulorum, & miraculi patratio (quo Petrus & socij, qui in mari Tiberiadis piscabantur, ad aliud nouum piscationis genus vocati sunt) admiratione dignū est. Vtraque igitur in re, in præsenti Concione philosophādum est nobis. Ait S. Lucas: *Cùm turba irruerēt in Iesum, vt audirēt verbū Dei*, &c. Videmus turbæ magnū studiū, ardénsq; desiderium audiendi verbum Dei. Vnde hoc desideriū? Certè à Spiritu sancto. Non possumus ne quidē bonū desiderare, nisi donetur nobis. *Omnis nostra sufficientia ex Deo est. Desiderare*, inquit D. Augustinus, *auxilium gratiæ, initium gratiæ est.* Sancta desideria floribus comparantur: quia sicut arborum flores antecedere fructū solent; ita sancta desideria futuram cælestium donorum vbertatem designant. Quocirca, Auditores, quicumque vehementer diuinæ gratiæ desiderio flagratis, magnam de diuina misericordia spem concipere debetis. Hæc námque desideria viam nobis ad gratiam & charitatem munire, docet D. Bernardus. *Nisi credideritis, non intelligetis.* sic dici æquè non absurdè potest: *Si non desideraueritis, non perfectè amabitis.* Quāta sanctorum desideriorum vis sit, Sapiens ait: *Initium sapientiæ est eius disciplinæ concupiscentia.* In literis sanctis, Verbum Dei, pani, igni, semini, & cælesti pluuiæ, atq; rori cōparatur, quòd similem his rebus virtutē in auditorum animis operetur. Corpora cibo aluntur corporeo: ita piorum animæ spirituali verbi Dei cibo sustentantur, & vegetantur. Qua ex re Augustinus statum animæ, quæ hoc spirituali cibo non alitur, declarat his verbis: *Qualis est caro, quæ post multos dies non*

2. Cor. 3.
Augustinus.
Desideria sācta Deus immittit.
Bernardus.
Sapien. 6.
Verbum Dei quibus rebus cōparetur.
Animæ cibus qualis.
Augustinus.

non percipit cibum, talis est anima, quæ non assiduè pascitur Dei verbo. Nec leuius tamen illorum periculum est, qui ita verbum Dei audiunt, vt posteaquam audierint, vel in eorum moribus, vel in mente nihil resideat. Multi, inquit D. Gregorius, *legunt, & ab ipsa lectione ieiuni sunt. Multi vocem prædicationis audiunt, sed post vocem vacui recedunt: quorum etsi venter comedit, viscera non replentur: quia etsi mente intellectum sacri verbi percipiunt, obliuiscendo & non seruando quæ audierunt, hæc in cordis visceribus non reponunt.* Alibi idem ait: *Verba Dei, quæ aure percipitis, mente retinete: cibus enim mentis, est sermo Dei: & quasi acceptus cibus à stomacho languente reijcitur, quando auditus sermo in ventre memoriæ non retinetur. Sed quisquis alimenta non retinet, huius profectò vita desperatur.* Iam ex eius verbis liquet, quale periculum sit, verba Dei frequenter audire, nec aliquid audiẽdo proficere. Iam qualem Domini doctrinã fuisse putamus, cùm talem eius eloquentiam experimur, qui Verbum est & Sapientia Patris: quorum altero plenissima scientia, altero suauissima eloquẽtia designatur? *Tibiæ & psalterium suauem faciunt melodiam,* inquit Ecclesiasticus: *sed super vtraque lingua suauis.* Si hominum suauiloquentia tantam ad permulcendas hominum aures vim habet: qualis quæso suauiloquentia esset eius qui Verbũ est & Sapientia Patris? Loquente aliquando Domino ad turbas, extollens vocem quædam mulier, dixit illi: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Hæc mulier ineffabili dicentis suauitate illecta, & velut extra se posita, hæc protulit. Si humanam admiramur eloquentiam; quare non magis eius, in cuius labiis omnem gratiam diffusam Propheta canit? Huius os non auro, sed gladio acuto Propheta comparat: *Posuit,* ait, *os meum Dominus, quasi gladium acutum*: qui videlicet intimos animi sensus penetraret, malorum omnium radices abscinderet, spiritũ à corporis contagione diuelleret, ignitíque amoris vulnera infligeret. Hunc enim ignem illi perceperant, qui dicebãt: *Nónne cor nostrum ardens erat in nobis,* &c. O si nos turbæ huius exemplo, tãto animi ardore ad sacras Cõciones cõflueremus! Multos videmus ad ludos, ad crapulam, ad ebrietatem magis, quàm ad sacras Conciones irruere. Alij audiunt, vt illi, de quibus Ezechiel ait, *quibus verbum Domini versum est in carmen musicum, quod suaui dulcíque sono canitur.* Isti non vim sentẽtiarum, sed vocum tantùm dulcedinem & sonum attendunt. Similes iis, qui libris serico & auro vestitis & ornatis, literísque minio, variísq; imaginibus depictis, puerorum more

Gregorius in Ezechielem 3.

Idem Gregorius.

Verbum Dei audiendum.

Eccle. 40.

Luc. 11.

Psal. 44.
Esa. 49.

Luc. 24.

Ezech. 33.

Simile.

gaudent: quid verò intus contineatur, non modò non aduertunt, sed ne legere quidem student. *Cor fatui*, inquit Sapiens, *quasi vas confractum, omnem sapientiam non tenebit.* Cribrum solas retinet paleas, triticum autem effluere finit. Sunt nõnulli ita corrupti, & à diabolo obdurati, & prauis opinionibus præoccupati, vt quo magis eos docueris, eo magis lædas, maiores subinde malè & perperam sentiendi occasiones suppeditans. Qua igitur ratione vtiliter audiemus? Certè sicut turba hæc: vt videlicet ardenti in Iesum desiderio irruamus, quo eum audiamus: hoc est, si studiosè consideremus, hoc verbum, quod apud vos prædicamus, non verbum hominum, sed Dei verbum esse. Sic enim maiori studio & reuerentia audiemus. Hac enim ratione Apostolus memorat Thessalon. verbum Dei audiuisse. *Gratias*, ait, *agimus Deo, quoniam cùm accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non vt verbum hominum, sed* (sicut verè est) *verbũ Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.* Quicunque igitur hoc modo verbum vitæ audit, vitam quoque animæ suæ simul cum verbo haurit. Cælestis Magister vbique suo officio functus est, nunc in Synagoga, nunc in monte, quãdoque in loco campestri, modò verò in littore maris. Hìc Petrum rogat, cui præcipere tanquam omnium Dominus potuisset, vt nauem paululùm à terra subduceret. Habeat Concionator hìc rationem, vt neque terrena docens, voluntati se carnalium hominum, qui terrena tantùm sapiunt, accommodet; neque rursus nimis alta, aut difficilia, quæ auditores assequi non valeant, docere studeat. Sic se Paulus ad populi captum accommodabat, qui cùm sapientiam loqueretur inter perfectos, lacteum cibum infirmis ministrabat. Ad historiam redeamus.

Eccles. 28. — *Auditores negligentes.* — *Verbũ Dei audiendũ.* — *1. Thess. 2.* — *Christi lenitas.* — *Concionatoris officium.* — *Hebr. 5.* — *1. Cor. 3.*

Vbi ergo Dominus turbas in nauicula Petri docuisset, ait illi: *Duc in altum, & laxate retia vestra in capturã.* Pius atque benignus Dominus, ne illud quidem adeò exiguum Petri obsequium præmio vacare voluit. Huic etiam aquæ frigidæ elargitio grata est. Petrus obsequutus fuerat Domini voluntati: iam eum remunerare vult. Nec enim is, mercatorum more, paria paribus refert? sed diuina largitate, parua magnis compensat. Hanc autem modò Petro mercedem tribuit, vt pro nauicula vna ad docendum cõmodata, duas illi piscibus onustas largiretur. Hìc etiam Gentium vocationem & conuersionem designauit. Expande Euangelicum rete per vniuersum orbem terrarum. Omnes homines condidi: omnes felicitatis & gratiæ meæ participes fieri volo. An Iudæorum Deus tantùm? nónne

Dei benignitas.

& Gen

& Gẽtium? *Duc* igitur *in altum. & laxate retia vestra in capturam*, non piscium, sed hominum, vt capiantur ad vitam. Mare, id est, mundus tumet per superbiam, æstuat per auaritiam, spumat per luxuriam. Rete hoc, quo pisces ex hoc mari extrahuntur, est sermo Dei. Vnde Paulus: *Sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostẽsione spiritus & virtutis: vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Felices illi erũt, quos sagena hæc de profundo criminum & errorum per trahit ad lucem, è sordido limo ad vitæ puritatem, ex vagis cupiditatibus ad integritatis & innocentiæ studium. Hi pisces sola terrena sapiunt, solam vitam corporis tutantur. Cùm ergo Dominus Petro laxare retia præcepisset, ille contrà, *Præceptor*, inquit, *per totã noctẽ laborantes nihil cepimus: in verbo autẽ tuo laxabo rete.* His autem Petri verbis, quãtũ humana industria à diuina virtute superetur, aperté colligitur. Humana enim industria tota nocte laborãs, nihil promouet: virtus autem diuina momẽto tẽporis efficit, quod nullo tẽpore humana facultas, nec multo quidẽ labore, efficere potuisset. In his quoque Petri verbis obedientia maximè commẽdatur. Ipse enim nominis sui memor (Simõ enim interpretatur obediens) nihil contra præcipientem allegat, sed simplici atque alacri animo Domini mandatum exsequitur. Hoc enim perfectæ & indiscussæ obedientiæ proprium est, clausis humanæ rationis atque prudentiæ oculis, maiorum præceptis obtemperare. Vt enim iumentorum oculos claudimus, quæ pistrini seruitio destinamus: ita mentis oculos claudere oportet, cùm ad aliquid agẽdum, ex maiorum imperio ducimur. Obedientiæ fructum idem Dominus ostendit, quando Petrus vno retium iactu duas nauiculas piscibus impleuit: cùm totius noctis labore ne vnum quidem pisciculum capere potuisset.

Gentium vocatio.

1. Cor. 2.

Euangelica sagena.

Obedĩẽtia laus.

Simile.

Denique tanta piscium vis capta est, vt eorum pondere retia rumperentur. Quæ res plurimùm quidem ad miraculi magnitudinem facit, nec minùs tamen ad significationem mysterij. Hac enim ruptura designatur, tantam hominum vim in Petri rete, hoc est, Ecclesiã, per fidem ingressuram, vt multi eorum postea à fide semel suscepta degenerantes, Ecclesiæ vnitatem scinderent, dum vel à Romani Põtificis obedientia desciscunt, quod schismaticorum est; vel à fidei integritate, quod est hæreticorum. *Ex nobis*, inquit Ioannes, *exierunt: sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.* Duabus his nauiculis sancti Patres duas hominum nationes, Iudæorum videlicet, atque Gentilium, ex quibus vna Ecclesia

1. Ioan. 2.

Naues duæ quid.

Ephes.2. constat, intelligi volunt. *In hoc enim Christus Dominus in mundum venit, vt pacem annunciaret his qui propè, & his qui longè: vt duos conderet in semetipso in vnum nouum hominem populos, faciens pacem.* Idémque medium parietem Legis, qui inimicitiarum causa erat, dissoluens, amicitiam inter ipsos conciliauit. Cùm igitur Petrus post tantã piscium sterilitatem tantam eorundem copiam repentè vidisset, vt duæ nauiculæ ita piscibus complerentur, vt penè mergerentur, ad genua Iesu stupefactus procidit, dicẽs: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Qua in re Petrus magnã animi sui humilitatem ostẽdit, dum inspecto miraculo, Christi dignitatem agnoscens, suæque memor indignitatis, Domini à se discessum precabatur, indignum se eius consortio, atque præsentia reputans. O si nos, Auditores, tanto stupore ac timore cõpleremur, cùm ad altare Domini, & sacram Eucharistiam sumendam accedimus! Sic Centurionis fidem tantopere à Domino laudatam, in his verbis cernimus, qui indignum se putabat, vt sub tectum suum Dominus ingrederetur. Nos autem, Auditores, fidei lumine instructi certissima fide tenemus, totam diuinitatis plenitudinem sub illa panis & vini specie latere, cùm tamen multi sic se gerant, cùm in templis assistunt, quasi in foro inter æquales suos agerent. Quid verò illos referam, qui in templis prophana negotia tractant: quid illos qui scurrilia verba iactant? & vbi peccata expiare deberent, peccata peccatis addunt, & cum magna sua pernicie in venenum medicamenta conuertunt? At quàm malè hæc hominum licentia cum loci dignitate cohæret! *Domum* enim *Dei decet sanctitudo* (vt Propheta canit) *& in templo eius omnes dicent gloriam.* Petri quoque exemplo liquet, cùm ad hoc ineffabile Sacramentum accedimus, quo timore, qua deuotione, qua vitæ puritate accedere debeamus, in quo vnicum Dei Filium latere non dubitamus. Nec tamen cùm hoc timore corripimur, Deum à nobis abalienamus: quin potiùs, quo magis hoc salutari metu cõcutimur, hoc magis eius beneficio digni efficimur. Sic enim D. Petrus in loco hoc, cùm se Domini conspectu indignum iudicat, non modò ab eo non reiicitur, sed etiam ad Apostolatus dignitatem cooptatur. Itaque ait ad illum Iesus: *Noli timere, ex hoc iã homines eris capiens*, hoc est, pone metum, quo tuæ conscius infirmitatis, ac meam expertus virtutem, totus perculsus es. Posthac enim, meo beneficio, Petre, ita homines eris capiẽs, quo modo iam cepisti pisces, quos peccatis exemptos, iustitiæ consecres, ac in vitam æternam colligas. Stupor hic Apostolorum,

Petri humilitas.

Matth 8.

Templa qui inhonorent.

Psal. 92.
Psal. 28.
Eucharistia dignè sumenda.

Petri piscatio.

rum, fuit quidam typus stuporis posteà secuturi ex Euangelicæ piscationis vbertate. Quis enim non obstupesceret, considerans paucorum hominum, eorundémque ex infima vulgi fæce selectorum prædicatione, tot hominum millibus, ex vniuersis orbis nationibus, intra paucos annos fuisse persuasum, vt contemptis terrenis bonis, despectis minis Principum, spretis suppliciis, ac morte ipsa, simplicem Christi doctrinam sequerentur, credentes ea, quæ iuxta naturæ ac rationis vires, planè sunt desperanda? Quis autem huius miraculi fructus extiterit, declarat protinus Euangelista, cùm subdit: *Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus, secuti sunt eum.* Hinc patet mira Dominicæ vocationis virtus & efficacia; & mira item discipulorum fides & obedientia, qui nihil cunctati, mox vocantem Dominum secuti sunt, nihil de Dominica promissione, quamlibet sublimi, diffidentes, nihilque soliciti qua ratione virum inopem sustentare possent: se namque totos vocantis prouidentiæ & potestati permittentes, relictis omnibus, secuti sunt eum. Hactenus de Euangelica lectione.

Apostolorum fructus.

TRACTATIO THEMATIS.

CONCLVSERVNT *piscium multitudinem copiosam.* Hæc piscium multitudo, fœcunditas Euangelicæ prædicationis significatur. Hinc apud Prophetam cælestis Pater Filium suum his verbis alloquitur: *Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israël conuertendas: Dedi te in lucem Gentiū, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* Et Regius Vates: *Reminiscentur*, ait, *& conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ Gentium.* D. Petrus vno iactu sagena Euangelica, in populo Iudaico tria millia, alio quoque tempore quinque millia hominum intra rete conclusit: quorum erat cor vnum, & anima vna in Domino. *In nocte*, id est, tempore Legis, *Prophetæ laborantes, nihil penè ceperunt.* Quod apertè Dominus per Hieremiam testatur, cùm ait: *Circumite vias Hierusalem, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium & quærentem fidem; & propitius ero ei.* Videtis quanta hîc fuerit sterilitas bonorum. At in Euangelicum rete, innumera piorum hominum multitudo, ex omnibus mundi regionibus collecta, ingressa est. At dolendum modò paucos concludi, & ab improbitate ad pietatem & iustitiam traduci. At in exteris regionibus per bonos & religiosos viros, multi ad Christi fidem conuertuntur. Sed ad Petri piscationem redeamus. Tan-

Esa. 49.

Psal. 21.

Petrus in Iudæis quid fecerit. Actor. 4.

Hierem. 5.

Sterilitas in Lege.

tam piscium multitudinem vno illo retis iactu in verbo Domini cepit, vt ipsum rete rumperetur. Quam rupturam D. Augustinus nequaquam mysterio vacare docet. Hac enim rupturą, quæ ex piscium multitudine contigit, carnalium hominum multitudinem intelligit, quæ post Euãgelij promulgationem Ecclesiæ rete intrauit. Creuit enim Ecclesia, creuit minimum illud sinapis granum, & in arborem ingẽtem euasit, quæ ramos suos per vniuersum orbem terrarum expandit. Hæc autem Ecclesiæ prosperitas, in qua cum bonis piscibus mali quoque Euangelicum rete compleuerunt, rupturæ huius occasio fuit. Solent nauigaturi secundam auram desiderare: quæ tamen vbi vehementior fuerit, in periculum coniicit nauigantes. Arborum quoque rami nimia fructuum vbertate grauantur, atque franguntur. Prosperitas vbi modum excessit, periculo non vacat. Idem Ecclesiæ euenisse videmus, cui prosperitas ipsa atque fœcunditas huic rupturæ occasionem dedit. Idem Ecclesiæ, quod populo Romano obtigisse apparet, huic maiorem felicitatem assidua bella, quàm otium, attulerũt. Sic Ecclesia persecutionibus creuit, martyriis coronata est: & postquam ad Principes Christianos venit, potentia quidem & diuitiis maior facta, sed virtutibus minor facta est. Ex quibus verbis qualis Ecclesiæ processus fuerit, intelligimus. Hæc igitur Ecclesiæ amplitudo & opulẽtia, quæ nos ad diuinas laudes excitare meritò debuisset, carnalibus hominibus ambitionis, auaritiæ, atque deliciis, non quidem causam, sed occasionem dedit. Quo magis autem hi morbi creuerunt, hoc magis Ecclesiæ fœcunditas, tot hæresum monstris quotidie succrescẽtibus, decreuit, & ad hãc fidelium paucitatem, quam nunc cernimus, deuenit. Ex tribus mundi partibus, Europa, quæ minor est, ad Ecclesiam pertinet. Ex qua (prô dolor!) maximam partem hæretici, nec minorem perfidi Turcæ occupauerunt. Itaque nobilis illa Constantinopolis, noua Roma dicta (quæ Christiani Imperij sedes erat) in immanissimi hostis Christi Turcarum Principis sedem imperij cessit. Quòd si filij Israël tam multis lacrymis vnius tribus Beniamin internecionem prosecuti sunt: quibus nos lacrymis hanc imperij nostri gloriam ad Christi hostes translatam persequi par est? Sed quid ego vnius vrbis ruinam deploro, cùm tota Græcia, cùm tota penè Asia & Africa à Romano imperio subducta, infidelium Principum imperio additæ sunt? Cladium humanarum causam in superni iudicis iram, hominum sceleribus irritatam, coniicere necesse est. Sic ob peccata inductum est diluuium, & omnia deleuit. Vide quid Iudæis peccantibus eue

Augustinus. *Ruptura retis quid.* *Simile.* *Prosperitas nociua cui.* *Hieronymus.* *Ecclesia quãdo decreuit.* *Europæ detrimentum.* *Genes. 7.*

euenit. Primùm quidem ex duodecim tribubus, vndecim ferè ab eo derelictæ, repulsæ, vastatæ, & sempiterna captiuitate (à qua nunquam redemptæ fuêre) mulctatæ sunt. Qua de re sic Ecclesiasticus eorum sceleribus commemoratis ait: *In omnibus his non pœnituit populum, & non recesserunt à peccatis suis, vsque dum eiecti sunt de terra sua, & dispersi in omnem terram, & relicta est gens perpauca, & princeps in domo Dauid.* Gentem autem perpaucam, vnam tribum Iuda cum Rege suo intelligit: quæ & ipsa propter eadem crimina vastata, & in captiuitatem adducta fuit. Direptum & euersum est illud celeberrimum exemplum Hierosolymitanum, omnia vastata. Vnde omnes illæ calamitates? Non dubium, quin ex peccati malitia, & grauissimo odio, quo illud summus amator probitatis detestatur. His ita constitutis, facile erit colligere: cur videlicet ex tanta illa Christiani imperij amplitudine (qua per vniuersum terrarum orbem Ecclesia dilatata fuerat) ad hanc paucitatem, quam modò cernimus, redacta sit, vt veluti in angulo quodam inclusa apud nos lateat. Ac nisi Saluatoris nostri certissima illa promissione niteremur, qui adeò stabile Ecclesiæ fundamentum se posuisse affirmauit, vt portæ inferi præualere aduersus eam nunquam possent, maximè verendum esset, ne hoc tempore tot vndique hostibus obsessa, tot machinis tentata & oppugnata, concideret. Quid minùs nos modò, quàm illi delinquimus? Quãdo enim magis auaritia & cupiditas inter homines flagrauit? quando maior ambitionis ignis exarsit? quando magis inuidiæ, odij, & detractionis pestis increuit? quando plus deliciis homines dissoluti fuêre? quãdo periuria & blasphemiæ in Deum Sanctósque sic inundarũt? Quis recolit se esse mortalem, & habere se iudicem, cui sit statim à morte totius vitæ ratio reddenda? Quis magis virtutem quàm pecuniam diligit? Quis magis Dei quàm hominum iudicia veretur? Apud ethnicos talia non fuisse scelera, qualia apud Christianos, ex Seneca colligere licet. Tria potissimùm esse mala video, quæ totum penè Christianum orbem obsederũt, ex quibus innumera mala alia oriuntur: nempe immoderatus vestium cultus, ciborum deliciæ, & chartarum ludus. Vna silua multis elephantis abundè sufficit, delicatorum angusto ventri terra simul, maria & flumina seruiunt. *Dij boni, quantum hominum vnus venter exercet!* inquit ille. Rectè ait Propheta: *Principes tui infideles, socij furum: omnes diligunt munera.* Ait ille: *Nec vitia iam nostra, nec remedia pati possumus.* Vtinam illas opes in eleemosynas erogaremus, sicut Daniel consuluit Regi. Quia hæc negligi

Eccles. 48.

Iudæorum calamitas.

Matt. 16.

Malitia hominum.

Mala tria quæ.

Seneca.

Esa. 1.

Liuius.

Daniel. 4.

gligimus, videmus tot nos opprimi malis, & Ecclesiam ad tantam fidelium paucitatem redactam. Eligamus nos paucorum numerum, vt saluemur, vt maneamus intra rete. Adsit Deus, Amen.

DOMINICA QVINTA POST PENTECOSTEN, CONCIO: IN QVA post Euãgelicæ lectionis explanationem, incommoda iræ, inde remedia eiusdem explicantur.

THEMA. *Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Matth. 5.

QVIA omnes nihil magis in votis habemus, quàm vt ad æternam perueniamus hæreditatem: cùm terrena quamuis amplissima bona saluare nos nequeant; est tamen aliud, quod huic pio desiderio adiunctum est. Si enim illam cælestem hæreditatem cernere cupis, Legem quoque diuinam, quæ ad illam viam munit, velut in vxorem tibi copulare debes. Quid est autem, Legem in vxorem accipere? Illi nimirum conuiuere, illius præscriptione vitam moderari, illius semper curam gerere, illius onera portare, illam super omnia diligere. Sic ad hanc te Salomon instruit: *Conserua, fili mi, præcepta patris tui: & ne dimittas legem matris tuæ*, &c. Hoc est igitur sanctum illud desiderium, matrimonium; hæc vxor illa, cum qua pij omnes vitam agunt, omnes curas & cogitationes suas ad huius obsequium dirigentes, eiusque amori cætera omnia posthabentes: à cuius obsequio, nec te mundi luxus, nec honoris amor, nec diuitiarum cupiditas, abducere debent. Quid iam quisque vestrûm verbis profiteatur, non admodùm curo: quid vitæ institutio, quid mores, quid studia loquantur, attendo: idque mihi responsum esse decerno. Maxima Christianorum pars hæreditatem cælestem ambit: onus tamen, quod huic hæreditati adiunctum est, respuit. Quorum animum Salomon expressit, cùm dixit: *Vult & non vult piger.* Vult quidem hæreditatem, non vult autem onus hæreditatis: cupit vtilitatem, refugit laborem: vult sine certamine vincere, & sine victoria coronari. Hæc est multorum mens, & animus, & desiderium. Seipsum quisque vestrûm modò introspiciat, cordisque sui secreta rimetur: multi enim hoc ipsum intra mentis suæ penetralia defixum videbunt. Cæterùm

Vxor tua sit Lex diuina.

Prouer. 6.

Vxor piorum quæ.

Prouer. 13.

Quis coronetur.

rûm ſiquis inſtar Booz, vtrumque, nempe hæreditatem cæleſtem, & onus ſimul hæreditatis, hoc eſt, diuinæ Legis obedientiam amplecti cupit, habet planè in ſacra huius diei lectione, magnam eius Legis partem à cæleſti Magiſtro explicatam. Vt autem de ea latiùs diſſeramus, diuinam opem, ſacratiſſimæ Virginis interuentu, imploremus.

Deut.25.

AVE MARIA.

NISI *abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum*,&c. Hoc in loco Dominus non de Legis & Prophetarum, ſed de Scribarum & Phariſæorum iuſtitia diſſerit. Multa enim ex his quæ Dominus in præſenti Concione tractat, Legis & Prophetarũ libris continentur: quos tamen Phariſæi pro libidine ſua interpretabantur, diuinam Legem non ad Legiſlatoris mentẽ, ſed ad auaritiam, & ſua commoda detorquentes. Hi, id eſt, Legis Doctores, & Phariſæi, eius temporis religioſi, quibuſdam cæremoniis profitẽtes, ſuperſtitioni, & hypocriſi, ac hominum oculis ſeruiebant: hoc tamen in loco Dominus, non de eorum vitiis, ſed de eorum iuſtitia diſſerit, quam à Christiana iuſtitia ſuperari debere docet, ſi quis à cæleſti hæreditate abdicari nolit. Quo nomine ſummo nos vinculo obligationis obſtrinxit, niſi iuſtitia noſtra illorum iuſtitiam ſuperemus. Quibus autem in rebus hoc præſtare debeamus, longa deinceps oratione perſequitur, iuſtitiam Phariſæorum cum Chriſtiana iuſtitia conferens, & quibus in rebus Euangelica iuſtitia ſuperior eſſe debeat, ſigillatim declarans. Incipit ergo ab eo ſecundæ tabulæ mandato, quod inter negantia præcepta primum eſt: *Audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio.* Hoc ſolo Phariſęi contenti erant, ſi extrema opera à Lege prohibita vitarẽt: internas autem ſiue affectiones, ſiue cogitationes diuinę Legi contrarias, parum curabant. Itaq; vulgare apud multos eorum erat prouerbium, Legem quidem manum prohibere, non animum. At cordium inſpector Dominus, maiorem internę puritatis, quàm externi operis rationem habet. Vnde is non de opere intentionem, ſed de intentione opus frequenter diiudicat. Itaque non homicidium ſolùm, ſed iram quoque, quę homicidij cauſa eſſe ſolet, hac lege vetat. Ego, inquit Dominus, *dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio.* Animaduertite, Auditores, hoc in loco, Legis & Euangelij differentiam. Lex homicidium, Euangeliũ irã quoque animi cohibet, ne vel in odium, vel in homicidiũ prorumpatur. Quo in loco vox illa, *Fratri*, nequaquam ſignificatione

Phariſæorum mos.

Iuſtitia Euangelica.

Exod. 20.

Euangelij & Legis diſcrimen.

tione vacat. Aliud enim eſt, in fratrem, aliud in fratris vitia iraſci. Rectè enim contra vitium iraſcimur: non rectè autem contra fratrem. Dei enim creatura diligenda: peccatum autem, quod à dæmone eſt, odio habẽdum. Hominem delinquentem miſerari, delictũ autem deteſtari debemus, ſed ita tamen deteſtari, ne ſub velamine deteſtationis, Dei creaturam odio habeamus. Debemus in animo compaſſionis affectum excitare, in quo periculi minus eſt. Ad quod nos illa Apoſtoli ſententia inuitat: *Fratres, ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, corripite huiuſmodi in ſpiritu lenitatis.* Iuſti foris quidem increpationes per diſciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem per charitatem ſeruant. Orabat ille: *Corripiat me iuſtus in miſericordia*, &c. Vbi autem Dominus ab interna cordis ira nos continere docuit, externam quoque, quæ in vocem iracundiæ indicem prorumpit, prohibere incipit, cùm ſubdit: *Qui autem dixerit fratri ſuo, Rhaca, reus erit concilio*, &c. Quo in loco tres iræ gradus adnotauit. Primus eſt, cùm ira ſolùm latet in corde, nec ſe vlla verborũ licẽtia prodit. Alter, cùm foras etiam excurrit, verbis aliquot internam animi commotionem ſignificantibus. *Racha* Auguſtinus interiectionem quandam eſſe docet, iram animi ſine graui aliqua iniuria ſignificãtem. Addit autem tertium iracundiæ gradum, cùm ea in contumelioſa verba prorumpit. Subdit enim Dominus: *Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis.* hoc enim verbo inſignis homini iniuria irrogatur. Quocirca, cùm is, qui hoc modo proximũ cõtumelia afficit, lethali ſe crimine cõſtringat, efficitur obnoxius gehennæ ignis; quæ eſt pœna lethiferis criminibus à Deo cõſtituta. Primus motus iræ non eſt peccatum; quia non poteſt eſſe peccatum, quod non eſt voluntariũ. Nec enim pius Dominus, humanæ infirmitatis memor, aut vitio nobis vertit, aut punit, quod in hominis poteſtate non eſt. Secundus autem iræ gradus eſt, qui in vocem internæ iræ indicem erumpit. Quod quia grauius eſt, grauiori pœnę hominem obnoxium facit. Iudicium vnius ſæpe iudicis eſt; cõcilium autem multorum. Tertius gradus idémque grauiſſimus eſt, cùm ira non ad leuem, ſed ad inſignem contumeliam deuenit, cui crimini, extrema pœnarum, nempe gehenna ignis propoſita eſt; quia nulla maior excogitari poteſt. Hoc etiam in loco fratris nomen ponderandum eſt. Alia eſt enim fratris in fratrem, hoc eſt, æqualis in æqualem conditio: alia vel patris in filium, vel domini in ſeruum. Hi námque ſubditos ſibi corripere tenentur: quos non ſolùm verbis, ſed verberibus etiam coërcere poſ-

Galat. 6.

Pſal. 140.

Iræ gradus tres ſunt.

Peccatum voluntarium.

Iraſci quatenus liceat.

poſ

possunt. Vtrique tamen illud obseruare debẽt, vt pro qualitate criminum sit castigationis temperamẽtum: atque vt verborum acrimonia (quibus interdum opus est) internam animi pacem atque tranquillitatem (quantum fieri poterit) minimè turbet. Sic enim nos in hoc opere gerere debemus, vt aliud foris verba ostendant, aliud intus in animo lateat. O felicem illum, qui hoc sibi imperare potest, qui sic in potestate sua motus animi continet, quique sic cordis sui habenas moderatur, vt eas & laxare, & continere, pro causarum & negotiorum ratione, valeat! Hunc sanè beatum Ambrosius prædicat: *Omnia linguæ vitia militant contra charitatis virtutem.* Proinde, Auditores, cùm intra vos ira tumultuatur, magna cura linguam cõtinete, ne in hoc tantum præcipitium corruatis. Quo tẽpore cum Propheta clamandum est: *Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea,* &c. Hoc est: Ne verba quidem recta loqui ausus sum, ne simul cum eis indignum aliquid ira exstimulante proferrem. Sed nunquid huic tanto malo remedium aliquod institutum est? Est planè, & quidem maximè salutare, quod cęlestis Magister protinus ostẽdit, cùm subdit: *Si ergo offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te,* &c. Mira docẽdi ratione Dominus in his verbis vsus est. Dum enim ad summum repẽtè gradum conscẽdit, inferiores omnes in eo cõplexus est. Satis enim esse videbatur dixisse: Si proximũ læseris, illum placare, illiq; satisfacere solicitè cura. Sed nequaquam hoc solo contentus, omni sacrificio & oblatione illi interdixit, donec offensum fratrem debita satisfactione placaret. Hac enim ratione ostendit, offẽso fratre, Dominum quoque offensum, imò & infensum homini, & inimicum esse: ac proinde inimici sacrificia Deo grata non esse. Itaque præter iniuriam fratris, hoc quoque ad peccati cumulum accedit, quòd homo indignus efficitur, qui sacrificium Deo gratum offerre possit. Non enim contra fratrem solùm, sed contra Deum etiam delinquit, qui fratrem offendit. Qua in re diuinę bonitatis & charitatis magnitudo miro modo elucet: dum ea quæ ad gloriam suam pertinent, obliuisci quodammodo videtur, vt priùs infirmitati hominum cõsulatur. Quanta ergo illa bonitas? quanta erga homines charitas? quæ tanta cura eorum incommodis cõsultum esse cupit, vt quæ sua sunt, posthabeantur, & priori loco quæ nostra sunt, curentur? Quid verò si sacrificij aut oblationis tempus instat, & proximus longè abest? Ad hoc respondemus, satis esse in hoc euentu si fixum in animo propositum illi satisfaciendi oblata opportunitate habea

Felix quis dicendus.

Psal. 38.

Remediũ linguæ.

Fratris iniuria redundat in Deum.

Frater reconciliandus. habeamus, nisi fortè scandalum intercederet. Quod quidem cõtingere posset, cùm is, qui publicas cum alio inimicitias diu fouit, ad sacram communionem accedere vellet. Tum enim publico illi scandalo aliqua honesta satisfactione occurrẽdum esset. Per sacram enim Eucharistiam homines & Christo capiti, & mystici corporis eius membris, in vnum corpus colligãtur. Pugnat enim cum huius Sacramenti vnitate omnis fraternæ dilectionis dissensio atque diuisio. Vnus panis, & vnum corpus multi sumus. Hæc ad eũ spectant, qui fecit iniuriam; alter se exorabilẽ prębebit, alioquin se nouo crimine obligat. Sacrificia nostra, Angelorum ministerio Deo offerũtur. Ostẽdit hoc Ioannes, cùm se Angelum vidisse testatur, qui in thuribulo aureo thura, hoc est, Sanctorũ orationes, Deo offerebat. Vide vt ea appareas apparitione & reconciliatione, qua cõuenit; vt possis vitulos labiorum offerre Deo, quæ sunt orationes tuæ. Solicitè ergo in tuis operibus, quid Deus pręcipiat, & quid consulat, explorare debes: ne fortè pia tua vota diuinis præceptis aliqua ratione obsistãt. Ingratum est Spiritui sancto quidquid obtuleris, neglecto eo ad quod teneris. Qui lædit fratrem, non hominem lędit, sed Deum, qui fecit illum; qui sanguine suo illum redemit, qui illum regni cælestis hæredem cõstituit. Quisquis delinquit aduersus proximum, aduersus Christum delinquit: quandoquidem membrorum iniuria in capitis quoque iniuriam redundat. Vnde Apostolus: *Sic*, ait, *peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* Quæ res nos ab omni hominum vel iniuria, vel contumelia, vehementer arcere debet. Dominus præcipit vt proximum diligas, vt nulla illum contumelia afficias, nemini malè preceris. Si enim rei alicuius gratia Dei leges volamus, illam vtique magis quàm Deũ diligimus & honoramus; quod spiritualis cuiusdam idololatrię crimen est. Sic Heli redarguitur: *Magis honorasti filios tuos quàm me.* Qui enim propter filium, Dei Legem transgreditur, filium vtique magis, quàm Deum diligit & honorat. Sic inobedientiam primorum parentum, omnes posteri deplorare cogimur. Ex hac lectione Euangelica colligimus, consilium cęlestis Magistri esse, vt leuiora etiam peccata vitemus, quo à grauioribus tutiores simus. *Qui* enim *timet Deum, nihil negligit:* hoc est, nihil neque paruum, neque magnũ omittit, quod vllo modo ad cultum Dei, eiúsque offensionem vitandam, spectat. Vt enim qui vitam diligit, non solùm mortem, sed morbos etiam fugit, qui viam ad mortem muniunt: ita qui lethiferi peccati mortem odit, venialia etiam peccata

Dissensio ingrata Deo.
1. Cor. 10.
Apoc. 8.
Osea 14.
Bernardus.
1. Corin. 8.
Christus in homine offenditur.
1. Reg. 1.
Genes. 1.
Ecclef. 7.
Simile.

peccata (quæ velut ægritudines animæ sunt) diligenter vitare studet. Huiusmodi peccata non adferunt animæ mortem, sed ægritudinem: non exstinguunt Dei Spiritum, sed contristant: non mentem interimunt, sed ad interitum præparant; denique non auferunt charitatem, sed feruorem charitatis. Anima iusti, est velut speculum quoddam. capitalia crimina in hoc speculo sunt instar turpis luti; venialia autem peccata instar pulueris sunt. Vide igitur qua cura & studio vitare conuenit, quod nos à Solis splendore repellit. Si igitur leuiora peccata vitare studueris, facilè à grauioribus tutus eris. *Qui fidelis est in minimo*, inquit Saluator, *& in maiori fidelis est*. Hæc est noua & Euangelica Philosophia, quam Christus de cælis traxit.

Venialia peccata vitanda.

Simile. Anima iusti, speculū.

Luc. 16.

TRACTATIO THEMATIS.

Ego *autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*. His verbis ab iracūdia nos Saluator eripere cōtendit. Hic affectus cum ipsa natura nobis ingeneratus, & ab opifice Deo inditus est, à quo mali nihil emanare potuit. De hac sic ait D. Gregorius: *Ira etiam cū delinquentium culpas insequitur, non debet menti nostræ quasi domina præire, sed post rationis tergum, quasi ancilla rationis, subnixiùs famulari*. Cuius sententiæ Aristoteles adstipulatur, qui iræ affectum vtilem esse ait, sic tamen vt in castigando, militis, nō ducis officio fungatur: hoc est, si mentem quidem nostram ad plectēda crimina, motu & indignatione sua excitet, non tamē ipsa sententiam dictet. Hic affectus conditoris beneficio naturæ nostræ inditus, nos tamē eo, sicut & cæteris, non ad salutem, sed ad perniciem nostram furenter abutimur. Impressit nobis naturæ auctor coniugij desiderium, procreādorum liberorum gratia: sed quis enumeret quot scelera propter nostram intemperantiam ex hoc fonte oriantur? Ingenerauit etiam mentibus nostris idem conditor nostri amorem qui nos ad quærenda, quæ ad vitæ vsum necessaria essent, incitaret: at ex hoc fonte teterrima generis humani pestis auaritia nascitur, quam malorum omnium radicem Apostolus ait. Ita nos abutimur ad furorem & rabiē, vt vix vlla capitalior pestis in humana vita grassetur. Primū huius morbi malum est, quòd Spiritum sanctum, & charitatē ab anima fugat, & tranquillitatem pellit. *Per iram*, inquit diuus Gregorius, *Spiritus sancti splendor excutitur: qui super humilem & quietum requiescere dicitur*. Ex cuius verbis liquet, quanta cura, qui tota Spiritum sanctum mente conceperūt, omnes iræ motus vitare

Ira nobis innata est.

Gregorius.

Aristoteles.

Dei beneficio abutimur.

1. Tim. 6.

Ira charitatem expellit.

debeant. Aliud verò morbi huius malum est, quod vsque adeò hominem hominibus odibilem facit, vt Salomon dicat: *Spirituū verò ad irascendū facilē quis poterit sustinere?* Rursúsque alibi: *Impetū*, inquit, *concitati spiritus ferre quis poterit?* Quo fit, vt prudentes viri non aliter iracundū hominem, quàm viperam aliquam, aut feram vinculis & cauea solutam, fugiant: ne vel ab illo contumelia afficiantur; vel ipsi ex eius intemperantia conuiciandi aut irascendi occasionem accipiant. Philosophi inter propria viri magnanimi officia virtutésque, iniuriarum obliuionem præcipuè numerant. Inter iracundos mutua amicitia, etiam inter virū & vxorem, diu stare non potest. Memoria iniuriarum, atque ira, proprium est infirmi pectoris vitium. Pueri, senes ægroti, feminæ, facilè irascuntur. *Qui patiens est multa gubernatur prudentia. Doctrina viri per patientiam noscitur.* Stultus autem, qui hac prudentia caret, fræno etiam caret, quo concitatos animi motus comprimere valeat: quo fit vt barbari homines, & à cultu, & sapientię studio alieni, iracundi, truculēti, & implacabiles sint. Illud verò maximè detestandum, quòd hic morbus homines à dignitatis suæ arce deiicit, dum omni penè mente atque iudicio priuat. Iram enim sapientes homines breuem insaniam esse confitētur. *Ne sis*, inquit Sapiens, *velox ad irascendū: quia ira in sinu stulti requiescit.* Quæ autem via orationis deliramenta ea, quæ multi homines ira perciti designant, explicare queat? Indignātur nūc hominibus, nunc etiā rebus inanimatis ex leui occasione. Sed ex his omnibus malis, quæ secum iracūdia adfert, grauissimū & pestilentissimū est feritas, immanitas, & truculentia, & insatiabilis sanguinis humani sitis. De irę incommodis nonnulli auctores ingentes libros conscripserūt, sicut Seneca. Saluator docet, ex fructibus arborē cognosci debere: ex iis quæ hominum furor & ira designauit, qualis ea sit, diiudicare licebit. Audiuimus iræ incōmoda: incūbamus omni cura & studio, ne ab hac sæuissima peste vnquā superemur. Hac enim fera fugata, lenitatis & mansuetudinis placabilitatē assequemur: qua & tranquillam in hoc seculo vitam degere & in futuro terram viuentium, mansuetis in Euāgelio promissam, percipere mereamur.

Prou. 18. *Idem 27.* *Iracundus vitandus.* *Prou. 14.* *Idem 19.* *Barbari cur iracūdi sint.* *Ira quid.* *Eccles. 7.* *Matth. 7.*

REMEDIA CONTRA IRACVNDIAM.

VIDIMVS hactenus, quātum periculi ab ira nobis immineat. Solo enim fatui verbo hominem dehonestasse, reos nos facit gehennæ ignis, hoc est, sempiterni incendij, quod nullo

vnquam æuo exstinguetur. Ira non aliter agit quàm illi qui se se vnà cum ipsis ædibus incendunt: ita tumultu, fumo, & caligine cuncta intus replet, vt nec videre possis, nec audire eos qui cupiunt subuenire. Vt equis in ipso cursu nemo iniicit fræna, sed longè antè: ita qui animo sunt in iram præcipiti, & ad res molestas facilè irritabiles, rationibus quibusdam diu antè præsumptis, in certamen sunt producendi. Inter varia autem remedia, quæ aduersus hunc morbum à sapientibus viris proponuntur, primùm quidem mora temporis est. Quocirca quicunque verè sapiunt, cùm se ira commoueri sentiunt, & linguam, & manus ab omni iniuria continent. Plato interrogatus, quo indicio cognosceretur sapiens, respondit: *Sapiens cùm vituperatur, non irascitur cùm laudatur, non extollitur.* Vulgus tum maximè punit cùm irascitur. Philosophus quidam Augusto Cæsari consuluit: *Cæsar, cùm fueris iratus, ne quid dixeris, fecerisve, priusquam Græcarum literarum viginti quatuor nomina apud te recensueris.* Historiam apud Theodoretum de S. Ambrosio & Theodosio Imperatore, quę iræ immanitatem, simul & remedium continet, & summam item Imperatoris obedientiam, summámque Antistitis Ambrosij constantiam declarat, videat ipsemet Concionator. Ad mansuetudinem nullum maius est viaticum, quàm facilitas ac simplicitas morum erga famulos, vxorem, & amicos, si possimus rebus præsentibus esse contenti, nec egere multis ac superfluis. Quisquis est amans modestiæ atque moderationis, in promptu illud Ecclesiastici habeat: *Noli esse quasi leo in domo tua, euertens domesticos tuos.* Plutarchus optimum remedium, & Christianis hominibus maximè imitandum præscribit. Quod quidem mihi non tam ex humana quàm ex diuina Philosophia desumptum esse videtur. Sic enim de seipso ait: *Laudabam interim & illas non inuenustas, nec abhorrentes à studio sapientiæ actas in precibus consuetudines: annum à re venerea vinóque puros viuere, colentes interim Deum temperantia: aut rursus à mentiendo certum tempus abstinere, nos ipsos interim obseruantes. Deinde hisce rebus instruebam animum meum, vt qui non minùs amet pietatem quàm Philosophiam: vt primùm paucos dies sacros sine irascendo transigerem, velut absque temulentia vinóque, non aliter quàm si celebrassem ea festa, in quibus vinum attingere, aut luxui indulgere fas non est. Deinde idē faciebam mensem vnum aut duos, paulatim mei ipsius periculum faciens. Sic tempore proficiebam ad vlteriorem malorum tolerantiam, diligenter attendens & conseruans meipsum.* Hæc sunt,

Simile.

Simile.

Iræ remedia qualia.

Plato.

Sapientis officium.

Historia Tripartita lib. 9. c. 30.

Eccles. 4.

Plutarchi sobrietas.

Auditores, huius quotidiani mali remedia, quibus ethnicus homo, qui neque de gehenna ignis, iræ contumeliis proposita, neque de cælesti gloria, mansuetis promissa, quicquam audierat, morbum hunc curare satagebat. Quid ergo nos facere par est, qui in meridiana luce Euangelij versamur? qui tot promissis ad pietatem & iustitiam vocamur? tot minis ab improbitate deterremur? tot beneficiis ad Dei amorem allicimur? tot Sanctorum exemplis excitamur? tot postremò doctrinis quotidie erudimur? Tantum certè probitatis studio atque diligentia illos vincere debemus, quantum his cælestibus adiumẽtis illos superamus. His igitur remediis fera pessima iracũdia profligata lenitatem & mansuetudinem, morúmque facilitatem, præcipuè colamus: qua & in hoc seculo placidam & tranquillam vitam degere & in futuro in sempiternæ pacis & quietis portum, adspirante Domino, appellere valeamus. Amen.

Christiani quid facere debeat.

DOMINICA SEXTA POST PENTECOSTEN, CONCIO: IN QVA lectio Euangelica explanatur.

THEMA. *Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me.* Matth. 8.

TOTA Christiani hominis salus atque felicitas in hoc vno sita est, vt Christo capiti suo perfectè coniungatur, & vnum cum illo fiat. Si quæratis autem quid vos perfectè Christo coniungat, fidẽ simul cum charitate respondemus. Fides enim si charitate destituta sit, vnit illa quidẽ nos Christo (vtpote quæ fideles & cælesti semine insignitos facit) sed imperfectè tamẽ, sicut arida membra corpori suo vniuntur, à quo tamen sensum motúmque minimè percipiunt. At eadem fides si charitate informata & ornata sit, perfectè Christo tanquam viua membra capiti suo copulat: & sic Dominus meritorum & gratiarũ suarum dona in illos spargit, qui sibi tanquam viua membra conglutinati sunt. Hanc salutis nostræ felicitatẽ Dominus omnibus modis præstitit. Ostendit igitur & signa & beneficia: quorũ altero diuinitatis suę fidem faceret, altero homines arctissimo sibi amicitiæ vinculo copularet. Beneficentiam ostendit eũdo vicatim, exhibẽdo sanitates. *Omnis turba quærebat eũtãgere, quia virtus exibat de illo & sanabat omnes.* Signis multos ad

Perfectos qd faciat.

Luc. 6. Ioan. 11.

ad se traxit, præsertim Lazari resuscitatione. Ostendit & misericordiam suam in viduas, in populum, quòd essent sicut oues sine pastore, pauit eos, sanauit eos in monte. Hæc fuerunt officia & opera Saluatoris, quamdiu inter homines versatus fuit. Curat morbos, pascit esurientes nihil ab eis accipiens, sed gratiam gratia, & beneficium beneficio cumulãs, & sic eos officiis ad fidem, & sui amorẽ excitabat. Has ergo virtutes, Auditores, ac præcipuè charitatem colere studeamus: vt qui fidem iam Domini beneficio retinemus, charitate illam perficiamus: quæ nos Dei Filio vniens, diuinæ naturæ consortes efficit. O mortalium auaritia, quæ perituris diuitiis inhias! quantò feliciùs his tãtis opibus inhiares! Antequam ad historiæ tractationem progrediamur, ad diuinam nos conuertamus opem.

Luc. 7. Marc. 6. Ioan. 6. Matth. 15.

Auaritia mortaliũ.

AVE MARIA.

IN *diebus illis, cùm turba multa esset cum Iesu, nec haberent quod manducarent, conuocatis, &c.* Accessit turba ad Iesum, attulit ægrotos, proiecerunt eos ante eum. quos solita sua benignitate sanauit. Nihil petierunt, & tamen ille eos cõpotes voti fecit. Complectur quod dictum fuerat: *Et erit, antequam clamet ad me, exaudiam eos.* O si nos, hac eadem fide & spe nixi, omnes curas, & solicitudines, quæ nos premũt, in sinum Domini proiiceremus, quomodo isti ægrotos suos ad pedes Domini proiecerunt! O si hac eadem fide illud Principis Apostolorũ consilium altissimè animis nostris infigeremus! *Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Cum quo & illa Prophetæ verba cohærent: *Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet.* Si ergo hoc nobis oracula diuina consona voce promittunt; vnde tanta hæc in multis hominibus diffidentia, cùm se variis curis & angoribus circumuallatos sentiunt? Deus nostri curam habet, ait Petrus. Si causaris imperfectionem, siue peccata tua; at hìc videmus, Dominum nullis precibus exoratum, nullis virtutum meritis permotum, omnibus, qui se ad pedes ipsius proiecerant, sola bonitate & misericordia sua ductum, salutem impartitum fuisse. Ea enim eius misericordiæ magnitudo, vt sola interdum miseriæ nostræ magnitudo, sine vllis virtutum meritis ad miserorum preces exaudiendas inclinet. *Oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum*, imò etiam ad vota peccatorum. Quocirca si peccator es, ac præcipuè si te peccatorem iam esse pœnitet, non ideò clamare ad Dominum in

Matt. 14.

Esa. 65.

1. Petr. 5.

Deus nostri curam habet.

Psal. 33.

quauis pressura & calamitate cessare debes. Dic cum Propheta. *Non in iustificationibus nostris, sed in miserationibus tuis multis, prosternimus preces nostras ante conspectum tuum.* Patraturus miraculum, consilium quærit à discipulis: eorum enim volebat explorare fidem, an videlicet, tot conspectis miraculis, quicquam profecissent, vt crederet sine commeatu turbam illam pasci posse. *Misereor*, inquit, *super turbam.* Misericordia Dei tam latè patet, vt Propheta dicat, *misericordia Domini plenam esse terram. Miseratio hominis*, inquit Ecclesiasticus, *circa proximum suum: misericordia autem Dei super omnem carnem.* Hic vt homo varias perpessus est calamitates. *Non habemus*, inquit Apostolus, *Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris*, &c. Hîc non modò sua, sed seipsum nobis & sanguinem suum impendit. Quæ res spei & dilectionis nostræ affectum vehementer erga illum accendit. Non debemus impiorum more licentiùs peccandi occasionem arripere. Non est fera tam immitis, quæ ex alitoris sui beneficiis in ipsum insiliendi occasionem arriperet. Hic omnibus obedientibus sibi causam attulit salutis æternæ. Tu oblaturus sacrificiũ, tres has virtutes, nempe iustitiam, misericordiam, atque diuini numinis memoriam cum eo simul offerre debes. Communicat Dominus cum discipulis consilium: vt Ecclesiæ Præfecti discant inferiorum non spernere consilia. Sæpe enim cælestis Spiritus ad humilitatis nostræ custodiam paruulis reuelat, quæ nonnunquam maioribus abscondit. Sic Dominus per Iethro idolorum cultorem, Mosen sanctissimum virum, qui cum Deo facie ad faciem loquebatur, edocuit. Cuius ille consilium (quãuis Deum haberet rerum gerendarum magistrum atque doctorem) non est aspernatus. Eodémque humilitatis spiritu Diuus Augustinus ait: *Ego senex & Episcopus, paratus sum à puero doceri.* Hinc Diuus Hieronymus etiam ait: *Nolo*, inquit, *vti proprio iudicio, pessimo consultore.* Videmus hîc Christi dulcissimam eloquentiam, qui populum iam per triduum detinuerat, qui suarum rerum planè obliti fuerant. *Perseuerant mecum*, inquit Matthæus. Hæc est prima diuinæ miserationis causa, boni operis perseuerantia. *Bonum est* inquit Propheta, *præstolari cum silentio salutare Dei.* Magdalena perseuerauit, & Dominum resurgentem vidit prior. Sic Chananæa mulier assiduis precibus instat, & tandem audiuit: *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.* Sic perseueranti amico datum est suæ perseuerantiæ, quod amicitiæ negatum est. Perseuerauit triduo in oratione Sara Tobiæ iunioris vxor, & post septem virorum funera

Daniel. 9. *Psal. 118.* *Eccl. 18.* *Hebr. 4.* *Misericordia Dei infinita.* *Simile.* *Gentilis dat consilium bonũ.* *Augustinus.* *Hieronymus.* *Matt. 15.* *Perseuerãtia requiritur.* *Thren. 3.* *Ioan vlt.* *Luc. 11.* *Tob. 6.*

funera, virum bonum cõsecuta est. Sic hæc turba perseuerauit cum Domino in deserto, qui & corpora fame deficientia pauit, & mentes, clarissimo edito miraculo, in fide confirmauit. O si nos, Auditores, in oratione hoc modo perseueraremus! Dominus sine dubio remuneraret egregiè laborem nostrum. *Quidam illorum*, inquit Euangelista, *de longè venerunt.* Quo via istorum longior erat, & fides, & deuotio exstitit maior. Discãt qui propter Dominum labori non parcunt, qui seipsos abnegant, qui crucem quotidie portant, magnificentissimam se à Domino mercedem laborum percepturos. Abraham obediuit, & Dominum beneuolentissimum habuit summa illa bonitas, atque inexhausta, pios conatus atque labores præmiis afficere solet magnis. Cùm igitur hanc tantam turbam pascere Dominus decreuisset, quærit à discipulis quot panes haberent. At illi septem se habere dixerunt. Animaduertite quæso, Auditores, quàm exiguum commeatum discipuli sibi Dominóque parauerant; cùm præsertim in solitudine essent, quæ nullum esurientibus cibum suppeditare poterat. Qua in re cernete inopiam Domini licet; *qui cùm diues esset, pro nobis egenus factus est, vt sua nos inopia locupletaret.* Nascitur in stabulo, reclinatur in præsepio, nudus pendet in ligno, & in alieno conditur sepulchro. Denique Dominus ait: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos*, &c. Sancti Anachoritæ hanc Domini inopiam & parsimoniam imitari conati sunt: at nos, qui ista nunquam ad mentem reuocamus, nec quæ nobis in fine vitæ sors obuentura sit, animo reuoluimus, vix paucorum dierum inediam, quos Ecclesia ieiuniis consecrauit, perferre volumus. Illi sancti Monachi macerationi carnis perpetuò incumbebant: nos eius indulgẽtiæ atque deliciis vacamus, paucorum dierum lætitiam sempiterna tristitia luituri. Sed videamus quid discipuli Domino, ipsos consulẽti, respõderint: *Vnde istos quis poterit hic saturare panibus in solitudine?* Hac responsione apertè cernimus, quàm difficilè mens humana ad ea quæ supra rationis fastigiũ posita sunt, se attollat. Discipulorũ videmus ruditatem in fide. Elias & Elisæus pauerant Dei munere turbam ex paucis panibus. Moyses vir sanctus etiam de Dei omnipotentia dubitauit. Pauci sunt qui illam spei fideíque præstantiam Abrahæ imitentur. *Hic plenissimè sciebat & credidit, quia quæcunque promisit Deus, potens est & præstare.* Tria hominum genera reperire licet, qui variis modis vitam suam moderantur. Quidam enim adeò rudi & agresti ingenio sunt, vt solo affectu & impetu animi, sine vllo rationis iudicio, ad res geren-

Genes. 12. & 22.

Deus retributor bonorum.

1. Cor. 8.

Matth. 8.

Monachi se ieiuniis cõficiebant.

Num. 11.

Rom. 4.

das agantur. Sunt alij cultioris ingenij, qui multis in rebus non quid cupiditas appetat sed quid consilium & ratio suadeat, sequuntur. Illi inter pecudes & bruta animantia, quæ sola appetitione aguntur: isti verò inter homines magis, quorũ est propria ratio, numerari possunt. Tertium autem hominum genus, qui compressa cupiditate, non ratione solùm, sed multò magis fide vitam suam moderantur: quamuis nõ sit à ratione alienũ, Deo fidere & credere. Quisquis hoc modo vitam suam moderatur, hic iam supra humanæ naturæ cõditionem elatus, altior homine factus est: vtpote qui non tam humana ratione, quàm diuino lumine vitam suam regit ac dirigit. Dominus discipulorum infirmitatem agnouit, non increpauit. Ille cognouit figmentum nostrũ. Potuisset dicere: *O generatio incredula! quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar?* Sed nihil tale hoc loco dixit: vt qua lenitate alienam infirmitatem perferre deberemus, exemplo suo monstraret. Discipuli, vbi Dominus ab eis postulasset panem & commeatum, statim prompti obtulerunt quę habuerunt. Cernimus eorum hospitalitatis virtutem, quorum anteà fidei infirmitatem notabamus. Non causantur suam inopiã discipuli, & quòd essent in deserto. *Susceptis ergo Dominus septẽ panibus, præcepit turbæ discũbere super terrã*, &c. O quã multa in his pauculis verbis sese nobis consideranda offerunt! Agit Patri gratias, vt nos hoc exemplo idẽ faceremus. Gratiæ agendæ largitori vitæ pro beneficiis. Hæc mensæ consecratio hoc etiam præstat, vt à diaboli insidiis liberi simus. Benedictione prolata, ad mensam accedentes, mementote duos vobis conuiuas esse reficiendos, corpus scilicet, atque animam: corpus quidem, cibum capiẽdo; animam verò, illum temperatè & sobriè, non ad voluptatem, sed ad explendam famem sumendo. Vt enim corpus cibo, sic anima hac sobrietate & parsimonia reficitur & saginatur. Dominus inde ministri officio functus est, qui tot cõuiuis panes frangit. Fuit maximus numerus virorum: neque minorẽ feminarum & paruulorum numerum fuisse credendum est. Dominus virtute diuina panes auget: discipuli autem, eius virtute auctos, populis distribuũt. Quo argumento, quid inter Christum Dominum, & Sacramentorum ministros intersit, animaduertere licet. Ille gratiam confert, quam nobis promeruit in cruce: ministri verò partã eius meritis & laboribus gratiam fidelibus impartiuntur. In absolutione Sacerdos à peccati vinculo me absoluit, & diaboli seruitute liberat, méque filium Dei, & Spiritus sancti templum viuum efficit, clausásque cœlestis regni fores mihi aperit. Nũ humana so

Consecratio mensæ bona.

Simile.

Discrimen inter Christũ & eius ministros.

Absolutionis vis.

na solùm facultas tantum hoc beneficium, quo nullum maius est, mihi præstare poterat? Nullo modo. Sed vnicus Dei Filius gratissimo passionis suæ sacrificio hanc tantam Ecclesiæ suæ ministris gratiam promeruit. Ille igitur huius tanti beneficij primus auctor est, ille largitor: ille igitur adorandus, ille perpetuis laudibus celebrandus, qui tanto suo labore mihi promeruit, ad quod tam exigua ministrorum opera mihi impenditur. Ad discipulos redeamus: & quod misericordiæ suæ præmium retulerint, inspiciamus.

Manducauerunt omnes & saturati sunt, & sustulerunt, &c. En quo præmio pius Dominus benignitatis officia in hac etiā vita afficit. Dominus vbique, & in futura & in præsenti vita potest liberalissimè compensare. Iam infirmi in fide, opera misericordiæ non audent exercere: timent enim, ne sibi aliquādo aliquid desit. Virtus hæc, misericordia, summis est digna laudibus. Dominus nostræ infirmitatis conscius, qui parciores sumus in egentes, fidem suam interposuit, nunquam illis defuturum quod in alios benignè erogarent, sed cum fœnore etiā illis omnia redditurum. *Qui dat pauperi, non egebit. Honora Deum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum da pauperibus: & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Alibi verò: *Alij*, inquit, *diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.* Quid verò illud? *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis: & vicissitudinem suam reddet ei.* Neque hoc mirum videri debet. Cùm enim idem Dominus dicat: *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*: quid mirum si seipsum adstringat ei, qui pauperis miseretur; qui se in paupere refectum clamat? Hanc Domini promissionem exemplis etiam confirmare poterimus. Hæc enim ostendunt, misericordes homines non in altera vita solùm, sed in hac etiam magnificentissimis à Domino præmiis cumulari. Legimus enim de quibusdam sanctis viris, qui cùm omnia erogassent in vsus pauperum, tandē seipsos venales in eorum vsum exposuerunt. Horum exemplis hoc agere volui, vt qui futuræ indigentiæ metu, miserorū inopiæ non succurritis, hanc inanem formidinem, fide & spe diuinæ prouidentiæ, à vobis excutiatis. Qui enim toties hanc donorum vicissitudinem misericordiæ operibus promisit, fidē vtique suam liberabit neque fame illum perire sinet, qui fide fultus, in hoc se periculum propter nominis eius gloriam coniecit. *At*, inquis, *post mortem ero liberalis in pauperes*, sic mater S. Luciæ proposuerat. At sancta Virgo: *Non est*, inquit, ô

Prou. 2.
Prou. 11.
Eodem 19.
Matth. 25.
D. Gregorius lib. 3. Dialo.
Paulinus se vēdidit. Serapion item.
Deus fidelis est
Lucia mater.

mater, admodùm gratum Deo munus, quod qui offert, ideò offert, quòd illius vsu suprema sibi interdicat dies. Da dum sana es: ne si moriens dederis, inuita dedisse videaris, rem vtique quam, velis nolis, relinquere cogeris. Est tamen eo tempore exhibita, etiam grata. Rectè ille hortatur: *Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartire stude.* Hactenus de misericordia, & Euangelica lectione: nunc quid de tota lectione elicere debeamus, paucis explicabo.

Tob. 4.

TRACTATIO THEMATIS.

MISEREOR *super turbã: quia ecce iã triduo sustinẽt me, &c.* Tota hæc Euangelij lectio fructum nobis proponit eorum qui cum Domino perseuerant, ipsúmque per deserta sequuntur. Quid enim Dominus prætermisit, quod modò ad eorum salutem pertineret, qui ipsum sequebantur? Ægrotis salutis beneficium impendit: esurientes insigni edito miraculo refecit: ignorantes verò cælesti doctrina, aureo illo suo ore prolata, pauit, & præsentiæ suæ lenitate atque dignitate lætificauit. Quid igitur ex his consequi necesse est? Illud certè, vt quoniam idem modò Christus Dominus est inter Angelos regnans, qui fuit inter homines versans, eadem quoque beneficia eis, qui ipsum sequuntur, sit imparititurus. Quod enim tunc apertè in corporibus sequentium se gerebat, hoc modò inuisibili virtute in eorum mentibus agit qui illum sequuntur. Quo quidem exemplo monemur, Auditores, vt Christum Dominum cum hac turba sequamur, illique adhæreamus: quo horum tantorum beneficiorum participes efficiamur. Iam si illum Agnum cælestem corpore sequi non possumus, sequamur mente, cogitatione, & amore, quocunque ierit, illique indissolubili charitatis vinculo adhæreamus. Oportet mentem à terrenarum rerum nimio amore abducere: earum enim rerum magna est fallacia. Dei amoris occupatio nullum parit tædium, at terrenarũ multũ tædij. Hoc videre est in antiquis illis eremi cultoribus. Charitati autem (quæ maximè nos Christo coniungit) oportet adsit viua spes, charitatis igne succensa. Hinc Regius Vates, *Mihi*, inquit, *adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Hoc ipsum autem sanctus Samuel Israëlitico populo, humanis opibus intento, suadere conabatur, his verbis: *Nolite recedere à tergo Domini, & nolite declinare post vana quæ non proderunt vobis:* hoc est, nolite ad incerta & vana hominum auxilia confugere, sed ad Dei opem & auxilium (quod nulli

Deus quid nobis conferat.

Terrena nos fallũt.

Psal. 72.

1. Reg. 12.

nulli piorum vnquam defuit) tota mente atque fiducia oculos conuertite. Quod cùm neglexissent, serò tandem agnoscentes, dicunt: *Cùm adhuc subsisteremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum; cùm respiceremus attenti ad gentem quæ saluare nos non poterat.* Vates, cui tutò fidendum, cuíque minimè fidendum, vtriusque spei facta collatione, docet his verbis: *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.* Cui fidendum ait? *Beatus*, inquit, *cuius Deus Iacob adiutor eius: spes eius in Domino Deo ipsius.* *Non confidimus impotenti, sed potenti. Nemo Domino ditior, qui fecit cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt.* Hic quoque præstat fidem & veritatem: est quoque iustus, quòd iniustè læsos ab iniuria tueatur atque defendat: est & misericors, qui erratis ignoscat, vt miserias eleuet, vt morbis nostris, & malis opem ferat. *Ipse*, inquit Propheta, *faciet iudiciũm iniuriam patientibus.* opera deinde misericordiæ eius enumerat, cùm subdit: *Dat escam esurientibus*, &c. *Soluit compeditos, illuminat cæcos, erigit elisos, custodit aduenas, pupillum & viduam suscipiet.* His omnibus nihil est quod desiderari ampliùs possit, nisi vt talis tantúsque Dominus in æternum permaneat, quo æternum & indeficiens ab eo auxilium sperare possimus. Vbi Dominus seipsum in veteri Testamento manifestare voluit: *Ego sum, qui sum*, inquit, quasi diceret: Non ego is sum qui deficere possim aliquãdo. Ego sum, qui in æternum permaneo: in quem nulla temporum vicissitudo, nulla rerum mutatio cadere potest. Ideóque tutò mihi fidere potestis, & vitam atque salutem vestram mihi committere: quæ patrocinio meo stabilis & secura erit. Hac via omnes sancti in desperatissimis etiam casibus salutem sibi pepererunt quòd essent innixi supra dilectum suum. *Quoniam*, inquit, *in me sperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum*, &c. Sed ne stertentibus ac dormitantibus huius doctrinæ occasione ansam licentiùs viuendi præbeam, illud etiam monebo, ne quis sibi de sola spe sine spei comitibus blandiatur: *Comites verò spei, timor Domini, & iustitia sunt:* quæ toties in literis sanctis cum ea cõiuncta reperiuntur. *Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in iis qui sperant super misericordia eius.* Aliter enim spes dormientium, atque improbè agentium, sæpe non tam spes quàm temeritas, & inanis præsumptio est. Eos autem, qui in malis suis perseuerantes, salutem sibi ex sola diuinæ misericordiæ spe pollicentur, D. Augustinus inter obstinatos enumerat. Sic enim ait: *Obstinatè viuit, siue qui non conuer*

Thren. 4. — *Psal. 148.* — *Fidendum cui sit.* — *Ibidem.* — *Exod. 3.* — *Nisi cui debeas.* — *Cant. 8.* — *Psal. 90.* — *Psal. 146.* — *Spes vana quæ.* — *Augustinus.*

uertitur, desperans de indulgentia peccatorum; siue qui sic in misericordia Dei sperat, vt vsque ad finem vitæ in criminum suorum peruersitate permaneat. Quid igitur magis formidandum, quàm inter obstinatos numerari? Qua verò ratione tutò sperare liceat, idem Pater Augustinus declarat his verbis: *Ille sperat qui bonam conscientiam gerit: quem verò mala conscientia pungit, non sibi sperat, nisi damnationem.* Vt ergo speret regnum, habeat bonam conscientiam: credat, & operetur. Qui iam in calamitate ad sola humana præsidia currũt, ac diffidunt Deo, non habent hanc spem. Hac spe antiquus ille serpens, infinita hominum millia in gehẽnam quotidie detrudit.

Simile. Nos pueris persimiles esse videmur, qui cùm in plateã alicuius rei emendæ gratia à parentibus mittuntur, spectaculis, quæ fortè sese illis in via offerunt, intẽti, cuius rei gratia missi sunt, obliuiscuntur. Hoc ipsum nos non pueri, sed grandæui facimus: qui adeò præpostere vitam nostram instituimus, vt quæ solùm essent facienda, omittamus; quæ verò omittenda essent, perpetuò faciamus.

Malorum origo quæ. Hæc finis nostri obliuio, omnium, quæ in mundo fiunt, malorum origo & seminarium est. Hinc religionis neglectus, hinc amor mundi, hinc cælestium præceptorum contemptus. *Matth. 7.* Via salutis est quidem angusta & solitaria: est & longissima, quæ totius vitæ spatium cõtinet, quæ nos facit viatores & peregrinos. Sunt multi insidiatores huius viæ. *1. Petr. 5.* *Aduersarius vester diabolus*, inquit Petrus, *circuit*, &c. *Si dimisero eos ieiunos, deficient in via.* Verè enim in hac via deficiemus, & in medio itinere corruemus, nisi spirituali cibo, panéq; cælesti assiduè reficiamur. *Psal. 72.* Dicamus cum Propheta: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Illius semper insistamus vestigiis, in illo omnes nostras opes & spem collocemus, qui nos ieiunos non relinquet, neque hîc, neque alibi. Amen.

* * *

DOMI

DOMINICA SEPTIMA POST PENTECOSTEN, CONCIO: IN QVA iuxta Euangelicæ lectionis doctrinam, de multiplici hypocritarum genere disseritur.

THEMA. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Matth. 7.

LECTIO hodierna, Auditores, est velut peroratio eius sermonis, quem Dominus ad discipulos in monte habuit: in quo perfectionis Euangelicæ summa continetur. Hic doctores erudiuit quales esse debeant, dum eos sal terræ, lucem mundi, ciuitatémque supra montem positam appellauit. Hæc enim clarissima nomina, eorum designant breuiter officia. Mali cum bonis doctoribus etiam emergere solent, ideò sicut initio sermonis huius veros doctores nobis Dominus commendauit: ita in fine à falsis cauendum esse, monet his verbis: *Attendite à falsis Prophetis*, &c. Horum autem pseudoprophetarum nomine hæreticos, fraudulentósque doctores potissimùm Dominus intellexit. Hi adeò sunt in malo obstinati, vt etiamsi præsentes essent, nihil oratione nostra, imò ne Angeli quidem oratione commouerentur. Quos enim Ecclesiæ & Conciliorum decreta sanctorúmque Patrum consensus, & totius antiquitatis vetusta religio à perfidia sua non reuocant, quomodo rudi hac oratione nostra reuocarentur? Præsertim cùm D. Paulus hos homines à dæmone subuersos esse dicat: à cuius tyrannide & potestate non facilè emergere possunt. Illud tamen vnum dicam, quòd, nisi penitus subuersi essent, eos ad sanam mentem reduceret: nempe sectarum confusa multitudo, quod zizaniarum seminator dæmon inter eos sparsit. Numerantur enim à viris doctis supra decem & octo centum sectarum nomina, quæ ab eis orta sunt: vt non fuerint plures linguæ eorum qui turrim Babylonis ædificabant. Cùm autem vnusquisque eorum aliorum dogmata impugnet, & sua tantummodò tueatur, ipsi se armis suis iugulant: sicut olim Madianitæ, expugnante Gedeone, mutua se cæde truncabant. Quid enim mirabilius, aut etiam miserabilius, quàm in tam paucis annis, tot hæresum mõstra atque prodigia ab vna radice pullulasse? Quod quidem iustis

Doctores quales esse debeant.

Hæretici obstinati.

Tit. 3.

Hæretici subuersi.

Iudic. 8.

Sectarum monstra.

iustissimo Dei iudicio euenisse putandum est: vt apertè homines viderent, in quàm multa atque horrenda præcipitia, vbi à Deo deseruntur, ruant. Quo etiam indicio nullum miseris excusationis velamen relinquitur. Quod enim maius erroris & mendacij argumentum, quàm hæc tam multiplex sectarum varietas? Sed hæreticos missos faciamus, & ad mores nostros instituendos examinandósque veniamus.

AVE MARIA.

OCCASIONEM habemus in hac lectione de rebus multis disserendi. Oportet tamen meminisse, in rebus omnibus, quæ vel natura, vel arte, vel moribus etiam hominum cōstant, alias res esse veras, alias autem quę verarum imaginem & speciem mentiantur. Est enim purum aurum, est & adulterinum: est nummus verus, & adulterinus. Medici quoque sanitatem falsam & veram, famémque & sitim falsam & veram esse describunt. Sunt doctores veri, sunt & pseudoprophetæ. Hæretici sub ouina pelle, luporum feritatem abscondunt. Horum falsorum Apostolorum fallaciam atque perfidiam Paulus in epistolis non semel accusat, adeò vt nonnunquam Dei zelo aduersus illos incandescens, dicat: *Vtinam abscindantur qui vos cōturbāt. Attendite*, inquit, *à falsis Prophetis, qui veniūt ad vos*, &c. Pseudoprophetas Dominus rapaces lupos, ouina pelle tectos, appellat, quòd luporum rapacitatem & fraudes imitētur. Vnde colligimus, omnes eos, qui ferarum rabiem, aut fraudem, aut nocendi vim imitantur, earumdem ferarum nominibus appellandos esse. Hæc autem adeò indigna nomina illis præcipuè conueniunt, qui diuturna peccandi consuetudine efferatos mores induerunt. Sunt enim duo delinquentium hominum genera. Quidam enim & rarò, & non sine metu ac trepidatione delinquunt: qui tamen, vbi aliquando fortè deliquerint, à delicto surgere, & ad priorem statum redire student. Sunt tamen alij sic in malis obstinati, vt nunquam scelera sceleribus addere cessent. Cùm autem vnumquodque lethale peccatum nos à Deo separet; quò quisque plura peccauit, eo longiùs à Deo, hoc est, à diuina luce & splendore discedit: ideóque non mirum, si hoc genus hominum pro varietate criminum, multiplici quoque ferarum nomine designetur. *Fili hominis*, ait Dominus ad Prophetam, *increduli & subuersores sunt tecum & cum scorpionibus habitas*. Et Herodi iubet Dominus renunciari: *Ite, dicite vulpi illi*. Idémque ad discipulos: *Ecce, ego, mitto vos sicut agnos inter lupos*. Et Ioannes Baptista sce

Galat. 5.

Homines ferarū nomina sortiuntur.

Peccata nos à Deo separant.

Ezech. 2. Luc 13. Idem 10. Luc. 3.

sceleratos homines vocat genimina viperarum. Tales quorundam hominũ mores & ingenia sunt, vt eos malitia serpentes, dracones ferocitate, scorpiones, lupos, viperas detractione, & id genus nominibus ferarum rectè appelles, cùm earum imitentur mores. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit. *Ex abundantia cordis os loquitur.* Quid verò si illud etiam addamus, quòd multi non modò feris, sed ipsis etiam dæmonibus similes fiunt? Hoc certè Saluator ipse testatur, cùm ad discipulos ait: *Nónne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus est?* Et ad Iudæos, qui ipsum occidere valebant: *Vos*, inquit, *ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Diabolum appellat eum qui diaboli opera & peccata imitabatur; diaboli autem peccata præcipua sunt: primùm quidem superbia, quæ illum è cælo deiecit; deinde inuidia, per quam mortem introduxit in orbem terrarum: tum odium generis humani; ideóque bella, seditiones, & discordias seminat inter fratres: ac postremò obstinatus in sceleribus animus, à quibus nunquam emerget. Ergo quisquis his vitiis est contaminatus, non dubium quin inter diaboli seruos & filios connumeretur. Sunt nonnulli eius naturæ, qui adeò boni sunt, vt præmia rectè factorum putent esse ipsa rectè facta: ita dæmones adeò mali sunt, vt non aliud malefaciendi præmium, quàm ipsa malefacta quærant. Qui iam more dæmonum discordias inter fratres seminant, planè similes illi sunt. Hoc sanè crimen non solùm odibile, sed etiam abominabile Domino esse dicitur. *Sex enim sunt*, ait Salomon, *quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius.* Septimum autem esse ait, *seminare inter fratres discordias. Vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam.* O vipeream linguam! ô generis humani pestem & exitium! Iam quoque inuenies multos, more diaboli obstinatos in peccatis. En, Auditores, quò per diutinam peccandi consuetudinem miserãdus homo deueniat, & cuius similitudinem & imaginem referat, qui ad imaginem & similitudinem Dei factus est. Dominus tam seriò monet attendere à falsis Prophetis. Fallaci rerum specie mortales miseri eo modo decipiuntur, quo pisces & aues quæ propositam ante oculos escam videntes, nec hamum, qui intra eam latet, adspicientes, dolo capiuntur. Quod enim illis obiicitur, cibus quidem apparet, quo vita alitur; cùm tamen laqueus sit, quo vita eripitur. Sub esca enim, quæ foris videtur, hamus latet qui non videtur. Sic igitur miseri homines, tamquam aues rationis expertes, decipiuntur, cùm

Eccles. 10. Matt. 12. Ioan. 6. Diaboli peccata qualia. Simile. Prou. 6. Eccles. 28. Diaboli inuentum quale. Homines quomodo decipiatur Simile.

cùm ipsi rationis compotes sint:qua tamen vti nolunt, vt per eam vera bona:ab adulterinis & apparentibus discernant. Diuites sicut pauperes rerum inopia minimè premuntur, at auaritiæ & ambitionis fame,variisque desideriis,quibus nihil satis est,nouo paupertatis genere premuntur. Hic facilè hallucinamur,cùm diuites felices iudicemus,vt sciamus quæ sit vera illa cælestis doctrina,qua innixi,ad portum peruenire possimus.

Diuites quibus vitiis laborent.

Cælestis doctrina est,qua pretiosum à vili separare possimus: ea est veluti quædam nauigantium charta,quæ & rectã nauigaturis viam,& scopulos etiam sub leni vnda latentes, apertissimè demõstrat.Itaque in hodierna S. Euãgelij lectione duas insignes fraudes nobis detegit: quarũ altera ad hæreticos,altera ad fideles pertinet. *Attẽdite à falsis Prophetis*,&c. Hos in Ecclesiã non defuturos,Paulus edocuit:*Ego*,inquit,*scio , quòd post discessionem meã intrabunt lupi rapaces,non parcentes gregi.* Ab his ergo lupis nos cauere Dominus admonet. *Attendite* , hoc est,non segniter,sed solicitè & prudenter attendite , ne à lupis istis , qui ad vos in vestimentis ouium veniunt, decipiamini. Ouium vestimenta, sunt primùm eorum blandiloquentia,& dulces sermones,quibus simplicium corda subuertunt.

Cælestis doctrina quæ

Actor.20.

Fistula dulcè canit,volucrem dum decipit auceps.

Huiusmodi, inquit Apostolus , *pseudoapostoli , sunt operarij subdoli , transfigurantes se in Apostolos Christi.* Et non mirum, ipse enim Satanas trãsfigurat se in Angelum lucis. Non est ergo magnum,si ministri eius transfigurentur velut ministri iustitiæ , quorum finis erit secundùm opera ipsorum. Sic etiam venatores tergoribus se ferarum vestiunt, quas illaqueare student. Hæreticorum falsa doctrina exstitit grauissima : quæ in omnibus ferè ætatibus, ac in nostra præcipuè grassatur:quæq; acerbiùs lingua, quàm tyranni armis Ecclesiam Christi impugnat. Equus ille pallidus,de quo D. Ioannes agit,hæreticorum persecutionem significat:qui pallore vultus abstinentiam,carnisque macerationem referẽtes,sub ouina pelle,luporum feritatem animo inclusam gestant Si es spiritualis,spiritualia tibi dogmata proponunt : externa opera ac cæremonias Pharisæorum magis quàm Christianorum esse docentes:Christi legem spiritualẽ esse,non carnalem(qualis Iudæorum exstitit)prædicantes.Cõtrà verò si carnalis sis,& carnis indulgẽtiæ addictus, omnẽ tibi ieiunandi, confitendi,ac postremò bonorum operũ laborem adimunt:solãque sine operibus fide,salutẽ hominibus pollicentur. Quid igitur dulcius atque suauius carni proponi potuit? Hac igitur esca infinitam propè carnalium hominum

1. Cor. 11.

Simile.

Apoc. 6.

Hæreticorũ fallacia

mul

multitudinem retibus suis illaquearunt. Quam rem illi anteà prauè viuendi ratione,cum metu tamen & pungentis consciẽtiæ aculeo sequebantur, modò prauis dogmatibus imbuti, eorundẽ perditos mores sine vlla trepidatione sectantur. Hoc est igitur faustum illud Euangeliũ,quod vesana eorum cupiditas exoptabat, vt placida atque tranquilla cõscientia in voluptatum,atque libidinum cœno requiescerent. Omittimus eos,qui quidem tecti ouina pelle, qui officio & ministerio seruos se Christi profitẽtur:horum tamen vita à dignitatis ratione dissentiens, non minùs quàm luporum feritas & fraudulẽtia est. Hanc rem multis lacrymis D. Bernardus deplorat. Sed quæritis:Cùm isti vestimentis ouium induti veniãt,& blãdiloquentia sua non luporum rabiem, sed ouium mãsuetudinem præ se ferant,vbique Christum,vbique Euangelium, & verbum Dei resonantes;qua ratione eos esse lupos dignosceremus? Ad hoc nobis cõmodissimum signum Dominus præbet,cùm ait:*A fructibus eorum cognoscetis eos.* Quantumuis simulent atque dissimulent,tamẽ alicubi produnt, se Spiritu diuino esse destitutos: dum,si quis vitam & mores eorum attentiùs obseruat,reperiet illos sibi placentes,humanam gloriam sitientes, assentatores, inuidos,maledicos,& obtrectatores,ventri deditos,cõmodísq; suis seruientes,& suũ potiùs negotium,quàm veritatis agẽtes. *Rogo*,consulit Apostolus,*vt obseruetis eos qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab eis.* Sapienter inquit, *à fructibus operum*, non à foliis verborum. Nõ à verborum foliis, sed ab operũ fructibus veri Ecclesiæ ministri & pastores diiudicandi sunt; quales videlicet erga pauperes,erga viduas,erga infirmos,quales deniq; erga seipsos, & quales erga deliquentes sint. Erga se enim rigidi atque seueri;erga alios verò mites,benigni,misericordes, & patiẽtes esse debent, sic tamen, vt in tranquillitate censuram æquitatis non deserãt. Isti sunt ergo externorum operum fructus,quibus de arbore,bona sit an mala,pronunciandum est. *A fructibus*,inquit,*eorũ cognoscetis eos.* Si igitur hoc indicio, qualis arbor sit,agnosci potest;respondeant hæretici,quinam boni fructus,quæ morum cõmutatio,quæ vitæ disciplina, quæ sanctitas ex eorum Euangelio cõsecuta sit. Ipsis planè tacentibus, res ipsa loquitur. Sublatis enim bonis operibus, annua confessione,quæ magna ex parte homines in officio cõtinebat,sublatis Ecclesiæ ieiuniis,delectu ciborum,quibus carnis petulantia cõprimitur:quid superest, nisi vt in omni libidine & intemperãtia homines versentur? Id adeò verũ est,vt comitiis Germa-

Hæresis initia qualia.

Bernardus super cat.

Rom. 16.

Ecclesiæ ministri vnde diiudicandi.

niæ habitis, de restituenda Cæsareis legibus, peccatorum confessione, deliberatum sit; quod reipsa animaduersum fuerit, abrogata confessione (quæ velut humanæ intemperantiæ frænum quoddam erat) in omnia turpitudinum atque libidinum, flagitia, & homines & mulieres, solutis habenis, corruisse. Hi sunt igitur fructus qui ex infausto Euangelio consecuti sunt: vt omittam interim tot cædes, tot bella, quibus vniuersus penè Christianus orbis ardet, tot dissidia, adeò vt nec maria à sanguinolentis bellis, & assiduis direptionibus immunia sint. Ab his igitur fructibus noui isti Prophetæ dignosci possunt. Sed hæreticis omissis, ad fideles veniamus, in quibus etiam suum hypocrisis genus inueniri declarat Saluator, cùm subdit: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum*, &c. Hæc Domini verba non ad hæreticos modò, sed ad fideles etiam pertinent. Quod perinde est, ac si diceret: Quid ore me compellatis Dominum, si non facitis quæ præcipio? Si enim me Dominum verè agnoscitis, iussis meis obtemperate. Nihil sanè profuerit hæc honorifica vox, si obedientia desit; imò verò ea nos magis accusabit, cùm arguat aut hypocritam, aut infidelem, qui quod ore confitetur, factis negat. Inter virtutum officia, quædam sunt ad agendum facilia, quædam difficilia. Quidam autem homines, nimiùm sui amantes, ex his officiis ea eligunt, quæ sunt faciliora: vt orare, conciones audire, & Missam, de rebus diuinis sermones cõferre. At difficiliora sunt, seipsum abnegare, carnem cum vitiis crucifigere, malè parta restituere, cupiditates refrænare, cor & corpus castum seruare. Hi enim non sibi, sed illi viuunt, qui propria voluntate, ac omnibus eius desideriis repudiatis, Christi Domini voluntatem (quæ non alia quàm Patris est) tota animi deuotione amplectuntur. Hæc igitur quis neget esse ad agendum difficiliora? Sunt itaque inter fideles non pauci, qui ea, quæ facilia esse diximus, libenter exsequuntur, hæc autem difficilia ne attingere quidem volunt: vtpote qui religionem omnem summis labiis, non in imo corde atque visceribus infixam habeant. Horum igitur Dominus errorem, falsamque securitatem arguit. Regnum cælorum est regnum omnium gaudiorum, cuius opulentiam & gloriã nec oculus vidit, neque auris audiuit: regnum in quod nullus intrat coinquinatus & immundus. Ad hanc autem felicitatem nisi per varios labores & certamina non peruenitur. *Estote*, inquit Ecclesia, *fortes in bello, & pugnate cum antiquo serpent, quo æternum regnum accipiatis. Per multas*, inquit Apostolus, *tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Vide

Hæreticorũ fructus.

Noui Prophetæ vnde dignoscendi.

Virtutum officia.

Christiani nomine qui.

Actor. 14.
Via cæli arcta.

Vide tres Patriarchas, quomodo tentati sint & vexati in hac terra. His exemplis intelligere poteritis, cælorum regnum nequaquam iis patere, qui sola Domini, Domini, appellatione contenti sunt (quod facilè omnibus in promptu est) sed iis qui crucem suam quotidie portant; quíque ita se diuinæ voluntati subdiderunt, vt nullos propter eam labores ac certamina recusent. Iam qui his cladibus conflictantur, intelligant, se nequaquam à Deo derelinqui, sed exerceri magis ac probari, vt se submittant suppliciter Deo; quod est necessitatis, vertãt in materiam virtutis. Iam quis sit arboris malæ finis, inspiciamus. *Omnis*, inquit Saluator, *arbor quæ non facit fructum bonum*, &c. Cultores hortorum sterilem arborem euellunt, eámque reseruant igni: ita cælestis Pater improbos ante diem è medio frequenter tollit, ne cæteris praui operis exemplo noceant. *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes.* Alibi: *In tempore messis, hoc est, in die iudicij, messoribus Angelis præcepturus est, vt zizania in fasciculos colligant ad comburendum.* Colligare in fasciculos zizania, est, adulteros cũ adulteris, impudicos cum impudicis colligare, maledicos cum maledicis coniungere, & æterno igni tradere.

Arboris malæ fructus.

Ioan 15.

Matt. 13.

Gregorius.

DE HYPOCRISI.

CVM hic locus hypocritas perstringat, de hypocrisi nobis hîc nonnihil differẽdum est. Est autem duplex superbia, altera carnalis, qualis est eorum qui de opibus, aut nobilitate, aut potentia gloriantur: altera verò spiritualis, quæ de virtutum splẽdore insolescit. Sic alia hypocrisis est carnalis (sic enim illam appellare libuit) qua quis opes, aut nobilitatem, aut potentiam ostentat, quam non habet: alia verò spiritualis, qua sanctimoniam & pietatẽ fallaci virtutis imagine mentitur. Cùm igitur vulgi homines (quorum infinita penè turba est) adeò vehemẽter & ignominiæ notam fugiãt, & gloriæ dignitatem appetãt: hinc fit vt paupertatem, qua premuntur, quãta possint arte dissimulent, & diuitias quas non habent, simili studio ostentare nitantur. Nullum tantum flagitium est, quod homines non aggrediantur, cùm magna aliqua necessitate & inopia cõstringuntur. Tantas enim vires necessitas habet, vt pias etiam matres ad infantium suorum dilacerationẽ impulerit, effecerítque vt viscera sua in alimentum verterint. Huius morbi remedium est, vt homo intra fines sibi à Deo præscriptos se contineat: neque ambulet in magnis & mirabilibus supra se: idem sit extra, qui intus, in foro, qui in domo: neque aliud fronte osten-

Hypocrisis duplex.

Necessitatis vis.

dat, aliud corde tegat: illudque Ecclesiast. consilium impleat: *Ne accipias faciem aduersus faciem tuam, dum aliud foris ostendis, aliud intus abscondis.* Quisquis autem hoc sibi imperare poterit, sciat magnas se verásque diuitias assecutum. *Est enim* (teste Paulo) *quæstus magnus pietas cum sufficientia.* pro quo alius vertit: *Animus sua sorte contentus.* Talem autem animum adeò felicem Seneca iudicauit, vt dicere non dubitauerit: *Qui desiderium clausit, cum ipso Ioue de felicitate contendat.* Hæc de carnali hypocrisi: nunc de spirituali. Hanc autem hypocrisim duplicem esse statuo: alteram qua homo simulata sanctitatis imagine alios decipere conatur, & vir bonus atque innocens aliis apparere nititur, cùm ipse nequitiæ suæ sibi conscius sit: alteram verò magis occultam, qua ipse se homo decipit, & aliud de se iudicat quàm sit. De priori illa, quæ apertior est, nihil hoc in loco dicam, ne improbis hominibus occasionem bonos viros infamandi, tribuam: qui vt nequitiam suã tegere valeant, illos hypocrisis, & affectatæ laudis, & gloriæ cupidos insimulare solent. Quo etiam nomine sibi ipsis gloriantur, & scurrilitatem atque intemperantiam suam tuentur, quòd his moribus imbuti, quàm longissimè ab hypocrisis vitio se abesse glorientur. De hac nihil dicã, sed de illa, quæ occultissima est, pauca. De ea námque Salomon ait: *Est via quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem.* Huius hypocrisis variæ sunt species. Prima est eorum qui bona quidem opera non tamen bona intentione agunt: qualia erant eorum quibus Dominus ait: *Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. Deus autem nouit corda vestra.* Isti igitur externam illam bonorum operum speciem contemplantes, nec quid in corde lateret, animaduertentes, seipsos decipiebant, sibíque ipsis hypocritæ erãt. Est enim & maxima, & occultissima amoris proprij vis, quæ se frequentissimè diuinis etiam exercitiis immiscet, & aliquid vndecumque captare nititur, quod in carnis suæ cedat commodum aut voluptatem. Multa videntur bona, sed non sunt, quia bono animo non fiunt. Vnde & in Euangelio Veritas ait: *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Quocirca solicitè vir pi⁹ interna sua perscrutetur, & in bonis operibus quæ agit, studiosè inquirat, quid præcipuè ipsum ad opus bonum moueat, sempérque sibi diffidens, de sui ipsius amore sibi suspectus sit, ne cùm Dominus tempus acceperit, quo iustitias iudicabit, & renes, & corda scrutabitur, manifestabítque consilia cordium, pro auro aurichalcum; & pro vera iustitia, falsam in eo deprehendat. Sunt nonnulli, qui ex

qua

Eccles. 4. — *1. Tim. 6.* — *Seneca.* — *Prou. 14.* — *Hypocrisis species.* — *Matth. 6.* — *Luc. 16.* — *Gregorius.* — *Matth. 6.* — *Pij studiũ.*

quadam consuetudine inclamant, *Domine*, *Domine*, sine vllo mentis affectu: qui strepitu magis labiorum, quàm affectu mentis Dominum honorant. Non diuinæ suauitatis gustus, sed charitatis affectus, virtutũ officia, laborum patientia, cupiditatum cohibitio, vitæ puritas, & cordis humilitas, veræ sanctitatis argumenta sunt. Qui sibi ipsi placent de suis virtutibus, & oblata aliqua tentatione, de statu mentis deiiciuntur, designãtur per semen quod supra petram iactum, hybernísque aquis nutritum, adoleuit, quod postmodùm, incalescente Sole, arefactũ est. *Ego*, inquit Propheta, *dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Videtis ergo quàm fallax de se homo iudiciũ proferat, cùm diuina illa consolatione circumfluit? Cognoscat se homo fragilem, nec sibi plus tribuat, quàm illa veræ virtutis argumẽta, quę paulò antè diximus, declarãt. Aliter enim, *qui se existimat aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit, sibique ipsi hypocrita est.* Cùm autem adeò fragilis & imperfecta multorũ iustitia sit; bona iustitiæ pars est, vt hanc ipsam infirmitatem suam humiliter homo agnoscat. Quod qui non facit, dupliciter in officio delinquit: & quia non plenè præstat quod debet; & quòd humilem sui cognitionem, quæ huius infirmitatis remedium erat, sibi subtrahit. Faxit autem Deus, vt voluntatem Patris æterni, tanquam legitimi filij exsequentes, cælestis patrimonij hæreditatem, filiis adoptionis promissam, eodem Patre donante, cernere mereamur. Amen.

Sanctitatis argumenta.

Luc. 8.

Psal. 29.

Galat. 6.

Homo fragilis.

DOMINICA OCTAVA POST PENTECOSTEN, CONCIO: IN QVA post Euangelicæ lectionis enarrationem, de reddenda totius vitæ nostræ ratione agitur.

THEMA. *Redde rationem villicationis tuæ, nec enim poteris vltrà villicare.* Lucæ 16.

CVM vnigenitus Dei Filius ad hoc à cælesti Patre in hunc mundũ missus fuerit, vt ea quæ in cælo & in terra sunt, restauraret, & salutẽ humanam constitueret (hac enim de causa Saluatoris mũdi nomẽ sortitus est) varias hominibus expellendæ salutis vias in Euangelio proposuit. Aliis enim innocẽtiæ, aliis

Via ad cælum qua.

pœnitentiæ,aliis crucis & patientiæ, aliis paupertatis Euãgelicæ viam proposuit:per quas homines gradiẽtes, aditum sibi ad sempiternam gloriam patefacerent. Quia verò non omnibus per has vias ingredi perfectè datum est: aliam multò faciliorẽ in hodierna sancti Euãgelij lectione proponit,quæ misericordiæ & beneficentiæ officiis continetur:quæ facit, vt misericordiam apud Dominum in iudicio inueniat,qui misericordiæ officiis erga conseruos vsus est. Vt autẽ virtutis huius fructum,& salutarem vim commendaret,hanc nobis parabolam in Euangelica lectione proponit,quæ sic habet:*Homo quidã erat diues, qui habebat villicum:& hic diffamatus est apud illum,quasi,&c.*

AVE MARIA.

HAEC parabola, Auditores, quam simplicibus verbis Dominus proposuit, multis quidẽ mysteriis referta est:ideóque diligenter à nobis tractanda, & à vobis attentiùs audienda est. Ait igitur Dominus:*Homo quidam erat diues*, &c. Hic homo Christus Dominus est,qui non hominis solùm,sed etiam Dei filius paternæ hæreditatis, & gloriæ hæres est: qui licèt in arctissima paupertate in hoc mundo vitam egerit,natus in stabulo,nudúsque affixus patibulo;& alieno cõditus tumulo fuerit: quatenus tamen Dei Filius est,vniuersorum est hæres, atque Dominus. Eius enim illa est vox in libro Iob: *Omnia quæ sub cælo sunt:mea sunt.* Hic igitur est homo diues: qui etiam est diues in misericordia,& diues in omnes qui inuocant illum. Hic autem homo villicũ habet:villicus autem,id est,rerũ Domini dispẽsator,vnusquisque nostrûm est: cuius obsequio Dominus omnia huius mundi bona destinauit. *Omnia enim subiecit sub pedibus eius:oues & boues vniuersas,insuper & pecora cãpi,&c.* Hæc enim omnia Dei dona sunt,humanæ vitæ vtilitati seruiẽtia: vt eis videlicet homo & vitam suam tueri, & naturæ suæ cõsortes iuuare posset. Hac enim lege omnia hæc illi bona tradita sunt, vt ea fideliter distribuens, fidelis dispensatoris officio fungeretur. Quia verò,qui huius mundi opibus abundant,non semper eis ad aliorum vtilitatẽ,sed ad luxum, & libidinem, & fastum,corporisque delicias vtuntur, ideò apud Dominum infamantur,quòd eius bona non dispensent, sed dissipent. Quocirca villicum suum ad se Dominus aduocãs,ait: *Quid hoc audio de te?* Quo verbo Dominus in cælo residens,se omnia,quæ in terris geruntur,intelligere ostendit. De eo námque scriptum est: *Auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abscon-*

Rom. 10.

Villicus quis sit.

Psal. 8.

Bona cur tributa.

Diuitiis qui abutãtur.

Sap. 1.

abſcondetur. Nec ſolùm audit, ſed etiam videt, ſicut ipſe ait: *Et faciebatis malum in oculis meis.* Omnia enim nuda & aperta ſunt oculis eius: quãuis improbi homines vſque adeò ſe in omnia ſcelera effundant, vt non quidem verbis, ſed re ipſa teſtari videantur quod eſt in Pſalmo: *Et dixerunt, Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Vnde Eccleſiaſticus impudicum & adulterum hominem ſic ſecum ratiocinantem inducit: *Quis me videt? Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me; quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur altiſſimus.* Et non intellexit, quoniam oculi Domini multò plus lucidiores ſunt ſuper ſolem, circunſpiciẽtes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abditas partes. Quam Eccleſiaſtici ſententiam prophana etiam Philoſophia confirmat. Interrogatus enim Thales, vnus ex ſeptem Græciæ ſapientibus, an lateret Deum homo malefaciens, reſpondit: *Ne cogitans quidem.* Animaduertat ergo impudicus homo, ſe in oculis Dei, omnia cernentis, peccare; pudeátque illum, Dei oculos nõ vereri, qui viliſſimorum etiam hominum, dum delinquit, oculos vereretur. Neque verò, quoniam in cælo reſidet, à longè illum proſpicere exiſtimet, propior eſt enim illi quàm homo ipſe ſibi: à quo in barathrum præcipitari tunc poſſet: qui tamen ob immenſas benignitatis ſuæ diuitias, peccãtem ad pœnitentiam exſpectat. *Quid hoc*, inquit, *audio de te?* Quamuis ſcelera noſtra omnia Deo aperta & conſpicua ſint, & Angelorum quoque, qui vnicuique noſtrûm adſunt, relatione res noſtras intelligat: nihil tamẽ hoc in loco decernere voluit, niſi priùs reum ipſum conueniret, & illius confeſſionem audiret: iudices ſeculi exemplo ſuo admonens, ne cuiuſquam delatione ſententiam aduerſus inauditam partem proferant. Sæpe enim delatores longè aliter, quàm ſeſe res habeat, eam proferunt: cùm præſertim præcipitatio, iudicij nouerca eſſe dicatur. In hoc peccauit Dauid, delatori Sibæ aduerſus Miphiboſeth credẽs. Admonet etiã nos, ne facilè aſſenſum detrahentibus præbeamus. *Quid*, inquit, *hoc audio de te?* Mira planè hominis huius diuitis lenitas & patientia. Alius rerũ ſuarũ iactura exacerbatus, diceret: Furcifer, latro, prædo, & bonorũ meorum diſſipator, fideique datæ proditor, cur bona mea diſſipaſti? in crucem te agam, donec ſoluas. Nihil horum dicit; ſed blãdè leniterque ait: *Quid hoc audio de te? Redde rationẽ villicationis tuæ.* Hac igitur diuitis hominis propoſita mãſuetudine, Dominus clemẽtiæ atque lenitatis ſuæ magnitudinẽ voluit declarare: qui ſe adeò clemẽter cũ peccatoribus gerit, vt illos ad pœni-

Hebr. 4.

Pſal. 93.

Eccl. 23.

Deus omniſcius.

Iudices qd agere debeant.

2. Reg. 16.

Facies in peccato duæ.

tentiam non solùm exspectet, sed etiam vocet, & adiuuet. Duæ sunt in peccato facies: altera ad indignationem, ex rei indignitate; altera ad compassioné, ex infinita eius miseria prouocat. Dominus autem aliquando illam, quandoque istam faciem contemplans, stupẽda iudicia & opera exsequitur. Initio quippe mundi eam faciem intuẽs, quæ indignationem excitat, tanta aduersus illam ira commotus est, vt vniuersum terrarum orbem, quem paulò anteà condiderat, & omnia quæ in eo erant, immissa aquarum inundatione, deleuerit. At in fine mũdi eam faciem intuitus, quæ miserationem commouet, sic erga illam affectus fuit, sic misericordiæ eius viscera commota sunt, vt profuso sanguine suo, mundum à sempiterna morte redemerit. Illa igitur prior facies inspecta mundum perdidit: hæc verò perditum seruauit. Quo exemplo nos quoque, Auditores, in proximorum erratis ab indignationis facie oculos auertẽtes, illam intueamur quæ miserationem magis & compassionem commouet. Illud enim ad superni iudicis æquitatem; hoc ad miseriæ nostræ infirmitatem magis spectat. Non igitur partes iudicis inuadamus, sed nostras nobis assumamus. Contingere potest, vt quem nos gehẽna dignum iudicamus, vita æterna sit dignus. Graue enim peccatum admittimus, cùm aduersus aliena errata temerè grauiter indignamur. Sed redeamus ad villicũ. *Redde rationẽ villicationis tuæ, iam enim nõ poteris vltrà villicare.* His Domini verbis adeò villici pectus sauciatum fuit, vt intra se diceret: *Quid faciã, quia Dominus meus aufert à me villicationẽ?* Hoc est, quò ibo? quid cõsilij capiam? Duo enim mihi ingentia mala proposita sunt: vnum, vt rationem reddam eorum bonorum quæ dissipaui, quod vix possum: alterũ, quod mihi molestius & acerbius est, villicationis officium mihi esse adimendum. Quid igitur hoc tempore faciam? quomodo mihi, liberisque meis prospiciam? qua ratione vitam inopem sustentabo, qui anteà domini mei opibus circumfluebam? Pessimum enim infelicitatis genus est, fuisse felicẽ. *Quid igitur faciã? Fodere non valeo, mendicare erubesco.* Vtraque me res, & rationis periculum, & futuræ inopiæ malum, vehementer angit. His exemplis vtimur, quòd alia non habeamus. Si igitur hic villicus vsque adeò angebatur, quòd apud Dominum furti reus ageretur, pœnámque siue capitis, siue carceris, meritis suis debitam, formidaret: quanto magis quisque nostrûm trepidare debet, cùm recolit se æquissimo illi iudici, totius anteactæ vitę, perceptorúmque bonorum rationem redditurum: quando non carceris, aut capitis, sed æterna pœna trãsgressoribus proposita est?

Genes. 7.

Proximo vt misereamur.

Infelicitatis genus malum.

Trepidatio nostra.

est? Quantum enim inter tempus & æternitatem, tam latum inter vtramque pœnam discrimen est. Hac autem de causa viri etiam sanctissimi superni iudicis faciem præuenientes, seipsos (vt Apostolus monet) iudicabant, vt ante eius tribunal iudicati, non iudicandi apparerent; de seipsis supplicium sponte sumentes, ne ad æterna supplicia damnarentur. Quid hic dicet improbus homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem: qui toties iram iudicis irritauit, toties leges eius perfregit, nec tamen vnius diei inediam ad redimenda tot crimina passus est? Quis hic dæmonis præstigias atque dolos, homines decipientis atque excæcantis, nõ agnoscat? Quid verò illud, si ad vitæ nostræ iudicium referatur? *Non poteris vltrà villicare?* Hoc est vbi primùm animam afflaueris, nulla tibi satisfaciendi, aut placandi iudicis opportunitas suppetet. Quandiu enim in hac vita sumus, locus misericordiæ, locus veniæ, locus pœnitentiæ, precibus, ieiuniis, eleemosynis, cæterisque remediis est: vbi autem ab hac excesserimus, hæc omnia subsidia (nisi cùm viuentium suffragiis adiuuamur) nobis interclusa sunt: ideóque, nisi nobis in hac vita prospexerimus, in altera nulla spes reliqua nobis est. Quæ res facit, vt viri etiã innocentissimi hoc mortis iudicium vehementer reformident. Iob huius rationis metu perculsus, idem pœnitendi spatium petebat: *Dimitte*, inquit, *me vt plangam paululùm dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine.* Hoc petebat, qui Domini testimonio neminem in terra similem habebat, quique de se dicere potuit: *Pater eram pauperum, oculus fui cæco, & pes claudo.* In omnibus suis negotiis ita se gerebat, vt de eo scriptum sit: *In omnibus his non peccauit Iob labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.* Heu me miserum & infelicem! Si tales viri, qui à Spiritu sancto, certissimo veritatis magistro, erudiebantur & agebantur, sic trepidabant, sic angebãtur: quid nos miseri facimus, qui toties peccata peccatis, & scelera sceleribus cumulamus? Vnde tantus hic stupor, tanta cæcitas? An hæc fortè cæcitas, noua peccati pœna est? Si innocentissimos viros tot suscipere labores videmus, vt se ad hanc rationem reddendam præpararẽt; nos, qui sordidæ carnis mancipia fuimus, qui nõ Deo, sed seculo tota vita seruiuimus, qui vix obolum Christo pauperi porreximus, quomodo tam securè agimus? Quis nos ita fascinauit, & excæcauit; vt hanc tãtam rem neque vnquam cogitemus, neque nos ad illam opportunè præparemus? qui sic vitam instituimus, quasi ea omnia, quæ credimus, mera somnia, & puerorum terriculamenta.

2. Cor. 11.
Iob 15.
Operãdum dum tempus.
Iob 10.
Iob 1.
Iob 29.
Iob 1.
Iniquitas nostra quæ

putaremus. Animaduerto, Auditores, iamdudum vos à me requirere, quid facto opus sit, vt hoc tantum discrimen euadere possitis. Ad hoc nobis cælestis Magister huius villici exemplo salutare remedium prouidet, cùm ait: *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis*, &c. Diuitias Syriaca lingua Mammona appellari D. Hieronymus ait. Cur autem iniquitatis nomen illis Dominus affingat, illud in causa est, quòd frequenter malis artibus parentur, & ad malum, hoc est, ad fastum, luxum, delicias, multos mortalium alliciant. Nulla est in diuitiis iniquitas, sed in abusu earum. Cùm enim (vt Sapiens ait) pecuniæ obediant omnia; qui pecuniosus est, si diuino timore destitutus fuerit, ad quæuis facinora parata habet instrumenta. Qua de causa Dominus formidandam illam sententiã protulit: *Quàm difficilè, qui diuitias habent, intrabunt in regnum cælorum!* Supernus ille Princeps hæc temporaria bona nobis tradidit, pro quibus, si iis bene vsi fuerimus, posteà regnũ cælorum ea benè dispensantibus, tributurus est. Pecunia est res vltissima: pro hac rem omnium maximam, id est, cæleste regnum, quod sancti Martyres fuso sanguine, atque membrorum omnium dilaceratione mercati sunt, nobis clementissimè tribuit. Quid enim clementius, quàm ea re immensas illas, & sempiternas cælestis gloriæ opes, quarũ dignitas & magnitudo neque oculis cerni, neque vllo sensu comprehendi potest, nobis ob exiguum metallum donare, quo domestica vtensilia, & huiusmodi quisquilias emere solemus? Constat nihil esse in mundo peccato vilius, abiectius, magísque detestandum; proximè verò ad hanc summam vilitatem pecunia accedit: quæ licèt peccatum non sit, materiam tamen & occasionem plurimis peccatis præbet. Quò ergo magis diuina bonitas & charitas inclinari potuit, quàm vt sempiternũ illud beatitudinis regnũ, hominibus pro re adeò vili & contemnenda partiret? Hac ergo de causa Dominus de diuitiarum iniquitate mentionem fecit, vt hanc tantam cælestis Patris dignationem hominibus declararet. Cúmque homines diuitiis quæstum & lucra augere studeant, ostendit hac parabola, qua ratione vera lucra, non temporaria, sed æterna, per eas lucrari valeamus. Postremò, cùm diuites ferè velint à pauperibus multum rogari, & velut benefactores ab eis haberi, Dominus contrà significat, pauperes potiùs à diuitibus quærendos, & ambiendos, ac necessitatis beneficia eis obtrudenda, vt eos apud Deum habeãt patronos & intercessores. Qui itaque nunc temporale subsidium pauperi tribuit, ab eo postmodùm perpetua recepturus, vt ita dicam, quasi

Mammona quid.

Diues iniquus.

Matt. 19.

Pecunia res vilis.

Pauperes qui honorandi.

Gregorius.

ad frugem terram excolit, quæ, quod accepit, vberiùs reddit. Rectè ille ait: *Manus pauperis est gazophylacium Christi: quia quicquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo homo pauperi terram, vt accipias cælum: quia quicquid pauperi dederis, tu habebis. Petit Deus, non sibi, sed tibi. Humanam misericordiam petit, vt largiatur diuinam. Dicturus in iudicio Dei causam, patronum tibi misericordiam, per quam liberari possis, assume. Qui de patrono misericordia certus est, de venia sit securus, de absolutione non dubitet. Beati*, inquit, *misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur. Gratis misericordiam sperat sibi, qui hîc non fecerit misericordiam.* Hæc sunt huius optimi viri aurea verba. Sancti Angeli sunt animarum misericordium portitores ad cælum. Nemo tamen sibi persuadeat, sola eleemosynarum largitate salutem sibi parari posse, si aliàs vitam ab omni lethalis criminis labe, præcipueque ab omni carnis lasciuia immunem conseruare non studeat. Quid enim proderit larga manu eleemosynas facere, si adulter, fornicator, aut impudicus & raptor sis? Nunc ergo, Auditores, in potestate nostra est, qualem supernum iudicem, in hoc tanto discrimine inueniamus. *Durus est*, inquit D. Augustinus, *duris: mitis est piis.* Simus ergo in pauperes benigni & pij, vt pium iudicis vultum illa hora inuenire mereamur, à quo benignè adspici, est in æternum seruari. Opportunè ergo nos ad hunc diem præparemus: quandoquidem ad hoc nobis vita ipsa Dei munere data est, vt in illo die cum prudentibus virginibus parati simus, non autem cum fatuis parari tunc incipiamus. Tunc enim non tam villicandi & negotiandi, quàm retribuendi & iudicandi tempus est. Itaque sola tunc illa miseris superest querela: *Transit messis; finita est æstas; & nos saluati non sumus.* Pœnitentiæ tempus transiit, recipiendi adest.

Chrysologus.

Misericordia patronus erit.

Matth. 5.

Iacob. 4.

Ambrosius.

Eleemosyna quatenus prosit.

August.

Matt. 25.

Ierem. 8.

TRACTATIO THEMATIS.

REDDE *rationem villicationis tuæ*, &c. Religionis fundamentum est, quod in fine Ecclesiastes ait Salomon: *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, siue bonum siue malum sit.* Hæc sententia à Catholica fide indubitata tenetur. Hanc etiam Philosophi credunt, nempe impiis apud inferos parata esse supplicia, iustis præmia decerni. Per Prophetam Dominus aliter sentientibus comminatur: *Visitabo super viros infixos fæcibus suis, & super omnes qui dicunt: Non faciet Dominus malè, & non faciet bene.* Constat non modò fide, sed etiam ratione in altera vita bonorum & malorũ discrimen esse

Eccl. 12.

Cicero in Rhetor.

Sophon. 1.

Libidinis intemperantia taxatur.

esse futurum, ac proinde iudicium de vtrisque. Hinc Apostolus: *Statutum est*, ait. *hominibus semel mori, post hec autem iudicium.* Tunc enim hæc vox vnicuique nostrũ in auribus insonare debet: *Redde rationem villicationis tuæ.* In hoc autẽ iudicio nihil eorũ deerit, quæ in humanis iudiciis intercedere solent. Erunt enim in eo accusatores, testes, reus pariter, & iudex, & iudicij materia, de qua ratio exigenda est. Accusatores erũt dæmones, qui nihil, quod ad dãnationem nostram faciat, prætermittent. Testes erunt sancti Angeli, qui nobis ad custodiam dati sunt. Testis etiam erit ipsa consciẽtia nostra, quæ pro mille testibus esse dicitur. Testis etiam erit ipse iudex, qui de se ait: *Ego sum iudex & testis.* Omnia enim delicta in oculis cuncta cernentis admittimus. Quid igitur hunc iudicem latere poterit? *Oculi,* inquit Iob, *eius super omnes vias hominum, & omnes gressus eorum considerat. Redde*, ergo, *rationem villicationis tuæ: iã enim nõ poteris vltrà villicare.* hoc est, vbi ex hac mortali vita excesseris, nõ iã negotiãdi & villicandi, hoc est, pœnitẽdi aut satisfaciẽdi, merẽdi aut demerẽdi, sed recipiendi quæ merueris, tẽpus est. *Quid igitur faciam,* ait reus homo, *quia Dominus meus aufert à me villicationem?* Quid faciam, vbi ad tribunal iudicis cuncta cernẽtis sistendus ero? Quid faciam, si nullos apud iudicem patronos, nulla virtutum merita mecũ tulero? Quid postremò faciam, cùm totius vitæ meæ, hoc est, omnium diuinorũ beneficiorũ, omniũmque maleficiorũ meorũ rationẽ redditurus sim? quæ tantò erunt grauiora, quantò beneficia maiora fuerunt. Ibi alij respondebunt, se omnia in vsum vitæ expendisse, alij se opes suas in ludo, epulis, vino, vestibus, voluptatibus insumpsisse. Quid igitur isti, qui sic Domini sui bona dissiparunt, aliud in extremo illo iudicio expectare poterunt, nisi quod iam anteà ex Domini sententia definitum est: *Discedite, à me maledicti in ignem æternum?* &c. Hinc etiam Dominus non iam externorum bonorũ, sed pretiosi sanguinis sui rationẽ exiget, quem ille profudit, qui animam sanguinis eius pretio redemptam perdidit. Erit & alia reddenda ratio de bonis internis. Redde enim, inquiet iudex, rationem adiumentorum omnium, quæ tibi ad bene viuendum contuli, hoc est, fidei, baptismatis, doctrinæ, Sacramentorum, admonitionũ, diuinarum inspirationum, quibus toties ad ostium mentis tuæ pulsans, ad studiũ te vitæ melioris excitabam. Tu his omnibus ingratus, nec pretio sanguinis mei dignitatem tuã existimasti, nec amori meo vicẽ reddidisti, nec tot exemplis ad virtutem aliquid addidisti. Vbi iam sunt amici tui, opera tua, talenta aucta, quæ te possunt

Iudicium diuinum.

Hier. 29.

Iob 34.

Patroni necessarij.

Matth. 25.

Ratio reddẽda qualis.

possunt recipere in tabernacula sua? Quid hîc respondebunt, qui nihil minus quàm de hac ratione reddenda cogitarunt? qui sic vixerunt, vt se ad hãc solùm vitam fruendã natos crederent? Nec de nobis solùm, sed de iis etiam qui nostræ fidei commissi sunt, exigenda ratio est, hoc est, de famulis, filiis, ac domesticis omnibus, si eos, vt par erat, erudiuimus, corripuimus, pauimus, & honestè tractauimus. Scriptum est enim; *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* At quanta cura Iob pro suis filiis solicitus erat, qui pro illis sacrificia offerebat? *Ne fortè*, inquit, *peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis:* hoc est, ne aliquid diuina maiestate indignum, aut corde conceperint, aut ore pronunciauerint. En cùm iustus vix saluetur, quid flagitiosus homo est dicturus, qui tam multorum criminum sibi cõscius est? Sanctissimus Iob quãtũ huius rationis reddendæ metu horreat ac trepidet intelligimus: *Oculi tui*, inquit, *in me, & non subsistã.* Solo enim vel irato adspectu me prosternes, & ad nihilum rediges. Ideò & alibi ait: *Qui, etsi habuero quidpiam iustum non respondebo, sed meum iudicem deprecabor.* Si ergo qui iustum aliquid habet, Deo respondere non audet: quid facient, qui vix aliquid iustum habent? qui vitam in omnibus libidinibus, ludis, epulis, fastu, luxu, & in omni voluptatum intẽperantia traduxerunt? Quid dicent iam damnati? Ah quoties huius rei admoniti fuimus, nec tamen monentibus auscultare voluimus! Quis nos ita fascinauit, quis de mẽte deduxit, vt tãta mala, quæ certissima fide improbis impẽdere videbamus, vitare nũquam voluerimus? præsertim cùm nihil vel difficile, vel nimis arduũ exigeret? Sola à nobis Dei & Ecclesię obedientia exquirebatur, quam Dominus iugum suaue, & onus leue nuncupauit: & ne hoc quidem tam exiguo pretio atque labore tantũ hoc malum vitare curauimus. Nihil sanè excusare possumus, sat habuimus admonitionum, sat temporis; at nostra tarditate ne horã vnam tractandi seriò nostræ salutis causam impendimus. Hic est igitur immortalis ille vermis, qui non minùs quàm inextinguibilis ignis miserorum viscera depascit, quique nihil aliud cogitare finit, quàm quod eos incessanter excruciat. Quod igitur his tãtis malis remedium adhiberi potest? Sola, Auditores, pœnitentia est, quæ secunda post naufragium tabula esse dicitur: cuius est, præterita plangere peccata, & plangenda iterum non committere. Habeamus opportuni temporis villicandi rationem: faciamus nobis amicos de Mammona iniquitatis: opes nostras per manus pauperum in cæleste Regnum trãsferamus, quibus

1. Tim. 5.

Iob 1.

1. Petr. 4.

Iob 7.

Iob 9.

Iudicium extremum districtũ.

Pœnitentia arripienda seriò.

quibus hæc nobis tabernacula comparemus. Das terram, accipis cælum: das temporaria bona, recipis æterna: das quod hîc relinquendum est, & recipis quod perpetuò tecum manendum est. Amen.

DOMINICA NONA POST PENTECOSTEN, CONCIO: IN QVA post Euangelicæ lectionis explanationem, de diuinorum iudiciorum seueritate, & odio aduersus peccatum, disseritur.

THEMA. *Videns Iesus ciuitatem, fleuit super eam, dicens: Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, &c.* Lucæ 18.

HABEMVS in hac sacra lectione, Auditores, misericordiæ & charitatis Christi insigne argumētum: qui futuram Hierosolymitanę ciuitatis ruinam (quæ iam anteà in mortē illius coniurauerat) piissimis lacrymis prosecutus est. Quo autem tēpore hęc Domini lamētatio contigerit, explicabo. Cùm iam tempus appeteret, quo is seipsum pro generis humani salute in ara crucis immolare destinauerat, vt morte sua, omniū mortem aboleret; hoc est, vt mortem non debitam, pro debita omnium morte Deo Patri offerret, ad passionis locum sponte venire, & se ad mortem parare voluit. Vt autem qua animi alacritate se ad hoc sacrificium offerret, omnibus esset cōspicuū, voluit cum magna totius ciuitatis lætitia & gratulatione, cum ramis palmarum & oliuarum, puerorūque acclamatione, ipsius regnum & gloriam prędicantium, excipi; quasi non ad crucem, sed ad regnum; non ad mortem, sed ad epulum, & optatas nuptias properaret. Verè enim in cruce nuptiæ cum Ecclesia celebratæ: verè in cruce Christi regnum constitutum fuit: *Regnauit enim à ligno Deus.* Quid igitur in hac solenni pōpa Dominus? quid inter tot populorum laudes & acclamationes fausta omnia & læta precātium? quid in hac cōmuni omnium lætitia animo agitabat? Tantum abest, vt Saluatoris nostri animus his tantis laudibus applauderet, vt eo potissimùm tempore, amarissi

Christus sponte passus est.

Nuptiæ Christi in cruce.

rissimas lacrymas,nõ ob suam indignissimam necem,quæ iam instabat; sed ob futurum miserandæ ciuitatis excidium, piissimo corde profunderet.

AVE MARIA.

VT *appropinquauit Hierosolymis,videns ciuitatem,* &c. Vox illa:*Si*,optantis interiectio est, sicut ibi:*Si occideris Deus peccatores.* Optabat enim pius Dominus, qui vult omnes homines saluos fieri,vt felicitatem,quam cælestis Pater Filio suo ad eorum salutem misso offerebat, cognoscentes, illum tota animi deuotione & alacritate reciperent,quo bonorũ & gratiarũ eius participes efficerentur. Populus ille erat obcæcatus,bona salutis suæ non cognouit,quæ ab eius oculis erãt abscondita,quod Dominus vehementer doluit. Medicus salutis Dominus ab eis furiosis planè expulsus est,quem illi prorsus habere noluerunt. Intelligimus ex piissimis Domini lacrymis & verbis, quàm is non gaudeat,imò verò doleat interitum impiorum.Verè enim ipse est, qui ait: *Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat. Conuertimini, conuertimini à viis vestris pessimis: & quare moriemini domus Israël?* Et apud Hieremiam significat, quantopere desideret & exspectet peccatorum pœnitentiam,cùm ait:*Nunquid qui cadit,non resurget? Et qui auersus est, non reuertetur?* Docet autem hoc in loco nos exemplo suo, vt fratrum nostrorum calamitates & peccata perinde atq; nostra lugeamus: quandoquidem omnes corporis vnius sub Christo capite membra sumus. Ea enim lex atque natura mẽbrorum est,vt si gaudeat vnum membrum,cõgaudeant & cætera membra:siue doleat vnum membrum, condoleant & cætera membra. Nos autẽ,vbi res nostras in tuto positas esse arbitramur,parum Ecclesiæ mala,quæ tum à Turcis,tum ab hæreticis patitur,curamus. Fleuit etiam Dominus, quòd intellexit alacritatem & religionem illam, qua ipsum populus excipiebat, nequaquam diuturnam futuram. Quem enim modò Israëlis regem faustis vocibus prædicabant,paucis pòst diebus ante Præsidem negaturi erant,atque dicturi: *Non habemus Regem,nisi Cæsarem.* Et cui modò applaudebant,dicentes:*Benedictus qui venit in nomine Domini:* posteà, *Tolle, tolle, crucifige eum.* Sic multi tempore Paschatis sunt deuoti, confitentur peccata suã, qui posteà eadem repetunt crimina. Sunt similes suibus, quæ lotæ sunt in volutabro. Hanc illis cæcitatem peperit ambitio,inuidia,& auaritia. *Erant ex Principibus nonnulli qui Dominum agnouerunt, verùm propter Pharisæorum metum*

Psal. 132. Iudæi obcæcati. Ezech. 18. Hier. 8. Ioan. 19. Matth. 21. Ioan. 19. 2. Petr. 2. Ioan. 7.

metum non audebant confiteri. Dilexerunt enim magis gloriam hominum quàm gloriam Dei. En quid ambitionis pestis, quid liuor & inuidia, quid malorum omnium radix auaritia pariant: quæ infelicem hunc populum, non modò hoc tanto thesauro spoliarunt, sed illum etiam ad teterrimum & inauditum crudelitatis facinus impulerunt. Vide quò Iudam auaritia detrusit. Qua autem seueritate sceleratos & impios homines tractet, omnia Prophetarum volumina, quæ furorem & iram indignantis Domini aduersus illos denunciant, apertissimè declarant. Legat pius lector quintum caput Ezechielis: in eo enim horrendas diuinæ iustitiæ minas, quæ ipsum obstupefaciant, deprehendet. Diuina natura non tam ad misericordiam, quàm ad iustitiam est propensa: in hac enim Euangelica lectione vtriusque virtutis clarissima exempla animaduertere possumus. Quantum enim diuinæ iustitiæ opus fuit Hierosolymitanæ vrbis excidiũ, atque vastatio, in qua vndecies centena hominũ millia ferro, fame & peste interẽpta, & nonaginta septem millia post excidium ciuitatis in captiuitatem abducta sunt? An igitur post diluuium, in quo vniuersus orbis aquarum inundatione interiit, similis clades in toto terrarum orbe vel visa vel audita est? Quantam igitur Dominus in hac vastatione seueritatis atque iustitiæ suæ significationem dedit? At quãta illa pietas & misericordia, quæ hanc funestissimam cladem longè antè præuisam, amarissimis lacrymis prosecuta est? Ter enim in vita Dominus plorasse legitur. Semel quidem in quatriduani Lazari resuscitatione, propter Iudæorum incredulitatem atque perfidiam, quæ nec illo tanto miraculo erat fidem perceptura. Ac deinde in cruce moriens, quando cum clamore valido & lacrymis seipsum pro nobis hostiam obtulit Deo Patri. Et postremò hoc in loco, cùm instante mortis suæ tempore, non quidem imminentem mortem suam, sed futuram eius vrbis & gentis vastationem fusis lacrymis lamentatus est. Hæc enim illius gentis clades multò magis eius piissimam animam, quàm mors, quę illi imminebat, sauciauit. *Filiæ Hierusalem, nolite flere,* inquit, *super me,* &c. Quas voces in huius vrbis obsidione feminas iactasse certum est: quando eò famis diritas processit, vt matres, repudiato naturæ sensu, infantes suos iugularent, & in alimentum verterent.

Matt. 26. *Ezech. 5.* *Hierusalẽ excidium.* *Fleuit Christus ter. Ioan. 11.* *Hebr. 5.* *Luc. 23.* *Iudæorum clades magna.*

Quo autem supplicio hæc tanta populi perfidia & immanitas plectenda esset, exponit deinde Dominus, cùm subdit: *Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te,* &c. Hanc cladem Esaias in spiritu vidit, vbi ait

Esa. 13.

ciuita

ciuitatem in solitudinem redigendam, & ciues omnes ab ea exterminandos. Hæc ideò inquit Saluator accidisse illi, eò quòd ciuitas non cognouerit tempus visitationis suæ. Quotidie Dominum docentem audiebant, sic tamen animo affecti erant, vt audientes non audirent: & cùm clarissima signa in oculis & aspectu eorum ederet, videntes non viderent, quando illi dicebant: *Magister, volumus à te signum videre.* Adeò enim cæcitatis morbo perculsi erant, vt inter tot, támque magnifica signa, signum quærerent. Cuius cæcitatis pœnam idem Dominus designauit, cùm dixit: *Si signa non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent,* &c. Ex hac lamentabili historia intelligimus, Auditores, in quanto salutis discrimine versentur ij, qui peccata peccatis, & scelera sceleribus addere non cessant. Hac enim praua consuetudine eò tandem deueniunt, vt in hunc mentis stuporem & cæcitatem incidant. Ex hac autem cæcitate illud consecutum est, vt miseranda ciuitas visitationis suæ tempus ignorans, tandem funditus euerteretur. Quam rem Dominus auium comparatione per Prophetam exponit, cùm ait: *Miluus in cælo cognouit tempus suum, turtur, & hirundo & ciconia,* &c. Quo exemplo, populi sui cæcitatem exaggerat: qui & rationis, & fidei, & Scripturarum sanctarum lumine instructus, non agnouit quod auiculæ rationis expertes norunt: quæ pro temporum varietate, & cælum & locum incolumitati suæ apta commutare solent.

Matt. 12.

Ioan. 15.

Aues nos docent sapientiam. Ierem. 8.

Sed Iudæos missos faciamus, & ad nos ipsos veniamus, ad quos hæc Dominica visitatio, & allata in mundum pax, non minùs quàm ad illos pertinet. Pacis autem nomine non solùm hæc pax, quam cuncti hoc nomine intelligunt, sed bonorum omnium, spiritualiúmque diuitiarum complexio significatur. Hoc fausto nomine Euãgelium sonat, id est, lætum nuncium. Ex cuius etiam argumenti tractatione, quid Redemptori nostro, tantorum bonorum auctori, debeamus, quantóque erga illum amore exardescere teneamur, facilè intelligemus. Non venit ad nos vacuus, sed tantis opibus atque diuitiis redũdans, quantas nulla mens, neque hominum, neque Angelorum concipere queat. Quas opes Apostol⁹ imperuestigabiles appellat, quòd earum dignitatem & magnitudinem nulla vis ingenij inuestigare, & iustis ponderibus librare queat. Hinc Regius Vates: *Apud Dominum,* inquit, *misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Verè copiosa, quæ tantis diuinæ gratiæ opibus locupletata est, vt multò maius pretium pro captiuorum redemptione Deo Patri persolutũ sit, quàm quod illi debebatur. Has

Pacis nomine quid.

Psal. 129.

tantas opes, has salutis diuitias, sapientiæ videlicet & gratiæ, secum Christus Dominus importauit, cùm *per viscera misericordiæ suæ visitauit nos oriens ex alto.* Hæc gratia est patens fons, non signatus: vt quisquis voluerit bibere, & animæ suæ sordes abluere, bibat aquam vitæ gratis. Vtrumque autem, hoc est, gratiarum abundantiam, & hauriendi facultatem, Esaias explicauit, cùm de Ecclesiæ opibus disserens, eam esse ait locum fluuiorum, riuos latissimos atque patentes. Visitat nos, cùm beneficiis ad sui amorem excitat. Hoc autem modo Propheta visitari petebat, cùm diceret: *Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo:* hoc est, tuam nobis salutem & opem impartiendo. Visitat etiam, cùm Prophetas & doctores, & verbi sui ministros mittit, qui nos erudiant, qui salutis & sempiternæ felicitatis iter ostendant. Sic olim, cùm Dominus viduæ filium à morte reuocasset, clamauit populus: *Quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam, ad quam talem Prophetam, & iustitiæ doctorem destinauit.* Præcipuus tamen visitandi modus est, cùm cessantes, & nihil his vocibus aut beneficiis proficientes, immissis plagis, in viam iustitiæ reuocare conatur. Multi tamē ita obsurduerūt, vt neque beneficiis emolliantur, neque vllis aut plagis aut verberibus in viam reducantur. Diuturna peccandi consuetudine in naturam quodammodo versa, veluti callos quosdam in anima obduxerunt, quibus insensibiles penè ad hæc omnia effecti sunt. Fortis enim ille armatus, qui eorum pectora obsidet, aditus omnes, per quos lux aliqua illis affulgere possit, diligentissimè obstruere nititur. Tales autem sicut Pharaonis obstinatum animum imitantur, ita infelicem exitum sortientur: cùm de obduratis mentibus scriptum sit: *Cor durum malè habebit in nouissimo.* Ibi enim magno suo malo discent, quod hîc intelligere noluerunt. Itaque, Auditores, si tales Iudæi pœnas dederunt, quia visitationis suæ tempus non agnouerunt, videamus ne nos grauius aliquid patiamur, si visitationis nostræ tempora non agnoscamus. Vtrique populo, & Iudæorum & Gentium, hæc salus à Deo missa est. Quid enim minus nos, quàm illi, percepimus? Illi præsentem Dominum viderunt, salutarem eius doctrinam audierūt, miracula, & virtutū exempla contēplati sunt: quid horum quæso nobis modò deest? Hæc omnia Euangelicis literis, Spiritu sancto dictante, testificata & descripta sunt. Ibi cælestem illam doctrinam, diuina miracula, ibi humilitatis, patientiæ, & obedientiæ exempla legimus. *Ecce,* inquit, *ego vobiscum sum omnibus*

Luc. 1. — *Esa. 41.* — *Psal. 105.* — *Visitare Dei quid sit.* — *Luc. 7.* — *Consuetudo peccandi.* — *Eccles. 3.* — *Priuilegia nostra qualia.* — *Matt. 28.*

bus diebus, vsque ad consummationem seculi. Adest quoque præsens in sacratissima Eucharistia, sub aliena tamen forma velatus: quem fidei oculi verè præsentem contemplantur. Olim ad totius mundi salutem in mundum venit: modò autem per sacram Eucharistiæ sumptionem in vniuscuiusque hominis pectus mentémque descendit. Itaque in terra nobiscum manens, curam nostri gerit: neque hanc in cælo remittit, cùm inde nos Spiritu suo regit, dirigit, atq; defendit, & pro nobis apud Patrem intercedit. Quid ergo minus nos hoc tempore, quàm Iudæi olim habuerunt? Nónne & nos iam dicere poterimus: *Quia Deus visitauit plebem suam?* Vereor sanè, ne lacrymæ Domini, multorum ex nostris cæcitatem deplorent. Vereor ne de nobis quoque ipse dicat: *Si cognouisses & tu, & quidē in hac die tua, quæ ad pacem tibi*, subaudi, data est: *quam tamen percipere noluisti.* Quid autem Dominus fecerit, quando Hierosolymam cum solenni illa pompa ingressus est, declarat protinus Euangelista, cùm subdit: *Et ingressus in templum, cœpit eijcere vendentes*, &c. Hac autem tam noua & insolita acrimonia. Dominus Sacerdotum auaritiam apertè notauit, qui in sacro loco commercia vendendi & emendi, ea videlicet quæ ad sacrificiorum ritus pertinebant, exerceri sinebant, quòd ea res in ipsorum lucrum & vtilitatem cederet. Hunc auaritiæ morbum, in nostris quoque moribus deprehendimus. Vix est vlla plaga, quibus Ecclesia his temporibus sauciata est, quæ vel tam latè pateat, vel tantum in mores nostros damnum inferat. Duces & magistri populi sunt cæci: iam oues, quæ illos debeant sequi, in foueam præcipitant: & qui piis orationibus, atque operum meritis placare diuinum numen populo infensum deberent, nouis ipsi sceleribus ad iracundiam prouocat. Meritò ergo cælestis Magister paternæ gloriæ zelo incensus, non modò verbis, sed euersis etiam nummulariorum mensis, hunc animi sui æstum, & rei indignitatem demonstrauit. Hactenus Euangelij partes percurrimus: nunc quid de tota ea lectione colligendum sit, expendamus breuiter.

Christus nobis præsens.

Luc. 7.

Sacerdotū auaritia.

TRACTATIO THEMATIS.

PRINCIPIO sciendum, inter præcipuas Christiani hominis opes atque diuitias, quæ ipsum verè diuitem atque felicē reddunt, non postremum locum diuini numinis timorem habere. De eo námque scriptū est: *Diuitiæ salutis, sapientia & scientia: timor Domini, ipse est thesaurus eius.* Itaque sanctus hic timor sic cum diuitiis sapientiæ cohæret, vt sit vel initium sapientiæ,

Timor Dei diuitiæ sunt.

Esa 33.

Iob 26. vel ipsa etiam sapientia. De qua S. Iob in suo illo sterquilinio sedens, Philosophatur: *Ecce*, inquit postremò, *timor Domini, ipsa est sapientia; & recedere à malo, intelligentia*. Videmus hîc, in quàm excelso loco vir diuinus, timorem Domini collocauerit. Sic Salomon, qua in re felicitas hominis sita sit, ait: Eccles. 12. *Finem*, inquit, *loquendi omnes pariter audiamus: Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo*, id est, vera hominis felicitas, ad quam est conditus, in hoc Domini timore sita est. Inter varias huius timoris laudes non postrema illa est, quam Dominus per Prophetam designauit, cùm dixit: Esa. 66. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem ad sermones meos?* Quo fit, vt quicũque verè diues, sapiens, & felix esse cupit, hunc salutatem timoris Domini affectum tota animi contentione alere atque nutrire studeat.

Iam qua ratione salutarem hunc affectum nutrire valeamus, Psal. 118. Regius Vates exemplo suo docet, cùm ad Dominum ait: *Confige timore tuo carnes meas: à iudiciis enim tuis timui*. Ex quibus verbis liquet, virum sanctum assidua diuinorum iudiciorum consideratione salutarem hunc timoris affectum in animo suo concepisse. Dum enim horrenda supplicia, quibus Dominus sceleratos homines plectit, attentiùs consideraret, quanta esset diuinæ iustitiæ seueritas, quantumque aduersus peccatum odium, intelligebat: atque ita ad eiusdem peccati odium, & timorem Domini acriter incitabatur. Hac ergo via sanctum hunc timorem mentibus nostris affigere studeamus, mentis nostræ oculos per varia Domini iudicia circumducentes. I. Quale quæso supplicium exstitit, quo Deus totam Ægyptum Ira Dei magna. vastauit, & ad extremum innumerabilẽ Pharaonis exercitum planè submersit? II. Exod. 32. Quid illud, quod post vitulum adoratum gestum est? Tria námque hominum millia vno die trucidata sunt: & nisi Dominus Mosis oratione & ieiunio placatus fuisset, vniuersum populum funditus deleuisset. III. Num. 25. Si quis autem hoc tantum Domini iudicium timet atque miratur, quantò magis vindictam in eos qui idolo Phogor immolauerunt, demirabitur: in qua non tria millia, sed quatuor & viginti hominum millia vno die trucidata sunt, omnésque populi principes, qui tantũ scelus sua auctoritate prohibere debuissent, iussu Domini in patibulis ad orientem Solem crucifixi sunt? Et nisi summus Sacerdos Phinees, Eleazari filius, diuinæ gloriæ zelo succensus, Dominum placasset, totũ iræ suæ furorem in transgressorem populum effudisset. Quis igitur hanc tãtam diuinæ iustitiæ vindictam non miretur, non timeat, non obstupescat?

Sed

Sed communia hæc multorum supplicia relinquentes, ad priuatas personas, ad Dauidis adulterium & homicidium veniamus. Videmus peccati naturam; vt aliud ex alio trahatur. Quæ autem subsecuta sit vindicta, videmus 2. Reg. 12. Quæ autem pœnitentia, non est obscurum in Psalmis 50. & 37. Quæ crimina tot gemitus, tot rugitus, tot fremitus, tot lacrymarum imbres non diluerent? Audiant quicunque adeò facilem peccatorum veniam sibi pollicentur, vt solo ictu pectoris se illam sine vllo veræ pœnitentiæ sensu consecuturos sperent. Videmus sanctissimũ Regem post tantam illam pœnitudinem, tantámque vim lacrymarum, tot plagas à Domino immissas pertulisse. Hæc eo tempore, quo supernus ille iudex vocabatur *Deus vltionum*, contigerunt: nunc autem post Euangelij gratiam, & Christi sacrificium, quo numen mortalibus infensum placatum fuit, *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis*, ab Apostolo nuncupatur. At multa etiam seueritatis huius exempla, sub Euangelij gratia proferre possem. Vide quod fuerit populi Iudæorum excidium, quæ vastatio, quam Dominus in hac sacra huius diei lectione lamentatur. Quæ autẽ vis orationis referre queat, quæ gens illa misera in ea obsidione passa sit? Hæc enim obsidio maximã ciuitatis partem, non ferro tantùm (id enim in minimis malis habebatur) sed extrema rerum inopia, atque dira fame consumpsit. Quis autem numerus eorum qui ferro, fame, peste interierunt, & in captiuitatem abducti sunt, exstiterit, quis credere potuisset, nisi Iosephus, natione & religione Hebræus (qui intra vrbis mœnia cùm aliis obsessus fuit) huius calamitatis oculatus testis & scriptor esset? Ex omnibus enim Iudææ finibus homines in vrbem cõfluxerant, vt Paschæ festum celebrarent: quod extra eam vrbẽ celebrari diuina Lege vetitũ erat. Quis igitur, ab orbe condito, tantam hominum multitudinem in aliqua obsidione aut prælio interemptam fuisse audiuit vnquam, aut legit? Si centum hominum millia in aliquo prælio occubuisse narretur, miramur & obstupescimus: quale ergo erit, vndecies centena millia tam dira clade periisse? Quis adeò stupidus erit, qui vel hoc vno exemplo incredibilẽ diuinæ iustitiæ seueritatem non agnoscat, non expauescat? nõ intelligat verum esse quod Apostolus ait, *Horrendum esse, incidere in manus Dei viuentis?* Non etiã cum Hieremia clamet: *Quis non timebit te, ô Rex Gentium?* Satis igitur hoc exemplo liquet, quanta sit diuini furoris aduersus improbos magnitudo, & quàm immane odiũ, quo & improbos, & impietatẽ eorum auersatur. Verùm hæc cum æternis suppliciis

III I.
2. Reg. 12. *Dauidis peccatum.*
2. Reg. 15.
2. Reg. 13.
Psal. 93.
1. Cor. 1.
Iudæorum excidium.
Hebr. 10.
Hiere. 30.
Supplicia æterna quạlia.

collata, vmbræ erunt. Ista præsentia præcipuè tantum corpus attingunt; hæc verò corpus simul atque animam torquent: ista temporaria sunt, & breuis æui spatio præfinita; hæc verò sempiterna, quæ nullum neque finem, neque terminum sunt habitura. Sic & Petrus euersionē Sodomæ & Gomorrhæ in exemplum æterni supplicij, quod impiis paratū est, proponit. Sicut enim improbi exhibuerunt membra sua arma iniquitatis peccato: ita diuinæ iustitiæ ordo exigit, vt debitas peccatorū, quæ per ea membra ediderunt, pœnas pendant. Sic igitur impudici oculi, sic aures, quæ detractionibus libenter patuerūt, sic fallax lingua, quæ dolum & mendacium locuta est, quæ nec viduæ, nec nuptæ, nec virginis famæ pepercit, sic corpus, quod multis vacauit deliciis, torquendum est, & illud implendum, quod in Apocal. est: *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Si igitur ea iudicia, quæ hactenus exposuimus, tantam diuinæ iustitiæ significationem præbent, tantúmque à nobis timorem, & peccati odium exigunt, Auditores: quātò magis extrema hæc & vltima pœnarum, quæ non corpus tantùm, vt pleraque alia, sed corpus simul cum anima attingit, & non quidem definito temporis spatio, sed sempiternis seculorum ætatibus duratura est, nos ad salutarem timorem, & peccati odium excitare debet? Hoc est enim quod à nobis Dominus in Euangelio exigit, cùm ait: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, & post hæc non habent vltrà quid faciant. Timete eum, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem mittendi animam in gehennam.* Nos igitur, Auditores, non falsam improborum securitatem, sed salutarē sanctorum metum sectari studeamus, & spem nostram pio timore, bonorum operum studio, & peccati odio fulcire contendamus. Peccato enim per veram pœnitentiam è medio sublato (quod nos sempiternæ mortis reos facit) aditus continuò nobis ad sempiternæ felicitatis & immortalitatis gloriam, Domino adspirante, & iter nostrum bene fortunante, patebit. Amen.

2. Petr. 2.

Apoca. 18.

Matt. 10.

***

DOMI

DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN, CONCIO: IN QVA post Euangelicæ lectionis explanationem, de superbia, eiúsque filia, inani gloria, disseritur.

THEMA. *Omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.* Lucæ 18.

HÆc breuis sententia, Auditores, magnam Christianæ Philosophiæ partem complectitur: quæ ideò in literis sanctis frequentissimè reperitur. Hinc D. Augustinus in libro de doctrina Christiana, hanc verè memorabilem sententiam scripsit, nempe omnes diuinorum voluminum paginas hanc vbique sententiam spirare, quòd Deus superbis resistat, humilibus autem det gratiam. Huius quoque sententiæ veritatem secularis Philosophia non prorsus ignorauit. Rogatus enim insignis quidam Philosophus, quid Iupiter ille suus in cælo ageret; *Superbos,* inquit, *ad terram deiicit, & exaltat humiles.* Quò magis autem superbiam accusamus, atque damnamus, eò magis humilitatis virtutem attollimus, quæ nos ab eius labe atque malitia incolumes conseruat. Humilitatem in hodierna S. Euangelij lectione cælestis Magister nobis studiosè proponit. Quantum autem homini superbia noceat, quantúmque illi humilitas ad salutem conferat, proposita quadam insigni parabola docet. In qua etiam, quàm sit occultum superbiæ vitium, animaduertere licet, quantúmque sibi vir pius ab ea cauere debeat. Est enim velut tenuissimus aër, qui facilè per angustissimas etiam rimulas aditum in mentes nostras inuenit. Vt igitur salutarem hanc doctrinam piè & religiosè tradere valeamus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis intercessione suppliciter imploremus.

Augustinus.

Superbis Deus resistit.

Simile.

AVE MARIA.

HANC parabolam, de iniquo iudice parabola præcedit. In illa, orationis fiducia, & perseuerantia nobis à Domino commendatur: in hac verò, Publicani exemplo, eiusdem orationis humilitas describitur. Multi queruntur, se, cùm aliquid à Deo petunt, non exaudiri. Cuius rei causam Iacobus assignat, cùm ait: *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis*, hoc est, quia petitiones vestras iis virtutibus, quibus fulciri debent, non innatis.

Iacob. 4. Orationis efficacia.

Quænam istæ sunt, inquies? Tres frequentissimè in literis sanctis numerantur: quarum prima fides seu fiducia est: de qua Saluator ait: *Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis.* Altera verò, perseuerantia est: de qua idem ait: *Et ille si perseuerauerit pulsans, dico vobis,* &c. Tertia autem est humilitas: de qua in Ecclesiastico legimus: *Oratio humiliantis se nubes penetrat.*

Marc. 11.

Eccles. 35.

Dicebat, ait Euangelista, *ad quosdã, qui in se confidebant tanquam iusti,* &c. Sunt nonnulli, qui propter aliquã virtutem sibi placent; & seipsos pluris, quàm par est, æstimant, & alios præ se contemnunt. Sunt nonnulli imbecillo capite, qui modico vino facilè inebriantur: ita sunt nonnulli qui facilè de exiguis virtutibus superbiunt. At viri sancti, qui virtutum omnium ornamentis sunt instructi, adeò de se ipsis humiliter sentiunt, vt se etiam peccatorum omnium maximos reputent. Sic etiam viri docti & sapientes, non minùs humilitatis virtute quàm eruditione insignes, de se ipsis demissè sentiunt. Scioli, qui vix prima sapientiæ limina attigerunt, superbiæ tumore inflati, alios superciliosè contemnunt. Quod quidem vitium ex leuitate animi, & pusillanimitate spiritus oriri certũ est. Scire oportet, duo esse virtutum genera. Quædam enim eiusmodi sunt, quæ corporeis sensibus percipi possunt: qualia sunt ieiunare, vigilare, peregrinari, & alia opera, quæ corpus, vel inedia, vel asperitate vestium, aut verberibus etiam affligere solent. Sunt autem virtutes aliæ in animo reconditæ, quæ nõ tam oculis hominũ, quàm diuinis patent. Cuiusmodi sunt tres illæ principes inter omnes alias virtutes, Fides, Spes, Charitas: deinde prudentia, patientia, paupertas spiritus, humilitas cordis, mundi contemptus, timor Domini, & aliæ his non dissimiles. Vtræque autem virtutes ad Christianæ vitæ perfectionem necessariæ sunt. Neque enim sola externa sine internis, neque sola interna sine externarum virtutum ministerio, vbi ad eas nos diuina lex vrget, vel constare, vel hominem verè pium, Deóque gratum efficere possunt. Est tamen latũ discrimen inter vtrasque. Internæ námque spiritualésque virtutes præstãtem tenent locum inter omnes: qualis illa fides Abrahæ exstitit, tãtopere ab Apostolo laudata: qualis illa eiusdẽ Apostoli charitas, quæ vniuersum mundum diuini amoris igne inflammauit: qualis altissima illa humilitas, quæ in beatissima Virgine enituit: qualis patientia Iob: qualis Mosis lenitas, & mansuetudo: qualis zelus Eliæ pro gloria Domini. Hæ igitur virtutes, aliæque similes, principem sibi inter omnes alias locum vendicant. Vt autem altiorem locum,

Inebriantur quidã facilè.

Virtutũ genera duo.

Hebr. 11.

Num. 18.

ita & securiorem obtinet. Vt enim thesaurus reconditus tutior à latronibus est, & virgo domi clausa, quàm ea quæ omnibus patet, à corruptoribus immunior est: ita virtus quò magis latet, eò minùs superbiæ & inanis gloriæ furibus obnoxia est. Externæ virtutes, & ab oculis suis, & ab alienis etiam, periculũ pati possunt. Hominum quippe ista vidētium atque commemorantium laudes, nonnunquam viros pios de mente deducunt. Quo fit, vt de se maiora, de aliis verò minora sentiētes, horum similes sint, ad quos Dominus hanc parabolam direxit: qui in se ipsis confidebant tanquam iusti, & aspernabantur cæteros. Vt autem Dominus ostenderet in quanto isti periculo versarentur, & quàm longè ab ea iustitia, quam sibi arrogabant, abessent, hanc illis parabolam proposuit:

Simile.

Virtutes internæ tutiores sunt.

Laudes decipiunt aliquãdo.

Duo homines adscenderũt in templũ, vt orarēt, vnus Pharisæus, & alter Publicanus, &c. Quamuis in templo stantes piè & religiosè orent, religiosiùs tamen orant, qui vel flexis genibus, vel humi procumbentes orant: sicut orauit in horto Christus Dominus, procidens in faciem suam, veluti seipsum ante superni Patris conspectum prosternens & ad nihilum redigens. Orare potes vbique, sed in templis cōmodiùs: hæc enim sunt domus Dei, domus orationis, vt testatur Dominus. Vult Apostolus viros in omni loco orare, leuantes puras manus in oratione. Cùm autem hoc in loco Pharisæus stare describitur, magis ad eius superbiam, quàm ad reuerentiam designandam dicitur, sicut & cætera, quæ in eius oratione apparent. Cernitis periculum Pharisæi: dum enim in externa opera sua oculos coniecit, nec quid in animo suo lateret, animaduertit, in ipso veluti portu naufragium fecit, dum ex illis virtutũ officiis, quæ in se agnoscebat, de se ipso maiora sentiens, alios contemnebat. Hac igitur de causa miser deceptus fuit, quia quid haberet, non quid sibi deesset, animaduertit. Est magnum hypocrisis genus, quo homo sibi hypocrita est, dum se meliorem quàm sit, esse credit: quo morbo Pharisæus hic laborabat: laborabat & ille, cui à Domino in Apoc. dictum est: *Dicis, quia diues sum, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser & miserabilis, pauper, & cæcus, & nudus.* Hac fallaci virtutum specie, antiquus serpens illos superbiæ & inanis gloriæ vinculis alligatos tenet. Ad Pharisæi orationem. *Deus*, inquit, *gratias ago tibi, quia nō sum sicut cæteri hominum*, &c. Quid in hac oratione reprehendi potest, quādo in ea Pharisæus pro beneficiis à Deo perceptis agit gratias? Hoc enim perinde esse videtur, ac si diceret: Cũ seculi homines, Domine, tam multis sceleribus inquinati sint, quibus ego tanquã eiusdem na-

Luc. 22.

Matt. 21.

1. Tim. 2.

Apoc. 3.

Virtutes suas prædicare an liceat.
1. Cor. 15.
Iob 29.
Psal. 63.

turæ atque peccati consors inquinari potuissem, gratiæ tuæ deputo, quòd à tantis me malis eripuisti. Quòd si bona sua proferre vitio datur, quid Paulo facies, qui adeò apertè fatetur, se plus omnibus laborasse, plus in Euāgelio diuulgādo profecisse, & plura propter Christum supplicia pertulisse? Idem fecit S. Iob. Sic Regius Vates, *Venite*, ait, *audite*, *& narrabo vobis, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.* Si igitur his omnibus non vitio, sed laudi datur, quòd virtutes, & egregia facta sua, non solùm Deo, sed hominibus etiā enarrarunt: cur Pharisæus accusatur, qui virtutes suas nō quidem hominibus (in quo plus erat periculi) sed Deo gratias agens, commemorat? Certè, si verba spectes, vix aliquid, quod sit reprehensione dignum, inuenies. Hîc discimus, Auditores, quàm sit occultum superbiæ vitiū, & quàm multis modis auctorē suum fallat. Vitium non tam in verbis & oratione, quàm in animo erat. At ponderator spirituum Dominus nō verba, sed internā animi elationem intuebatur. Itaque in illis sanctorum verbis animum fraterna charitate incensum, & veritatis atque iustitiæ patrocinium, quōd illos ad bona sua proferenda excitabat, inspiciebat: in hoc autem mentem eius superbiæ spiritu inflatā, contemplabatur: ideóque illorum verba, propter pietatem animi, coronat, huius verò, propter superbiæ & elationis spiritum, damnat. Ecce ex intentione & proposito iudicamur. Quare nemo sibi de sola externa boni operis facie blandiatur, sed interiora sua rimetur, explorétque diligenter quid in penetralibus animi sui lateat, quo affectu, qua intentione bonum opus edat; ex hoc enim à Domino iudicādus est. Erat in Pharisæo tumor mentis, & contemptus proximorum absconditus. Vnde hæc tanta sui fiducia, & aliorū contemptus? Certè ex illa quæ Græcis dicitur φιλαυτία, hoc est, immodicus sui amor. Hæc enim sæpe homines adeò excæcat, atque de mente deducit, vt tantū sibi tribuant, quantum seipsos diligunt. Adeò omnibus omnia suā placent, vt suum cuique pulchrum. Sic aliquis sibi persuadet, si tu Rempubl. gubernares, aliter omnia instituеres, aliter res procederet: sibi placet. Verus ergo humilitatis amator illud Apostoli sibi ante oculos ponat: *Quæ retrò sunt, obliuiscens: ad ea verò quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum brauium persequor supernæ vocationis.* Quod Apostoli consilium adeò salutare est, vt eo etiam tempore, quo pro perceptis à Domino beneficiis gratias agimus, solicitè in hac gratiarum actione versari debeamus: ne, dum ea commemoramus, flatus aliquis inanis gloriæ nobis obrepat, quod huic Pharisæo accidisse

Iudicamur ex intentione.

Arrogantia nostra qualis.

Philip. 3.

disse videmus, qui cùm Domino, propter illa virtutum officia, gratias ageret, plus de se, quàm par erat, sensit, maiusq; illi periculũ ex hac sui æstimatione, quàm fructus ex illa gratiarum actione obuenit. Alias eius orationis partes expendamus. *Non sum sicut cæteri hominũ, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam is publicanus.* O admiranda Dei iudicia! Quàm verè dictum est: *Omnes viæ hominũ patent oculis eius: spirituũ autem ponderator est Dominus.* Et: *Homo videt in facie, Deus autem videt in corde.* En, hic certissimè se publicano illo iustiorem esse sibi persuaserat. Quid hic faceret, si ad illum Dominus diceret: Hic homo, quem tu despicis, quem publicanum agnoscis, qui neque vt tu religionis professor est, neq; bis ieiunat in Sabbatho, verè in oculis Dei te sanctior est. Quódque magis mireris, hic verè iustus ante Deum; tu verò improbus & iniustus es. Quo quæso stupore & admiratione Pharisæus raperetur, si hæc diuinitus ad se delata intelligeret. Quæ autem oratio consequi posset, quàm multa sint in hoc mundo Dei iudicia his simillima? Simili etiam modo deceptus est Pharisæus ille, qui Dominum ad prandiũ inuitauerat, & qui peccatricem mulierem, & ipsum etiam Dominũ accusabat, quòd se ab illa tãgi permitteret: quem tamen Dominus proposita similitudine conuicit, peccatricem illam maiori erga Deum, quàm ipsum, charitate flagrare. O quãtum periculi in hac falsa sui æstimatione latet! Cùm æger se ægrotare intelligit, non omninò remedij expers est: dat enim operam, vt adhibitis medicamentis sanitatẽ assequatur. At qui verè ægrotat; séque ægrotare non sentit, quæ illi spes salutis reliqua est? Minus periculi est, vbi se improbus improbum esse cognoscit, quàm si quis, Pharisæi huius opera facičs, iustitiæ sibi nomine applaudat. Hac enim de causa Saluator ad Pharisæos tremenda illa verba fulminauit: *Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei.* Similitudo ex Chrysostomo. Venerunt duæ naues, habentes onus, ambæ portum ingressæ sunt, id est, Publicanus in portum feliciter appulit, Pharisæus autem naufragium perpessus est: vt disceres quantum mali sit animi tumor. Hic enim se nudans & exhauriens, pertulit rarum & nouum naufragium: apprehenso enim littore omnes merces suas simul perdidit. Ad eos verò, qui hoc modo iustitiæ sibi laudem tribuunt, in Apocal. Dominus ait: *Nomen habes quòd viuas, & mortuus es.* Nullius sibi criminis Apostolus conscius erat, qui tamen dicebat: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me, Dominus est, qui longè aliter, quã homines, iudicat.* Sæpe enim quod homi

Prou. 16.
1. Reg. 16.
Dei iudicia semper æqua.
Luc. 7.
Matt. 21.
Simile.
Apoca. 3.
1. Cor. 4.

hominibus altũ est, abominatio est ante Deum. *Numquit*, ait Iob, *oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, & tu videbis?* Quid ergo nobis huic tanto malo remedij adhibes? Illud certè quod vnicuique piorum D. Gregorius tribuit, his verbis: *Oportet bona opera sciendo nescire, quia & recta hæc æstimare oportet, & minima: recta, vt custodiamus; & minima, ne inflemur. Noli altum sapere*, inquit Apostolus, *sed time.* Adiuuat & cum Propheta ad Dominum clamare: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.* Ab hoc igitur salutari timore securitas nostra manat. Cumque timor & securitas aduersari sibi videantur, sic tamen inter se cohærent, vt timor securitatis fundamentum sit & origo: ideóque Apostolus Petrus hoc timore incolatus nostri tempore nos conuersari iubet. Oportet hîc diuina opera cõsiderare, vt hunc seruemus timorem. Cadit à gratia Salomon, qui magnificentissimum Domino templum erexerat; & surgit à peccato Manasses, ob cuius scelera & templũ ipsum, & sancta ciuitas funditùs euersa est. Cadit ab Apostolatus dignitate Iudas; surgit Saulus, Ecclesiæ persecutor atque vastator. Sed inter hæc exempla nullum neque formidabilius, neque mirabilius, quàm Dauidis regis lapsus: quem ideò diuina prouidẽtia tam fœdè ruere permisit, vt eius ruina salutaris ruinæ causa piis omnibus exsisteret. Thomas incredulus, fuit firmamentum fidei; Dauidis lapsus, causa timoris. Vide quid Dauid fecit, quid cõmisit. Hac igitur diuinorum iudiciorum consideratione, Auditores, salutarẽ hunc timorem assequi poterimus, si tamen assiduis etiã precibus illum à Domino petamus. Agit Pharisęus gratias Deo, descendit orare, imò seipsũ laudare, Publicano insultare: *Non sum sicut cæteri hominum.* Miser officium Dei sibi assumpsit, cuius solius est scrutari renes & corda. Do decimas fideliter de omnibus meis bonis, minimis etiã. Habet externorũ bonorũ rationem. *Væ*, inquit Saluator, *vobis, Pharisæi, qui decimatis mentam*, &c. Vide quid facient qui aliena rapiũt, & violẽter detinẽt: qui oculos habent plenos adulterij, & incessabilis delicti: qui neque decimas fideliter soluunt: qui nulla ab Ecclesia ieiunia instituta seruãt: quid inquã isti flagitiis cooperti sperare poterãt, si qui ista pręstabat à Domino damnatur? Cõiicere possumus paucos saluari. Excludũtur infideles ab æterna salute, excludũtur & illi, qui infidelium mores & vitam sectantur, qui prorsus suis indulgent cupiditatibus & libidinibus. Sed iam tempus est, vt Pharisæum missum faciamus, & ad Publicanũ veniamus. In illo vidimus quid timere & fugere debeamus: in hoc videbimus quid sequamur.

Illum

Iob. 10.
Gregorius in Moral. lib.
Roma. 11.
Psal. 18
Timor & securitas cohærent.
2. Petr. 1.
Dauidis ruina.
Matt. 23.
Raptores quid expectare debeant.
Pauci saluantur.

Illũ quidẽ ſuperbia è cælo deiecit, hũc humilitas in cælũ ſuſtulit. Publicanus ergo inuitatus ad nuptias, prudenter infimũ locum, in quo ſederet, elegit: ideòque à cõuiuij Domino celſiori loco honeſtatus fuit. *A lõgè quippe ſtãs, nolebat nec oculos ad cælum leuare*, &c. Omnia ſunt humilitatis & verecũdiæ plena: quòd à lõgè ſtabat, quòd pectus ſuũ percutiebat, quòd ſibi vni delicta ſua imputabat, quòd nõ iuſtitiã ſuam, ſed ſolã Dei miſericordiam in cauſa ſua proponebat. Animus demiſſus erat, oculi ad terram deiecti, locus, in quo orabat, longè à ſanctuario, oratio verò his omnibus cõſentiẽs, *Deus, propitius eſto mihi peccatori*. Totus ergo interiùs & exteriùs velut quodã humilitatis indumento amictus erat. Quare nihil mirum, ſi humilitatis amatorẽ Dominum ad ſe traxerit. Veriſſimè à D. Auguſtino dictum eſt: *O quàm excelſus es Domine, ſed humiles corde ſunt ſedes tuæ*. Hoc exemplo, Auditores, animaduertere licet, quo animo ad Deum in precibus noſtris accedere debeamus. Non enim Phariſæi animo iuſtitiam noſtram allegantes, ſed Publicani, qui totus ſibi diffidens, in ſola Domini miſericordia ſpẽ omnem veniæ reponebat, ad orandum accedere debemus. Veri námque humiles, qui tanquam nudi, & omnium bonorum egentes, ad Deum accedunt, multis ab eo donis locupletantur. Quod contrà iis accidit, qui ſibi nimiùm confidentes, elato in illum animo accedunt. *Dominus humilia reſpicit in cælo & in terra*. Publicanus percutit pectus magno cordis dolore, veluti reprehendens cor ſuum, quòd admiſſorum eſſet criminum origo. *Verè enim de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes*, &c. Tunſioni autem pectoris, humilem addebat precationem, breuem illam quidem verbis, ſed doloris affectu longã: non quidẽ (vt Phariſæus) gratias agens, (quòd nihil ſe habere credebat eorũ quæ ille iactabat) ſed humiliter ſe accuſans, & peccatorum veniam poſtulans. Hoc ſanè conuenientius fuit orationis ſuæ quàm Phariſæi exordium. Vt enim Sapiens ait, *Iuſtus in principio eſt accuſator ſui*. Sic magnũ in oculis, quos ad cælum leuare non audebat, gerebat pudorem. hic eſt quidam veræ pœnitentiæ affectus. Sic & prodigus ille filius orabat: *Pater, peccaui in cælum & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut vnum de mercenariis tuis*. Non allego merita, quæ nulla habeo; ſed prouoco ad miſericordiam. Ego iniquitatem meam agnoſco, ego me accuſo: tu me abſolue, tu mei miſerere, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis. *Apud te enim miſericordia, apud te propitiatio eſt*. Diſcamus in iſto Publicano erubeſcere & pudefieri ante

Auguſtinus.

Humiles Deo placent.

Tunſio pectoris.

Matt. 15.

Prou. 18.

Luc. 18.

Publicanus cuius nos admoneat. Bernardus.

Deum in peccatis nostris. Discamus etiam ab eodem, quibus oculis Deum suspicere debeamus, quando hic adeò pudenter oculos ad Deum sustulit, cùm oculos ad cælum attollere noluit. *Cùm oculos*, inquit Diuus Bernardus, *ad cælum attollere noluit, ipsum ad se cælum traxit.* Audiuimus in Pharisæo superbum accusatorem, in Publicano autem humilē reum: nunc superni iudicis sententiam audiamus. *Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam*, &c. Verè enim superbū sequitur humilitas: & humilem spiritu suscipiet gloria. Hanc humilitatis virtutem, Auditores, præcipuè colamus: idque tantò diligentiùs, quantò vehementiùs in aliarum virtutum acquisitione profecerimus. Parum enim nobis cōferet, in aliarum virtutum studio profecisse, nisi virtutum omnium custodem humilitatem solicitè seruare studeamus. Sicut enim magistratui ciuitatis parum prodesset ciuitatem diligenter custodire, & vnum aditum, quo hostis intraret, non claudere; & nautæ vnam relinquere ruinam, quà aqua intraret in nauim, & eam submergeret: ita parum proderit homini vitia quædam fugere, & aliquot non obseruare. Oportet igitur omnia diligenter cauere, & nullum hosti accessum nec in minimo præbere. Cùm cætera vitia multiplicatis virtutibus decrescere & minui soleant, sola inanis gloria est, quæ, nisi diligenter prospiciamus, ex ipsis virtutum incrementis robur ad tentandum colligit. Tinea à vestimento nascitur, & vestem ipsam, hoc est, parentem, à qua nata est, corrumpit: ita ex præclaris virtutum actionibus inanis gloria occasionem arripiens, virtutes ipsas diruit atque corrumpit. Pius vir quidam vnicuique virtuti suum veluti vermem illam corrodentem subiici dicit: inanem verò gloriam non vnius, sed virtutum omnium vermem esse testatur. Qua ratione igitur hunc cūctarum virtutum hostem superare valeamus, expendamus. Ad hoc primùm adiuuat, vt quatenus pro status cuiusque cōditione fieri poterit, iustitiam nostram ab hominum oculis abscondamus. Quod consilium à cælesti Magistro accipimus, qui ait: *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Non potuit vllis verbis secretum boni operis magis commendare, quàm cùm prohibuit ne sinistra sciret, quid dextera faceret. Sit tamen in necessitate, opus in publico, intentio in secreto: vt & per bonū opus proximis præbeamus exemplū, & per intentionem, qua soli Deo placere cupimus, semper optemus secretū. Vitij huius grauitatem solicitè attendamus, quo ab illo nobis diligenter caueamus. Consideremus supplicium Nabuchodonoso

Prou. 21.

Simile.

Hosti obuiandum.

Simile.

Matt. 6.

Inanis gloria est sanguisuga.

Dan. 4.

nosoris, qui mundi monarcha, septennio cum feris, more ferarum, vitam egit, quòd in superbiã elatus fuerit. Iam verò quis Herodis supplicium non miretur, qui, quoniam adulantis populi vocibus elatus, Deo gloriam, vt par erat, non dedit, sed sibi eam sumpsit, ab Angelo grauissimè percussus, à vermibus exesus, exspirauit. His remediis mentes nostras aduersus hunc hostem armemus; vt ab ipso liberati, in humilitatis virtute stabiliamur, vt in tempore visitationis nos exaltet qui ait: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.* Huic sit gloria sempiterna. Amen.

Actor. 12.

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN, CONCIO: IN QVA LEctio Euangelica explanatur, in cuius explanatione de cordis obduratione, quæ per hunc surdum significatur, deque eius causis & remediis, paulò fusiùs disseritur.

THEMA. *Adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum vt imponat illi manum.* Marci 7.

NOs hodie, Auditores, horum hominum exemplo, qui hunc surdum & mutum Domino obtulerunt, precari ipsum debemus, vt eadẽ virtute, qua hunc ægrũ sanauit, nos quoque sanare dignetur. Immissis enim digitis in aures eius, dixit: *Effeta, quod est, adaperire.* Et statim apertę sunt aures eius. Hoc igitur tactu indigent, quicumque verbum Dei vtiliter audire debent: sine quo frustra voces iactamus. Sicut enim frustra agricola semen in terram spargit, nisi cælestis influxus adsit, qui semina alat, nutriat, & ad maturitatem perducat: ita nos frustra verbi Dei semen in terram cordis vestri spargimus, nisi cælestis virtus adsit, quæ hæc semina foueat & fœcundet. Ad hunc modum & Apostolus docet: *Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus.* Quocirca idem orandus est, vt, quo tempore nos verbum eius in cordibus vestris seminamus, adesse clemẽter dignetur: vt agricolatio nostra vberes atq; maturos fructus, ipso cooperante, producat.

Simile.
Verbum vt fructu adferat.
1. Cor. 1.

Cuius

Cuius rei gratia initio concionum fieri solet humilis supplicatio ad Deum, vt salutarem nobis opem ferat. Debet hæc non tam consuetudine quàm pio affectu fieri. Quia à multis non seriò fit, accidit, vt ex tot concionibus tam parum proficiamus. Atque vtinā sermo auditus atque neglectus in maiorem dānationis nostræ cumulum minimè cederet. Ne igitur hoc modo cū maximo nostro malo audiamus, cæleste opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

HABEMVS in sacra huius diei lectione mirabilem quandam ægroti curationem, longè aliis dissimilem, quas in Euangelica historia legimus. Quæ sanè magnis mysteriis, salutariq; doctrina referta est. Narrat enim S. Euangelista, Domino à finibus Tyri & Sydonis egresso (quæ vrbes erant Gentilium, vbi Cananææ filiam à dæmonio liberauerat) oblatum ei à quibusdam hominibus surdum quendam & mutum, vt illum ab his duobus grauissimis incommodis, solita pietate, qua nemini ad se confugienti salutarem opem denegabat, curare dignaretur. Videmus quæ sit Domini benignitas, & quæ supplicantium fides, charitas, & orandi vis. Fidei fuit, credere, Dominum solo manus suæ contactu sanitatem donare posse. Charitatis autem & misericordiæ fuit languentis hominis curam habere, cúmque cælesti Medico curandum offerre. Vis autem orationis in eo apparet, quòd quæ fidenter petierunt, facilè impetrarunt: at benignitas Domini, qui non propriis languentium meritis & precibus, sed alienis etiam placatur, & postulata concedit. Hinc Ecclesia Sanctos assiduè precatur, vt pro nobis intercedant: vt qui de sua sunt salute securi, de nobis sint soliciti. Hunc igitur ægrum Dominus mirabili quadā ratione curauit. *Tulit enim eū à turba seorsum, & misit digitos in auriculas eius, & exspuēs tetigit linguā*, &c. Quis hoc genus curationis nō miretur? quis hæc omnia mysteriis vacare credat? Si enim in tota hac mundi fabrica nihil otiosum à naturæ auctore factum est (vnde vox illa à Philosophis toties repetita manauit, Deum atque naturā nihil frustra facere) quónam modo ipse naturæ cōditor in morborū curatione, cæterisque operibus gratiæ, otiosum aliquid fecisse putandus est? præsertim cùm is antea solo virtutis suæ verbo non solùm ægrotis sanitatem, sed vitam mortuis reddere solitus esset? Scire debemus, ægrotum hunc & mutum, periculosissimum animorū morbum significare. Fortis ille,

Orationis vis.

Sanctos cur imploremus.

Natura nihil facit frustra.

ille, qui atrium suum custodire solet, omnes conatur aditus obstruere, ne aliqua salutis spes siue opera accedat. Os claudit, ne opem Domini imploret, sine qua nemo ab eius vinculis eximi potest. Aures etiam cordis ita claudit, vt neque internis Dei motibus, neque externis concionatorum vocibus quidquam proficiant. Verbum Dei est præcipuum instrumentum quo mentes hominum sanantur. *Non enim*, ait Sapiens, *herba aut malagma sanauit eos, sed sermo tuus, Domine, qui sanat omnia.* Huius enim sermonis virtute, vniuersum ad se mundum Domin⁹ traxit. *Tubis sacerdotalibus muri Iericho corruerunt.* Quo indicio significare Dominus voluit, mundi potentiam atque tyrannidem, sacerdotalibus tubis, id est, sermone Domini, & Apostolica prædicatione, fractam & superatã fuisse. Hinc Petrus Apostolus, *fideles renatos esse*, ait, *per verbum Dei viui, & permanentis in æternum.* Hic igitur tantus fructus ex diuini verbi doctrina manauit: quo deficiente, omnia sunt sterilia. Vt autẽ huius verbi doctrina salutaris homini sit, oratio adhibenda est; cuius officium est, opem Domini assiduè implorare. *Qui*, inquit Sapiens, *conseruat Legem, multiplicat orationem.* Hac enim auxilium à Domino petit, quo Legem ab ipso latam seruare queat. Mutuò ergo ista se adiuuant, hoc est, diuinæ Legis disciplina, & orationis instantia. Oratio enim gratiam impetrat, hæc verò Legem implere potest. Quanta sit autem orationis vis, Iacobus declarat his verbis: *Multum valet deprecatio iusti assidua. Elias homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit, vt non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursum orauit, & cælum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum.* Quorsum ait Eliam hominem fuisse, similem nobis passibilem, nisi vt mirabilem vim orationis ostenderet, per quam homo eam ferè dignitatem assequitur, quæ Dei propria est? Deus enim est, qui ligat aquas in nubibus: Deus est, qui dat nobis pluuiam temporaneam & serotinam, qua terra germinet fructus suos. Tantum autem oratio potest, vt hoc ipsum Dei munus & officium sibi sumat. Ne autem te excusare possis, quasi Eliæ non sis similis, lege Acta Apostolorum de Cornelio centurione, quid ille adhuc ethnicus sua oratione potuit, vbi coniuncta erat eleemosyna. Oratio cum diuina lege sunt duo præcipua Christianæ vitæ fundamenta, sine quorum subsidio atque ductu, nemo salutis viam ingredi potuit. Hæc duo duces populi Israëlitici, Moses, id est, lex, & Aaron sacerdos (cuius est pro populo orare) designant. Hi duo duces ad hoc salutis iter necessarij sunt; qui meritò fratres di-

Sap.16.

Iosue 7.

Verbi Dei efficacia.

1. Petr.1.

Eccles. 35.

Iacob.5.

Elias homo passibilis.

Actor.10.

Christianæ vitæ fundamenta.

cuntur. Nunc quæro qualis eorum erit vita, qui his præsidiis destituti sunt: qui vix aures habent, quibus legem Domini,& verbum eius accipiant: vix item os,quo eiusdem opem implorent,qua legem adimplere possint. Tales multi modò sunt in Ecclesia. Audiunt verbum Dei multis annis,& nihil proficiũt: habent fidem,& sic tamen viuunt,quasi fidei lumine essent orbati: sic audiunt,quasi nihil audirent. Nónne rectè hos persimiles dixeris aspidi,quæ non exaudit vocem incantantium,& venefici incantantis sapienter? Sapiens incantator, hoc est, diuini verbi concionator,obstinatos homines ad sanitatem perducere,& lethale peccati venenum, quod in eorum residet mente, delere contendit: illi contrà, dæmone id operante, sic aures suas huic diuinæ incãtationi claudunt,vt nihil prorsus eorum, quæ dicuntur, aduertant. Sunt alij planè muti, qui animæ suæ vulnera cælesti Medico curanda non detegunt, qui eius auxilium non nouerunt implorare,qui nulla neque Dei, neque salutis suæ memoria tanguntur. Hi sunt qui sine Deo viuunt in hoc mundo. Quorum obliuionem per Esaiam Dominus arguit his verbis: *Mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo: quia ego tacens, & quasi non videns, & mei oblita es.* Hoc est,quia externis auribus me loquentem non audis, neque me immissis plagis te cædẽtem vides,arbitraris nihil id esse,quod externis sensibus non percipitur. Sunt autem duo maxima animarum pericula,nempe cordis obduratio,& diuturna peccandi consuetudo. Hoc autem inueteratæ cõsuetudinis periculum in quatriduano Lazaro sepulto: illud obdurati cordis,in hoc homine surdo & muto designatur. Atqui vtinam, Auditores,non admodùm multi sint,qui hoc morbi genere apud nos laborent!

Psal. 57.
Aspidis vi de naturã.
Esa. 57.
Animarũ pericula qualia.

Nunc docendi ratio exigere videtur, vt priùs quidem morbi huius periculum, deinde eius causam, ac postremò remedium,quo illum Dominus sanauit, exponere incipiamus. Est sciendum,variis modis supernum iudicem peccata hominum punire. Aliquando enim vt pius pater corpus ferit,vt mentem sanet,sicut ipse ait: *Ego, quos amo, arguo & castigo.* Felix qui hoc modo in corpore castigatur, vt in mente saluetur. Hæc enim paterna castigatio, salutaris medicina putanda est. Est altera non tam patris quàm iudicis,& quidem seuerissimi. Hęc igitur seuerissima in hac vita pœnarum est, cùm Dominus peccata peccatis punit,vel,quod est etiam grauius,cùm sceleratos homines, qui scelera sceleribus addere non cessant,in reprobum sensum, aut mentis obdurationem, iusto iudicio cadere permittit. Quò vbi ventum est,non modò Dei verba,sed nec verbera,

Peccata vt puniãtur.

bera,nec miracula prosunt. Exemplo nobis sint Pharisæi,imò induratus Pharao,cum omnibus seruis suis.Hanc cordis duritiem homo hic mutus, & surdus repræsentat. Non potest loqui,non potest audire,vt doctrinam salutarem percipiat.Si illi proponas siue gaudia cælestia, siue supplicia æterna, siue promissa diuina,siue minas,nihil commouetur.Hanc rem concionatores frequẽter experiuntur:licèt hęc auditoribus inculcent, nihil tamen promouent. Multi tamen hîc illi ariolo Balaã persimiles sunt,qui(vt ipse de se confessus est)cadens apertos habebat oculos,quibus & casum videbat,& cadere tamen miser, cupiditate victus,volebat.Sunt multi qui peccato cõsentiunt: habent quidem tales veram fidem ,dolo tamen atque opera dæmonis ita consopitam & mortuam, vt nullam omninò vitalem actionem Deo dignam operẽtur.Cui rei simile quiddam in operibus naturæ contingit. Aiunt enim qui orientalem Indiam penetrarunt,in ea insula quæ Ceylam nuncupatur,colubros quosdam esse valde perniciosos,qui leui etiam morsu homines interimant. Cúmque in ea regione magna horũ copia sit,diuina prouidentia,quæ rebus omnibus consulit, salutarem quandam arborem ibidem procreari voluit,cuius ramũ si quis in manu gestet, ita eius odore ac virtute colubrum sapit ac incãtat,vt is etiam in sinu & complexu positus,nihil noceat,neque loco moueatur, ita vt possis illum pro libito vel occidere, vel cædere. Huic ergo colubro sic affecto similes esse vidẽtur, qui fidem mortuã habent:ad quos si clames,si eos vel flagellis cædas,si illis & Christi,& Sanctorum exempla proponas,nihilo magis mouentur,quàm coluber ille cùm sic affectus & consopitus est.Sicut ergo hic quidem verus coluber est,verumque venenum habet,quod tamen per id temporis ita impeditũ est, vt nihil efficiat:ita planè isti verè fideles sunt,veramque fidem habẽt,qua,quæ illis credenda proponuntur,firmissimè credũt; dæmone tamen operante sic obdurati & excæcati sunt,vt nihilo magis apud illos agas,si ista eorum auribus instilles,quàm si cum dormiente vel mortuo loquaris. Causa indurationis & cæcitatis est immodicus terrenarum rerum amor, quo ita eorũ corda sunt impleta, vt vix quidquam aliud intra se recipere queant.Naturæ enim conditor Deus,qui hominẽ ad se fruendum destinauit,vnius tantùm rei,hoc est,ipsius, capacẽ fecit. Quocirca sicut annulus vni tantùm digito,non pluribus simul aptari potest: ita cor hominis ad vnum tantùm bonum amandum ac fruendum conditum , multa pari studio atque amore cõplecti non potest.Quo fit,vt quemadmodũ cùm hic annulus

Num. 22. Peccator cui similis.

Simile.

Amor rerum terrenarum.

Simile.

vnum aliquem digitum cinxit, nullo modo alium cingere possit, nisi à priori illo extrahatur; ita cùm cor hominis terrenæ alicui rei arctissimo amoris vinculo adstrictum est, non ita facilè in Deum inflammato studio ferri possit. Hæc igitur præcipua ars est, qua seculi huius filios dæmon incantat. Vide quid faciat peccandi consuetudo, quæ te à Deo reddit alienum. Dæmon nihil iuris in nos habet, nisi per peccati consensum in mentes nostras ei aditum præbeamus. Huiusmodi peccantem hominem Dominus multis modis ad pœnitentiam exspectat, variísque illum modis ad se trahere nititur, primùm externis concionatorum vocibus illum & periculi & officij sui continenter admonet: deinde etiam immensis plagis & verberibus ad resipiscendum hortatur. Vocat & internis Spiritus sancti motibus. *Ecce*, inquit, *ego sto ad ostium, & pulso.* Nemo tam stupidus, quin aliquando apud se dicat: Vide quàm longo tempore non pœnituisti, quàm grauiter offendisti creatorem tuum: vide ne te inopinata mors opprimat imparatum, tot oppressum criminibus, ne in sempiterna supplicia præcipiteris. Videndum ne nobis dicatur: *Non audiuit populus meus vocem meam, & Israël non intendit mihi: ideò dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.* Prudens medicus, vbi in ægroto omnia artis suæ remedia frustra tentauit, tandem desperatione de eius salute concepta, illum deserit atque relinquit. Quò Dominus peccatores diutius expectat, hoc acriùs in illos animaduertit. Vnde est illud: *Lento gradu ad vindictam diuini numinis ira procedit, tarditatémque, supplicij grauitate compensat. Deus est iudex iustus, fortis, & patiens. Nisi cõuersi fueritis,* &c. Hæ causæ, quibus ad extremum malorum, hoc est, mentis obdurationem peruenitur: nunc reliquum est, vt quisque nostrûm gressus suos attendat, quomodo interni diuini Spiritus motibus respondeat, quo in statu sit, consideret, vt seipsum probet. Nunc quoniam & morbum, & morbi causas vidimus, cõsequens est vt remedium exquiramus. Hoc autem cælestis Medicus arcana quadam ratione in huius surdi & muti curatione ostendit: in qua nihil otiosum, nihil non mysticum est. Primùm igitur ægrotũ seorsum à turba separat. Quid hoc est? Nimirum vt is qui sanari cupit à turbulentis huius mundi curis atque negotiis paulisper secedens, de salute sua cogitare incipiat. Secedat non corpore, sed animo, sicut luxuriosus ille filius secessit, qui in se reuersus, extra se per varias mundi curas & desideria vagabatur. Cogitet, vita hæc præsens est breuis, etiamsi sit centum annorum: futura verò totam continet æternitatem

Consuetudo peccandi.

Apocal. 3.

Homini quæ cogitanda.

Psal. 80.

Simile.

Psal. 7.

Curæ deserendæ.

Luc. 15.

Galat. 6.

nitatem. In ea quæ seminauerit homo, hæc & metet. Hoc tibi vera fides prædicat, hoc Prophetæ, hoc Apostoli, hoc ipse Prophetarum & Apostolorũ Dominus, cùm de piorum & improborum sorte loquens, *Ibunt*, ait, *hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Vide quanta hominum insania, qui omnia vitæ studia in his parandis, quæ ad hanc momentaneam vitam pertinent, impendunt. Pecudes quærunt præsentia, hi illis non dissimiles similia sapiunt. Vide formicæ prudẽtiam. Quantus pudor est, Auditores, nos in hac prouidentiæ ratione ab hoc tam vili animalculo superari, & ne illius quidem exemplo disciplinam accipere? Itaque verè timendum est, ne sicut Dominus populi sui cæcitatem milui, turturis, & ciconiæ exemplo amplificat, ita socordiam eorum, qui nihil ad futuram vitam pręparant, formicarum, hoc est, vilissimorum animalculorum exẽplo exaggeret atque conuincat. Verè Sapiens ait: *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate* (hoc est, in futuro seculo, vbi non seminandi, sed colligendi tempus est) *& non dabitur ei.* Fingamus ducem aliquem longum instituere iter, & tantùm sibi prospicere de commeatu per nauigationem, & cùm iter quoque longum sit perficiendum per longinquum desertum, & de hoc nullo modo sibi prospexisse, sed comitibus propter inopiam hîc fame moriendum. Nónne huius ducis amentia accusanda esset, qui alimẽta ad nauigationem solùm, non etiam ad desertum, quod necessariò peragrãdum erat, pręparaet? quantò ergo iustiùs illi damnandi sunt, quorum omnis cura in parandis his, quæ ad hanc breuissimam vitam pertinent, impenditur; ad illam verò quæ sempiternis seculorum ætatibus duratura est, nihil omninò prouident? Potéstne maior vlla cæcitas atque dementia cogitari? Primum remedium ad sanitatem animæ percipiendam, est, vt homo cogitet opportunè de salute animæ suæ. Quid verò Dominus, vbi hominem à turba secreuit? *Misit*, ait, *digitos in aures eius.* Quid hoc est? Declarat Propheta: *Audi, populo stulte, qui non habes cor, qui oculos habentes, non videtis, & aures, & non auditis.* Quòd autem ait, stultum hunc populũ nõ habere cor, significat ipsum ita sensu atque mẽte obrutum, vt neque periculi & morbi sui magnitudinem agnoscat, nec eius remediũ quærat. Quod apertè Salomon significauit, cùm ait: *Impius cùm venerit in profundũ peccatorum, contemnit*, hoc est, pro nihilo ducit, *grauissima etiã delicta cõmittere.* In has igitur aures necesse est vt cælestis Medic⁹ digitos immittat, hoc est, Spiritus sui dono ad rectè audiendũ idoneos efficiat. *Qui*, inquit Christ⁹, *ex Deo est, verba Dei audit:*

Matt. 25.

Homines pecudes qui.

Hierem. 8.
Prouer. 6.

Prou. 20.

Simile.

Prouidendum nobis.

Hierem. 5.

Prou. 18.

Ioan. 8.

propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Hæc est terribilis valde sententia. Monet D. Gregorius, vt quisque seipsum introspiciat, & qua religione, quo fructu & affectu Dei verbum audit, solicitè inquirat; vt hoc indicio de salute sua cõiecturam faciat. Non contẽtus Dominus digitos in surdi aures immisisse, saliua quoque eiusdem linguã tetigisse dicitur. Saliua autẽ, quæ ex ore procedit, Dei sapientiã, quæ ex ore altissimi prodiit, intelligimus. Hoc autẽ beneficiũ aliud ad salutẽ nostram cum primis necessariũ. Nõ enim satis est, diuini verbi mysteria intelligere, nisi illa etiã spirituali quodã sapore degustemus. Est igitur necesse, vt qui spiritualẽ vitam colere studet, carnis voluptate depulsa, in Deo solùm, rebúsq; diuinis, omnes delectationes suas positas & cõstitutas habeat: vt cui anteà sola terrena & noxia sapiebant, nunc sola cælestia atque diuina dulcescãt. Cęterùm vbi Dominus ęgroti linguã tetigisset, aliud lõgè mirabilius designauit: *Suspexit* enim *in cælũ, & gemuit.* Quid enim mirabilius quàm Deum gemere? Huius gemitus causa est peccatum lethale. Atque vt præcipuam peccati deformitatẽ ostẽderet, simul & suspexit in cælum (vbi summi Dei sedes & domicilium est) & gemuit, vt hoc indicio declararet, inter innumera mala, quæ secum peccatũ affert, hoc maximum & summum esse, quòd illius summi rerum omnium Domini maiestatẽ violet. Hac enim de causa peccati deformitas & malitia dicitur esse infinita, & sempiterna pœna digna, quòd aduersus illum pugnet, cuius bonitas, dignitas, sublimitas & maiestas est infinita. *Suspexit* ergo *in cælũ, & gemuit*, quod perinde est, ac si cum peccante homine his verbis ageret: O si scires, miser, in quod te barathrum præcipitas, cùm Deum offendis! Offendis clementissimum & optimum Patrem tuum, qui te ex nihilo ad imaginem & similitudinem suam condidit. Quòd si his nihil mouearis, offendis illum, qui habet flatum tuum in manu sua, sine quo nec spirare, nec loco moueri, nec vitam ducere potes. Offendis illum, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem mittendi in gehennam animam sempiternis suppliciis sine fine mulctandam. Quam rem Vates sanctus explicuit, cùm dixit: *Memor esto huius: Inimicus improperauit Domino, & populus insipiens incitauit nomen tuum.* Quod perinde est ac si diceret: Habe rationem, Domine, huius tam insignis cõtumeliæ. Hostis enim ille non solùm affligit nos, sed & Dominum te assiduè afficit contumelia, & populus stolidus exsecratur nomen tuum. Quo autem persona, quæ contumelia afficit, vilior, hoc contumelia grauior est. Gemit igitur tanquam pius pater, phrene

Gregorius.

Saliua quid denotet.

Gemuit Deus quare.

Peccati deformitas.

Matt. 10.

Psal. 73.

phrenetici filij stultam lætitiam, & deliramenta considerans. Legimus quia *Christus peccata nostra portat*, *& pro nobis dolet. Doles ergo*, inquit Ambrosius, *Domine, non tua, sed nostra vulnera: non tuam mortem, sed nostram infirmitatem.* Huius igitur Dominici gemitus indicio, Auditores, scelerum nostrorum grauitatem agnoscamus: & cùm ipsum rerum omnium Dominum non sui, sed periculi nostri causa gementem videamus, nos ipsi mala nostra doleamus. Qui à turba nequeunt secedere, tres saltem peccatorum occasiones fugere studeant, hoc est, chartarum ludos, qui multis criminibus præbent materiam: prauorum hominũ amicitias, cùm Apostolus prauorum hominum consortia vitare præcipiat. Cùm pestis inguinaria alicubi grassatur, quanta cura, bone Deus, ciuitates quæ ab huius morbi infestatione immunes sunt, aditus omnes pręcludũt, ne quis hoc morbo infectus, in eas clanculum irrepat? Quanto ergo maiori studio prouidẽdum, ne cum illis vllum commercium habeamus, qui animas nostras prauitatis suæ cõtagio inficere possunt, & sempiternæ mortis reas efficere? O deplorandam hominum cæcitatem! qui cùm tanto studio, quæ corporis sunt, curent, animarum suarũ curam prorsus negligunt. Quòd si tantopere improborum hominum societas vitanda est, quãtò magis feminarum? de quibus Sapiens ille ait: *In medio mulierum noli commorari.* De vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. *Nunquid potest quis abscondere in sinu suo ignem, vt vestimenta illius non ardeant?* inquit Salomon, qui tamen ipse mulierum retibus captus est. Habeas has tres peccatorum fugas, si non potes ad solitudinem secedere: inde ora, vt Dominus digito suo tibi aperiat aures, vt audias verbum Dei: deinde vt linguam nostram, hoc est, animæ nostræ palatum, saliua oris sui illiniat. Cui Christus incipit dulcescere, necesse est amarescere mundum. Hunc igitur saliuæ contactum suppliciter à Domino postulemus, Auditores: vt spiritualium rerum amore atque suauitate illecti, terrena fastidiamus; & crucem Domini libenter amplectentes, per crucem ad regnum, per labores ad requiem, & per puritatis & innocentiæ viam, ad cælestem gloriam peruenire mereamur. Amen.

Esa. 53.
1. Cor. 5.
Simile.
Pestis fugienda.
Eccles. 42.
Mulierũ societates fugiendæ.
Prouer. 6.
Bernardus

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN, CONCIO: IN QVA LECTIO Euangelica explanatur, item dilectionis diuinæ mandatum paulò fusiùs explicatur: secundo loco duæ præcipuæ diligẽdi Deum causæ explicantur.

THEMA. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* Lucæ 10.

OMNES, qui Christianæ religionis nomine censemur, hoc ferè desiderio frequenter tangimur, quo diues ille adolescens in Euãgelio tenebatur, qui ad Dominum ait: *Magister bone, quid faciendo vitam æternam possidebo?* Cui Dominus breui compendio iter salutis aperuit, dum huius negotij summam in vna decalogi obseruatione posuit: *Si vis*, inquit, *ad vitam ingredi, serua mandata.* Idem etiam desiderium verbo tenus in hodierna S. Euangelij lectione quidam legisperitus Domino Saluatori proposuit. Cui Dominus simili compendio respondit, dum omnia mandata Dei, vno dilectionis præcepto contineri dixit. Hoc est igitur maximum & primum mandatum. Quicunque igitur huius excellentissimæ virtutis desiderio incensi sumus, habemus in præsenti Euangelio eius rationem diligenter explicatam. Hæc charitatis lex duo cõtinet præcepta: quorum alterum Dei, alterum proximi dilectionem commendat. Antequam autem quidquam de his duobus mandatis, in quibus nostra salus est sita, disseramus, Euãgelicæ lectionis historiam breuiter percurremus, vt diutiùs posteà in huius diuini præcepti explicatione immorari valeamus. Anteà verò quàm Euangelista hanc historiam referret, discipulorum Domini felicitatem commemorat, ad quos Saluator ipse ait: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis*, &c.

Matt. 19.
Lucæ 18.

Desiderio vitæ æternæ tenemur.

Charitatis præcepta duo.

AVE MARIA.

Discipuli Domini beati.

MERITO sanè discipuli beati à Domino prædicantur, qui primi ante omnes Euãgelicæ gratiæ primitias ex sola Domini

miseri

misericordia perceperunt. Si enim regina Saba, vbi Salomonis regiam vidit, eius sapientiam audiuit, dicere potuit, *Beati viri tui, qui adstant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam:* quantò magis æterna Patris Sapientia de discipulis suis hoc dicere potuit? *Ecce enim plusquam Salomon hic.* Exponit deinde beatitudinis huius magnitudinem ex sanctorum Patrũ desiderio, cùm subdit: *Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis,* &c. Tãto enim vidẽdæ salutis huius desiderio veteres sancti tenebãtur, vt ipse Dominus, desideratus cunctis gentibus, & desiderium collium æternorũ, id est, sanctorum omniũ, qui veluti editi colles inter alios homines virtutis altitudine eminent, in literis sanctis appelletur. Sic enim illũ Esaias desiderabat, cùm diceret: *Vtinam disrumperes cælos, & descenderes!* Quin & ariolus Balaam, vbi Dei Spiritu afflatus dixisset, *Orietur stella ex Iacob:* adiecit protinus: *Heu, quis victurus est, quando ista faciet Deus?* Similique spiritu Malachias Propheta: *Ecce,* inquit, *venit, dicit Dominus: & quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis stabit ad videndum eum?* &c. Quibus verbis Euangelicæ gratiæ virtutem, mentes hominum purificantis atque sanctificantis, apertissimè designauit Meritò ergo discipuli Domini beati prædicantur, qui desideratum cunctis gentibus viderunt, & tam larga manu huius gratiæ primitias acceperunt. Ergo, inquies, beati oculi Iudæorum & Gentilium, qui Dominum viderunt, quẽ tamẽ in crucem sustulerunt. Absit vt isti beati sint. Tribus enim modis homines Christum Dominum viderunt: alij oculis tãtùm carnis, alij mentis, alij vtrisque. Increduli Iudæi solis carnis oculis Dominum viderunt, Christiani autem oculis mentis, discipuli verò vtrisque. Primi illi minimè beati, sed scelerati fuerunt: postremi verò beatissimi extiterunt, qui vtrisque Dominum oculis viderunt. Nec tamen medij illi beatitudinis huius expertes sunt, cùm Dominus dubitanti Thomæ dixerit: *Quia vidisti me Thoma credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.* Hæc autem beatitudo ad nos quoque pertinet, Auditores, qui fidei & charitatis oculis Christum Dominum & videmus, & colimus, & adoramus. Hæc vbi dixisset Dominus, quidam legisperitus, quæstionem Domino bonam, non tamen animo bono, proposuit. *Magister,* inquit, *quid faciẽdo vitã æternam possidebo?* &c. Principiò, quoniam primum & summum diuinæ Legis præceptum in nostra erga Deum dilectione situm est (ex quo omnis alia diligẽdi ratio vim & originẽ ducit) quónam modo, hoc est, qua virtute & intentione animi is diligen-

[Margin: 2. Reg. 7. — Matt. 12. — Desideratus Gentibus. — Esa. 64. — Num. 24. — Malach. 3. — Christus vt videatur. — Ioan. 20. — Oculi nostri quatenus beati.]

dus sit, exponamus. Hoc autem nos ipsa Dei Lex his verbis docet: *Diliges Dominũ Deum tuũ ex toto corde tuo*, &c. Hæc nobis verba excutienda. Diligendus Deus ex animæ nostræ nobilissima parte. Intellectu Deum diligimus, cùm ea in animo & cogitatione versamus, quæ affectũ nostrum in eius dilectionem accendere possint, nempe immensam eius bonitatem, & innumera eius beneficia, quibus nos quotidie cumulat & ornat, pluráque & maiora se daturum promittit, studiosè considerantes. His enim religiosè ac diligenter expensis, miro modo animus noster in huius summi boni, atque munificentissimi benefactoris amorem accẽditur. Hoc est igitur tota mente Deum diligere. S. Martyres illum tota virtute dilexerũt, qui nullis minis neque calamitatibus ab eo diuelli potuerunt. Diliges etiam in toto corde tuo, vt nullis voluptatum illecebris ita capiaris, vt ab eius obsequio & amore disiungare: sicut illum sanctæ virgines dilexerunt, quæ regnum mundi, & omnem ornatũ seculi contempserũt. Denique diliges eum ex omnibus viribus tuis: vt videlicet omnes animæ tuæ vires, omnes corporis sensus, atque membra omnia, quæ à Deo condita sunt, suo vnumquodque modo, conditoris dilectioni deseruiãt. Apostolus vult, vt exhibeamus omnia membra nostra seruire iustitiæ in sanctificationem. Oculi bona videant: aures audiant verbũ Dei attẽtè: manus operentur opera Dei: pedes dirigantur in viam pacis: affectus verò omnes à terrenarum rerũ cupiditate abducti, ad cælestium rerum amorem traducantur: ac denique quidquid intra nos est, eius obsequio mancipetur. Ipse est conditor, ipse est & gubernator noster, sine cuius prouidẽtia, qui ex nihilo facti sumus, in nihilum protinus recideremus, nisi ab eo iugi cura seruaremur. Est & redemptor noster, qui nos non auro & argento redemit, sed pretioso suo sanguine. Quia igitur nobis omnia est, omnibus animæ viribus, omni studio atque conatu à nobis vtique diligendus est. Iam quid sit Deum super omnia diligere, explicandum est. Illi enim Deum super omnia diligunt, qui nullam rem, quamlibet charissimam, eius dilectioni & imperio anteponunt, sed omnia priùs interire, quàm ab eius amicitia & gratia excidere verè atque ex animo volũt. eam Legem, quam Moyses filiis Israël dedit, implere conantur. Sic enim illos docuit: *Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tui, aut filius tuus, vel filia, siue vxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis, vt animam tuam*, &c. Sumus tamen nos inferiores, etiamsi omnes nostras iustitias in vnum conferamus, imò omnium creaturarũ mentes, vt Deo debitum amoris holocau-

Deus vt diligendus sit.

Virgines Deum dilexerunt.

Rom. 6.

Cura Dei erga nos.

Deut. 13.

locaustum offerre sufficeremus. Itaque D. Augustinus negat in hac vita fieri posse, vt Deum toto corde, tota mēte, tota anima, totísque viribus diligamus, id est, perfectè: quia sicut ex parte cognoscimus, ita etiā ex parte diligimus: atque ita dilectio nostra, sicut & cognitio, imperfecta est. Charitas non potest perfectè in nobis regnū suum obtinere, nisi cupiditas (quæ huic est contraria) perfectè moriatur *Cupiditas*, vt idem ait, *in hac vita minui potest, exstingui non potest*. Quamdiu enim aliqua ratione viuit cupiditas, nondum in nobis perfectè regnat charitas. Sicut enim vt lignum admotum igni vertatur in ignem, necesse est, omnem eius humiditatem & frigiditatem expelli (quamdiu enim humiditatis in eo aliquid residet, nondum perfectè ignis est) ita planè cùm charitas & cupiditas inter se contraria sint, necesse est, vt tota cupiditas ab anima pellatur, quo in ea charitas plenè dominetur: quod in hac vita fieri non potest. Sed est & fragilitas nostra, & cupiditas, & quotidiana corporis necessitas, quæ non modò incipientes, sed & perfectissimos viros ab hoc studio frequenter auocant: quò enim cupiditas deflectitur, eò etiam cogitatio nostra tēdit. Cur ergo, inquies, hominibus præceptum est, quòd ab eis impleri non poterat? Ad hoc idem Augustinus respondet, eo consilio hoc Dominum pręcepisse, vt intelligeremus, quò potissimùm actiones nostras & vota omnia destinare deberemus, etiāsi eò deuenire non possemus. Itaque simile quiddam in hac Lege fecisse videtur, quod in maritimis ac scopulosis locis fieri cernimus; vt intempesta nocte lucernam in edito loco homines accendant, vt nauigantes intelligant, quò cursum dirigere debeant, quamuis eò peruenturi minimè sint. Hac igitur de causa Christianæ vitæ finis, & perfectæ charitatis exemplar nobis ante oculos ponitur, vt quid potissimùm sequi, & quò tendere debeamus, in prospectu nobis positū sit. Est rursum alia quæstio, quæ ex his, quæ modò diximus, magna ex parte definiri potest. Quæret enim quisquis diuinæ huius dilectionis studiosus, quibus indiciis, an hoc modo Deum super omnia diligat, coniicere possit. Quamuis enim certa atque euidēs huius rei cognitio haberi, nisi Deo reuelante, non possit; sola tamē coniectura, præsertim cùm vehementior fuerit, magnum homini pio solatium præbet. Huius ergo dilectionis non minima coniectura est, assidua & suauis de Deo cogitatio. Verissimè enim Saluator ait: *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum:* hoc est, vbi thesaurus est, quē maximè diligis, ibi & cor tuū, id est, cogitatio, & omnis cura tua est. Hinc ille Fulgentius: *Vis*, inquit, *scire vbi thesauri*[z]*asti atten-*

Augustinus.

Deus an posit diligi perfectè.

Simile.

Deus an aliquid præceperit impoßibile.

Simile.

Matth. 6.

Fulgētius.

de quid cogitas: ita fiet, vt thesaurum tuum ex tuo amore cognoscas, & amorem tuum ex indicio tuæ cogitationis intelligas. Potes & alia ratione coniicere, nempe ex obedientia. *Si quis diligit me*, inquit Saluator, *sermonem meum seruabit.* Item: *Si diligitis me, mandata mea seruate.* Hinc D. Augustinus: *Quantum Deum*, inquit, *diligas, debes ex dilectione Legis eius ostendere.* Ergo si Leges eius nō diligis, ipsum quoque minimè diligere comprobaris. *Qui mortem odit, odit etiam morbos omnes, qui viam sternunt ad mortem.* Ergo non modò peccatum, sed omnia etiam peccati instrumenta, & incitamenta odio habenda sunt. *Qui amicitias*, inquit D. Hieronymus, *petit Iesu, multorum sciat sibi inimicitias esse tolerandas.* Dæmon enim acriùs aduersum nos insurget, itémque caro nostra; atque mūdus; ac postremò, vt Saluator ait, inimici hominis domestici eius. Inter quos tamen hostes, immanior, & ad superandū difficilior, ipse sibi homo, hoc est, immoderatus amor sui, atque cupiditas est. Nisi hic truculentus hostis superetur, nec ipsa charitas, nec vlla prorsus virtus retineri potest. Immoderatus námque amor sui, omnium malorū origo, omniúmque ruina virtutum est. *Radix*, inquit D. Augustinus, *omnium malorum cupiditas est, & radix omnium bonorum, charitas: ideóque ambæ simul in eadem mente esse non possunt: imò nisi altera fuerit auulsa, plantari altera non potest.* Quisquis ergo asseris te Deum diligere, his vtique indiciis dilectionem tuam probare debes: si videlicet illum assiduè cogitas, si eius mandata diligis, si non solùm peccata, sed etiam omnes peccatorum occasiones detestaris. Quibus indiciis illud etiam addo, si homines ad eius imaginem conditos, & pretioso eius sanguine redemptos, fraterna charitate diligis. Quæ quidem dilectio multa sub hoc simplici nomine comprehendit; ea videlicet omnia, quæ veri amoris propria sunt: nempe vt eos, partim opera nostra, partim consilio (cùm opus ita fuerit) iuuemus; vt peccantibus in nos, errata condonemus, vt morosos leniter feramus, & alter alterius (secundùm Apostoli præceptum) onera portemus, vt nemini noceamus, nemini detrahamus, nemini malum imprecemur, neminem vlla iniuria aut contumelia afficiamus: denique, vt Saluator ait, eos etiam qui nos oderunt, diligamus, & pro persequentibus & calumniantibus nos, preces Domino offeramus. Sic enim fiet, vt cælestis Patris filij simus, atque ita cælestis patrimonij hæreditatem filiis promissam cernere valeamus.

Ioan. 14. *Augustinus.* *Hieronymus.* *Homo sibi hostis.* *Augustinus.* *Amoris Dei indicia quæ.* *Proximi dilectio.* *Galat. 6.* *Matth. 5.*

PARS SECVNDA: IN QVA DE *Amore simul ac Timore Domini disseritur.*

DILIGES *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. Ea est, Auditores, in Dei amore timoreque coniunctio, eius præsertim, quem Theologi filialem appellant, vt nullo modo alter ab altero seiungi queat. Quisquis enim maximè Deum diligit, is etiam maximè veretur eum offendere, quē diligit. Est præterea timor Domini, amoris eius moderator & custos. Flagrās enim amor sine timore, in furorem nonnunquam degenerare potest. Rectè proinde ait Vates: *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Quæris quæ ad Dei amorem te inuitare possent? Respōdemus: Omnia, quæ oculis vsurpamus, hominis alendi & erudiendi gratia condita sunt: omnia clamant se à Deo condita esse: omnia eius immensam sapientiam, potentiam, bonitatem testantur. *Nihil est tam abiectum & vile, in quo non possimus diuinum quidpiā, & admiratione dignum contemplari.* Quæ res nō in admirationem solùm, sed in amorem etiam tanti opificis excitare nos debet. Quisquis autē aliquam summæ huius dilectionis intelligentiam habere cupit, legat studiosè sanctorum vitas: in quibus tot in sanctos viros exhibita beneficia, totque magnificentissima Dei dona deprehendet, vt non possit non frequentissimè in tantæ bonitatis & charitatis admirationem & stuporem concitari. Quid verò qui sacras literas legerint? Quid in illis frequētius quàm incomparabilem Dei erga pios charitatem, & charitatis admirāda officia inuenient? Quale est illud: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Et illud: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Quid verò illud, quod de eodem viro iusto dicitur: *Cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponet manū suam?* Et de piis omnibus agens: *Custodit Dominus omnia ossa eorum: vnum ex his non conteretur.* Quid, quòd non ossa modò, sed & capillos omnes in numerato habet, vt ne vnus quidem ex eis sit periturus? Quid diuina solatia, quibus eos Dominus tanquam amantissimos filios reficit, lactat, & consolatur? Sic enim apud Esaiam cum illis agit: *Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis.* Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos. Potuítne quidquam indulgentiùs & amantiùs dici? Iam verò quàm patentes ad eorum preces aures habeat, declarat per eundem Prophetā, cùm ait: *Antequam clament ad me, exaudiam eos: adhuc ipsis clamanti*

Amor & timor Dei coniuncti.

Psal. 2.

Aristoteles.

Litera sacra legendæ.

Zachar. 2.

Psal. 90.

Psal. 36.

Psal. 37.

Luc. 12.

Esa. 66.

Esa. 58.

mantibus, exaudiam. Et iterum, *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce adsum.* Hæc sunt vsitata. Illud verò quàm magnum veræ & germanæ dilectionis argumentum: quòd sua illis arcana & secreta communicat; quòd absentium facta, & mētium secreta illis sæpe reuelat? Vide quid egerit cum Abraham: *Num celare Abraham potero, quæ gesturus sim?* Quid cū Elisæo Propheta. Quid igitur maius & amplius hac cælesti atque sempiterna iustorum hominum dignitate? Videmus sanctos naturæ legibus imperare, morbos insanabiles curare, in dæmones & cūcta animantia, & in ipsa elementa imperium exercere. *Per fidem quippe*, vt ait Apostolus, *sancti vicerunt regna, obturauerunt ora leonū, &c.* His igitur indiciis, Auditores, quāta dilectionis vi Dominus pios homines prosequatur, vtcūque intelligere potuimus. Diuina bonitas non minùs odio habet improbos, quā amore probos prosequitur. Quando ob temeritatem duos filios Aaron, Nadab & Abiu, occidit, ait: *Sanctificabor in his qui appropinquāt mihi.* Quocirca non minùs nos in improbos inflicta supplicia, quā in pios collata beneficia, ad eius amorem incendere debent. Habemus quatuor acerbissima & horrenda supplicia, quibus supernus ille iudex peccantes Angelos, & generis nostri principes, cū tota ipsorum posteritate puniuit, & vniuersum item orbē recèns à se conditum, quem aquarum inundatione deleuit, & quinque illas Gomorrhæorū ciuitates, quas igne & sulphure cælitus demisso in cineres redegit. Hæc supplicia dimittimus. Quæ tamē singulari quadam ratione, vt incōprehensibilem diuinæ iustitiæ seueritatem, ita immensam eius bonitatē, odiumque aduersus improbitatem, declarant. Videmus Chananæorum vastationem, Hierico destructionem. Quid hac Domini cēsura formidabilius? Ipse enim summo odio & impium, & impietatem eius execratur. Sic videmus vindictā in Amalecitas, quam Dominus Sauli regi Samuelis voce cōmisit. *Vade*, inquit, *interfice peccatores Amalec. Non parcas eis, & non concupiscas ex rebus eius aliquid: sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum atque lactentem bouem & ouem, camelum & asinum.* Hac ratione significare Dominus, qui innocentes quoque interfici mandauit, voluit, quàm acerbo odio sceleratos homines prosequatur: quando non ipsos modò, sed muta etiam animantia & pecora, quæ illorū vsui seruiebant, funditus exstingui atque deleri præceperit. His addamus ciuitatis sanctæ vastationem, quam propter varia eius scelera exercitui Chaldæorum Dominus euertendam atque diripiendam tradidit: hanc Hieremias lacrymis prose-

Genes. 18. — *Dei in nos dilectio.* — *Hebr. 11.* — *Leuit. 10.* — *Deus odit improbos.* — *Iosue 6.* — *1. Reg. 25.* — *Ciuitas sancta desolata.*

prosequitur. Hanc etiã funestissimam cladem per Ezechielem Dominus tanta verborum vi & acrimonia comminatur, vt ferrea etiam pectora concutere & tremefacere valeant. Quis, quæso, Auditores, verba Domini apud Prophetam legens, imò non tam verba quàm fulmina, non obstupescat, non in ecstasim rapiatur: non simul & diuini furoris acerbitatem, & diuinæ bonitatis magnitudinem agnoscat? Quò maiorem enim furorem hæc eius verba spirant, eò maiorem nobis immensæ bonitatis eius significationem & argumentum præbēt. Nunquam enim sic aduersus improbos incandesceret, nisi summus probitatis amator esset: quorum altero nos ad salutarem timorem diuinæ iustitiæ, altero ad immensæ bonitatis suæ amorem vehementer incendit. Iam verò Iudææ regem Sedeciam, impietatis populi auctorem, quo supplicij genere Dominus affici, & impietatis suæ pœnas pēdere voluit! Eiusdem bonitatis est, vt bonos summa dilectione complecti, ita malos summo odio prosequi. Cuius quidem odij hæc atrocissima supplicia apertissimum nobis indicium exhibent. Vide item pertimescendas illas imprecationes & maledictiones, quas Moyses diuinæ Legis transgressoribus imprecatur: quarum vel sola pronunciatio horrorem nobis incutere posset, quas tamen breuitatis causa prætereo, studiosisque auditoribus legendas relinquo. Hæc igitur, Auditores, adeò tremēda & expauescenda supplicia, ánnon apertissimè diuinæ bonitatis & sanctitatis immensitatem declarant: quæ tam exitiali odio omnem improbitatem & impietatem auersatur, talesque de sceleratis hominibus pœnas repetit? Quid enim magis summam bonitatē decet, quàm & summo amore bonos, & summo odio malos prosequi? Quòd si quem hæc summa diligendi causa minùs mouet, moueat saltem inæstimabilis dilectionis huius fructus, quã hactenus oratione prosecuti sumus. Spes & timor, duæ siue alæ, siue pedes sunt, quæ nos per virtutis iter ingredi faciunt. His enim duobus affectibus non solùm omnis benè instituta Respublica, sed omnis etiam hominũ vita sustinetur. Rectè à doctis celebratur:

Oderunt peccare boni virtutis amore:
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Amatoribus Dei magna sunt proposita præmia: negligentibus æterna supplicia. Quis ergo adeò ferreus erit, qui his tantis diuinæ iustitiæ fulminibus non frangatur, non ad eius amorem excitetur, qui vbi occiderit corpus, animã trudere potest in gehennam? Itaque si te spes præmij minùs mouet, moueat timor futuri supplicij. Verè enim, vt Apostolus ait, *horrendum est,*

Ezech.5.

Hiere. 52.

Iudææ rex miserè trucidatur.

Deut. 24.

Spes & timor duo pedes.

Hebr.10.

incidere in manus Dei viuentis. Hi námque terrores atque iudicia, quæ proposuimus, velut vmbræ quædã æterni supplicij atque gehennæ exsistunt;quæ Dei neglectoribus cõstituta est: in qua ignis,sulphur,& spiritus procellarum:in qua plus quàm Cimmeriæ tenebræ,vermis immortalis, horrendæ dæmonum laruæ,fletus,& stridor dentium, &(quod est maximè pertimescendum)pœnarum æternitas parata est. Duplici ergo stimulo nos Conditor noster ad se amandum impellit ; dum & ab his tantis malis fideles amatores suos liberat;& cælestis vitæ gaudia nullo vnquam æuo finienda largitur. Tribuit volentibus gratiam in præsenti. Arbor radicibus euulsis, nullũ germinare fructum potest:ita mẽs humana,sublata cælestis gratiæ radice, à qua bona cuncta procedunt, opera Deo grata,& æterna vita digna,proferre nequit. Cadauera myrrha condita , à vermibus & putrefactione incorrupta seruantur,qua sublata,corrumpũtur, & vermibus scatent : sic quandiu iustitiam & gratiam homo retinet , ab omni corruptionis & peccati iniuria immunis est. Si igitur sanari cupimus, Auditores,adeamus Medicum, id est,hunc pium Samaritanum,custodem animarum nostrarum, eiúsque opem assiduis precibus imploremus, eius præceptis & monitis obtemperemus,beneficia, salutarem doctrinam recogitemus;Sacramenta, quæ ipse sanandis vulneribus nostris instituit,frequentemus.Sic fiet,vt vulnerum sanitatem, peccatorum veniam , Dei amicitiam,Spiritus sancti gratiam, & cælestem tandem gloriã,ipso donante,percipere mereamur.Amen.

Suppliciũ

Simile.

Simile.

Gratia Dei conseruat hominem.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN, CONCIO: IN QVA post Euangelicæ lectionis explanationem, de remedio aduersus peccatum agitur : quod leprosi sacrificio in lege descripto,mysticè exponitur.

THEMA. *Ite,ostendite vos Sacerdotibus.* Lucæ 17.

DVo sunt, Auditores, præcipua totius Christianæ Philosophiæ capita: quorum alterum peccati deformitatem, alterum peccati remedia tradit. Et illud quidem nos à peccando reuocat: hoc peccantibus salutaria remedia prouidet. Illud ad Legis opus magis pertinere videtur(quia per Legem cognitio peccati) hoc verò ad

Euan

Euangelicam gratiam: per quam nobis & proponitur & exhibetur medela peccati. De his duabus huius Philosophiæ partibus sermo nobis hodie habendus esset, vt integram cælestis Philosophię partem absolueremus: verùm quia per temporis angustiam, vtramque absoluere non vacabit; de malitia & deformitate peccati in præsenti concione differemus: quo vos ad eius odium atque detestationem incitare valeamus. Nunquam enim tantum in peccati odium progredi mens nostra poterit, quin illud maiori odio atque detestatione dignum sit. Quia verò sanctum hoc odium, amplissimum diuinæ gratiæ munus est, eam hodie sacratissimæ Virginis intercessione, suppliciter imploremus.

Euangeliũ dat medelam peccati.

AVE MARIA.

SICVT Sol hic oculis nostris obiectus, nunquam quiescit, nec itineris sui cursum aliquando remittit, sed incessabili motu terras & maria lustrat, quo rebus omnibus, quæ hoc inferiori mundo continentur, lucis & caloris beneficium impartiat: ita Sol iustitiæ, Christus Dominus, cùm primùm doctrinæ suæ lucẽ spargere inter homines cœpit, per vicos & castella discurrens, nunquam destitit omni ratione mortales iuuare, eosque doctrinæ suæ luce, & clarissimis virtutũ exemplis, maximisque beneficiis, ad diuinarum rerum cognitionem & amorem excitare. Itaque in sacra huius diei lectione Hierosolymam petens, dum transiret per mediam Samariam & Galilæam, nec ipsum quidẽ tempus, quo iter faciebat, à solito bene merẽdi de hominibus officio, vacare voluit. *Dum enim quoddam castellũ ingrederetur, occurrerunt ei decem viri leprosi,* &c. Hi leprosi propter morbi huius errorẽ accedere propiùs non audebant. Audierant quidem formam mirabilium operũ Domini, & ex auditu fidem Spiritus sancti beneficio conceperant. Audierãt item inter omnes eximias Christi virtutes misericordiam præcipuè erga miseros omnes excellere: quæ illum impellebat, vt loca omnia lustraret, quo omnia miseriarũ & morborũ genera ab animis & corporibus hominũ pelleret. Ideò hanc misericordiam appellant, & ad illud ostiũ pulsant quod sibi, hac fide suffulti, aperiendũ credebant. *Clamabant dicẽtes: Iesu præceptor, miserere nobis.* Non longa oratione, aut longis ambagibus vsi sunt: non morbi grauitatẽ, & horrorem amplificauerunt (quod Chananæa fecit, & ille qui Lunaticum filiũ Domino curandum obtulit) sed breuissima & simplici oratione optatum salutis beneficium impetrarunt. Quid enim breuius dici potuit, quàm, *Iesu præceptor, miserere nostri?* Sed ea tamen miseratio Domini fuit, vt vix illa

Christus quid operatus pro nobis.

Matt. 15. & 17.

Oratio breuis, sed efficax.

verba finierint, cùm salutem illis impartitus fuerit: vt appareat, fidelem esse qui per Prophetam dicit: *Et erit, antequã clament ad me, exaudiam: adhuc illis clamantibus exaudiam.* Hæc tanta felicitas piis omnibus promissa est: qua non video quid optabilius homini in vita possit accidere. Quòd si illũ tam facilem & exorabilem, cùm in hoc mundo inter homines versaretur, expertus es, nõ aliũ planè existimare debes, cùm in cælum est assumptus. Locum enim tantũ, non animum, non affectum, non miserendi officium mutauit, cùm in cælum adscẽdit. Hinc Apostolus; *Iesus Christus*, inquit, *heri & hodie, ipse & in secula*, hoc est, eadem in illo mens, eadem pietas, eadem nostri cura & prouidentia, quæ in illo fuit, semper erit. Quid enim mutare illum poterit, de quo scriptum est: *Tu autem Domine idem ipse es, & anni tui non deficient?* Si igitur idem ipse est in cælo, qui in terris exstitit, neque illi annorum numerus aliquid vel addere, vel demere potuit; cur non semper eadem pietatis & misericordiæ opera ab eodem fonte dimanent? Falsi dij à suis cultoribus portantur, nec quidquam ab eis sentiunt leuaminis: hic verò cultores suos portat, nec in manibus quidẽ aut humeris, sed in visceribus, tanquam pia mater portat: nec ad horam, sed vsque ad senectam. *Nũquid*, ait S. Iob, *sicut dies hominis, dies tui? aut anni tui sicut humana sunt tempora?* Nullo modo. His ergo diuinæ veritatis & promissionis obsidibus, adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius: vt misericordiam inueniamus in auxilio opportuno. Sed ad historiæ seriem redeamus. Mittit leprosos Dominus à Sacerdotibus examinandos. *Ite, ostendite vos Sacerdotibus.* Quorsum Domine ad Sacerdotes mittis? Quid lepræ & sacerdotio? Nimirum quia Lex ita præcipiebat, vt lepræ iudicium ad Sacerdotes deferretur. Cur ad Sacerdotes, & non magis ad medicos: quorum est de corporis morbis ferre sententiam? Hoc apertè declarat, hanc quoque Legem, sicut & cæteras eiusdem rationis, spiritualium rerum imagines esse. Nisi enim lepræ nomine peccati deformitas intelligeretur (quod propriè ad Sacerdotum pertinet iudicium) parum decẽs videretur, medicis prætermissis, huius morbi cognitionem ad sacerdotale officium relegare. Quia ergo magis Dominus de spirituali animarum lepra, quàm de corporis solicitus erat: ideò causam hanc, lata Lege, Sacerdotibus examinandã commisit: quorũ est spirituales animæ morbos non solùm iudicare, sed etiam sanare. *Ite*, inquit, *ostendite vos Sacerdotibus.* Illi ea fide, quam antè diximus, confirmati, cùm adhuc lepram corporis cernerent, ita tamen ire cœperunt. Animaduertite, quæso, hoc

Esa. 65.

Misericordia Christi infinita.

Hebr. 13.

Psal. 101.

Idola nihil possunt.

Esa. 46.

Iob 19.

Hebr. 4.

Leprosi ad Sacerdotes mittũtur, & cur.

hoc in loco, Auditores, vigentis fidei & obedientiæ virtutem. *Obedientia virtus.* Poterant hi námque, si solius rationis iudicium cōsulerent, intra se dicere: Quorsum nos ad Sacerdotes mittis? Sacerdotes enim non vim lepram sanandi, sed diiudicandi facultatem habent. Quocirca nemo ad eos, nisi iam sanatus, & à lepræ contagio immunis, proficiscitur. Leprosum illum, quem Dominus à monte descendens ad Sacerdotes destinauit, & sacrificium pro emūdationis suæ beneficio offerre præcepit, manu sua primùm tangens, mundauit, mundatúmque ad Sacerdotes ire iussit. *Matth. 8.* Hi non cōsuluerunt sensus suos, nec rationis iudicium secuti sunt: sed supra sensus, supráque rationem sublati, fidem, & fidei comitem obedientiam tota mente complexi, in spem cōtra spem crediderunt: ideóque amplissimum fidei & obediētiæ suæ præmium retulerunt. *Roman. 4.* *Factum est enim*, ait Euangelista, *dum irent, mundati sunt*. Vt hoc argumento appareat, quod Salomon ait: *Vir obediens loquetur victorias*. *Prouer. 21* Quia enim vir obediens, & in diuinam voluntatem intentos semper oculos habet: ideò summus ille obedientiæ amator piam eius voluntatem, & sancta desideria adimplenda curat. Verissimè dictum est: *Homo sensatus credit Legi Dei, & Lex illi fidelis*. *Eccles. 35.* Hoc est, quia ille fidelis est, implendo quod Lex præcipit: illa fidelis est, implēdo quod promittit. *Lex fidelis.* *Vnus autē eorum vt vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce*, &c. Duo sunt, Auditores, in summo Deo nostro maximè miranda, nempe summa largitas in beneficiis conferendis, summáque seueritas in gratiis pro perceptis beneficiis exigendis. Est liberalissimus bonorū largitor, est & seuerus gratiarum exactor. *Deus liberalissimus* Videmus hoc in loco vtrumque. Qua enim facilitate Saluator leprosis salutem petentibus contulit! Quanta verò acrimonia aduersus ingratos commotus est! Solam gratiarū actionem pro impēso salutis beneficio à leprosis exigebat. Verè enim Sapiens ille ait: *Nō est sensus super censum salutis corporis*. *Corporis census optimus.* Pro quo tamē censu, hoc tam exiguum religionis officiū Dominus postulabat. Neque minor in nos, sed multò etiā maior eadem Domini benignitas est, qui cùm tam eximia quotidie in nos conferat beneficia, adeò exiguum à nobis requirat obsequium, nempe gratum animum, & beneficij memorem. Quid enim minus exigi ab homine potuit? Itaque cùm pro nobis tot alapas, tot vincula, verbera, ludibria, ac denique acerbissimū crucis supplicium pertulerit, & morte sua immortalē nobis vitā contulerit; id à nobis requirit, vt debitas illi pro tanto munere gratias agamus. Experimur hìc multos ingratos homines. *Gratia agēda Deo.* Quam hi stuporis huius excusationem expostulanti

Domino reddere poterunt? Indignatur leprosis ob ingratitudinem; quid quæso, faciet, cùm de salutis æternæ beneficio, nõ verbis, sed summis doloribus parto, rationem ab ingratis exigere incipiet? Est hîc quæstio non absurda, cur Israëlitæ non præstiterint quod alienigena præstitit? Sic in præterita Dominica audiuimus, quod Samaritanus præstiterit misericordiam; & non Iudæi, id est, Leuita & Sacerdos. Quid ergo innuere Dominus voluit, cùm infideles fidelibus in his officiis antetulit, eosque ad hoc maiori lucis suæ splendore illuminauit? In his atque similibus quæstionibus, vix quidquam aliud licet nobis, quàm cum Apostolo clamare: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, &c.* Et quidem hoc in loco sancti Patres vocationem Gentium Samaritani officiis adumbrari verissimè tradunt. Sed ego aliud etiam designari arbitror; nempe fidelium hominũ crimina longè esse quàm infideliũ grauiora. Ideóque quamuis vtrique diuinæ gratiæ ope indigni sint; indigniores tamen esse, & ab ea longiùs distare, qui grauiùs delinquunt. Fideles autem grauiùs delinquere, declarant illa verba Domini: *Seruus, qui scit voluntatem domini sui, & non facit, plagis vapulabit multis.* Idem quoque acriùs illa verba Apostoli testantur: *Voluntariè peccantibus nobis, &c.* Quibus quidem verbis, Apostolus nemini quidem viam salutis præcludit, sed quãto sit eorum culpa grauior, qui veritatis cognitionem habuerũt, quàm aliorum, apertè declarat. Quo enim quis maiorem diuinarum rerum notitiam, & maiora a Deo beneficia, acrioré sque ad pietatem stimulos percepit, eo grauiùs delinquit. Quî enim fit, vt cùm viri & vxoris charitas & necessitudo sit omniũ maxima; maior tamen inter eos (si illa thori fidem violauerit) inimicitia sit: nisi quia maxima beneficia, & amoris incitamenta vxor percepit à viro? Quo nomine, maiorem Hieremias iniquitatem Israëlitarum, quàm Sodomorum esse docet: *Et maior,* inquit, *effecta est iniquitas filiæ populi mei, peccato Sodomorum; quæ subuersa est in momento.* Quæ res magnum nobis, Auditores, incutere timorem debet qui tam multa sub Euangelij gratia ad rectè viuendum adiumenta percepimus: si hac tanta Dei nostri benignitate, & temporis opportunitate abutamur. Quo quisque autem in hoc ordine celsiorem dignitatis gradum obtinet, eo magis timere debet. Magis clericus, quàm quiuis è plebe: magis monach⁹, quàm clericus: magis sacerdos, quàm monachus non sacerdos: magis Episcopus, quàm sacerdos. *Cui multum,* inquit Saluator, *commendauerunt, plus exigent ab eo.* Non enim (ne decipiamini) delictorum tãtùm, sed etiam perceptorum

Iudæi ingrati.

Roma. 11.

Crimina fideliũ qualia.

Lucæ 12.

Hebr. 10.

Simile.

Threu. 4.

Lucæ 12.

ceptorum beneficiorũ ratio in supremo illo examine exigenda est. Perperam igitur fideles obstinatis animis in scelere perdurãtes, de sola sibi fide gratulantur: cùm fides malè collocata & emortua, magis met⁹ illis, quã fiduciæ ansã præbere debeat.

Fides solà non sufficit.

Ex hoc item loco discimus, qua cura Dominus grati animi officium, ab his, in quos beneficia contulit, exquirat; cùm adeò acri oratione ingratos corripiat, cùm ait: *Nónne decem mũdati sunt, & nouem vbi sunt?* Cùm enim ipse adeò liberalis sit in beneficiis conferendis; vult nos etiam liberales esse in gratiis agendis, quæ maximè Dei benignitatem & gloriam illustrant, sicut ipse ait: *Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quò ostendã illi salutare Dei.* Hoc est, propter grati animi obsequiũ, illum maioribus beneficiis cumulabo, & viam ostendam, qua salutarem à me opem omni tempore impetrare valeat. Dignus est enim, vt maiora percipiat, qui minoribus gratus est. *Est ingrati animi vitium,* inquit D. Bernardus, *sicut ventus vrens, exsiccans fontem gratiæ, & fluenta diuinæ misericordiæ.* Rectè monet D. Paulus: *Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite:* in omnibus, inquam, *siue illa aduersa, siue secunda, siue tristia, siue læta sint.* Aduersis exercemur ad patientiam; secundis accendimur ad charitatem: illis humiliamur, istis ad cælestia subleuamur. Hoc erat cõtinuum sanctorum hominum officium, quorum illa vox est: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Quòd autem plurimi tam sint ingrati, & Dei beneficiorum immemores, non aliunde prouenit, nisi Satanæ opera, qui hac ratione fontem nobis diuinæ benignitatis & gratiæ obstruere nititur. Vt enim qui arcem siue ciuitatem obsident diligentissimè itinera ea occupare solent, per quæ cõmeatus ad hostes importari possit: ita callidissim⁹ hostis humani generis, summa cura prouidet, vt omnia diuinæ gratiæ præsidia, quibus salus nostra continetur, intercipiat: quod ingrati animi vitio maximè perficit. Hoc cernere est in illo numerosissimo populo Israëlitico, qui ex Ægypto exierunt, vbi tam pauci in terram promissam, propter ingratitudinem suam, intrarunt. Rectè Ethnicus ait: *Commoda, quibus vtimur, lucem, qua fruimur, spiritum, quem ducimus, à Deo nobis dari & impartiri videmus.* Improbi nihil se Deo, sed omnia vel naturæ, vel industriæ suæ debere arbitrantur. Quorum ingratum animum non viri sancti modò, sed ipsi quoque Ethnici Philosophi grauissimis verbis accusãt. Horum verba maximum Christianis hominibus pudorẽ incutere debent. Rectè illud expenderemus, *Deus nobis hæc otia*

Psal. 49.
Bernardus
1. Thes. 5.
Psal. 33.
Obliuio beneficiorum Dei vnde.
Simile.
Cicero.
Virgilius.

fecit. Quid impudentius, quàm Christianos homines, fidei lumine illustratos, & innumeris diuinæ gratiæ beneficiis auctos & ornatos, ab Ethnicis hominibus hac virtute superari? Aduersum hos autem in præsenti lectione Dominus Samaritani, hoc est, infidelis hominis exẽplo, meritò indignatur, cùm ait: *Nónne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt?* &c. Si veram fidem Samaritanus habuit, non dubium, quin à Spiritu sancto fuerit illustratus: cùm *fides*, vt Apostolus ait, *Dei donum sit, non ex operibus, ne quis glorietur.* Hactenus de Euangelica lectione: nunc de remedio peccati paucis agemus.

Ephes. 2.

Peccatum malũ maximum.

Omnium malorum maximum est lethale peccatum: sic consequẽs est, vt charitas, & charitatis comes innocẽtia (quæ peccatum omne repellit) maximum huius vitæ bonum sit. Hoc est igitur primum quod à nobis exigitur: quod qui habet, charitatem habet, gratiam habet, Deum intra se habet, & maximum æternæ vitæ pignus habet. Quocirca nulla magis in re pius homo neruos omnes intẽdere debet, quàm vt hoc firmissimum non peccandi propositum habeat. Ad quod planè vitæ studia omnia, ac conatus omnes dirigere debet. Ad hoc lectio, ad hoc oratio, ad hoc rerũ diuinarum cõsideratio, ad hoc Sacramẽtorum perceptio, ad hoc sacræ conciones, solitudo, silentium, ieiunia, cupiditatum cohibitio, linguæ moderatio, cæteráque similia, vt diligens cordis & sensuum custodia, instituta sunt. Sed quid mirum, si hæc omnia ad hoc destinata sint, cùm huc etiam sacrosanctum Dominicæ incarnationis & passionis mysterium spectet, dicente Propheta: *Hic omnis fructus* (Dominici videlicet aduentus) *vt auferatur iniquitas?* Quam sententiam pluribus idémque significantibus verbis Daniel expressit, qui in hoc sanctum sanctorum Dominum in mundum venisse ait: *Vt consummetur*, inquit, *præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna.* Hoc est igitur primum veræ charitatis officium, hoc totius Christianæ iustitiæ fundamentum, hoc sancti omnes, qui nunc exsistunt, quique olim exstiterunt, ante oculos semper habebant, huius rei gratia, vota semper & preces faciebant: propter hoc sancti martyres tam immania supplicia pertulerunt. Hoc propositum mentibus vestris concipite.

Esa. 27.

Daniel. 9.

LEPRÆ ET PECCATI COLLATIO.

Lepra inter grauissimos & maximos corporis morbos numeratur: quæ res lethali peccato maximè cõuenit, quod malorum omium, quæ fingi aut cogitari animo possunt, maximũ est. Sicut Deum, summũ quidem bonũ; ita peccatum, summum malum

malum esse statuimus. Deus bonorum omnium effector est: ita peccatum morborum, cladium & malorum omniũ, quæ vel in hac vita, vel in alia sunt, causa est. Nulla enim extitisset in mũdo pœna, si nulla in eo præcessisset culpa. Quod intelligentes sancti viri, nullum tantũ corporis malũ, nullum tam graue supplicium cogitatione fingere poterant, quod nõ facilè perferrẽt, potiùs quàm in lethale aliquod crimen inciderẽt. *Priùs*, inquit bonus quidam vir, *me in infernũ immergerem, quàm in me peccatum admitterem.* Quæ cùm ita sint, Auditores, ánnon iure à nobis dictum est, inter omnia mala, quæ animo fingi & cogitari possunt, summum quidem esse non modò peccare, sed & ea facilitate peccare, qua multos passim delinquere videmus?

Pœna causa quæ.

Anselmus.

Habet & hoc lepra, quòd sit inter omnes morbos maximè deformis: vtpote quæ omnes corporis humores fœdet & corrũpat. at hoc maximè in peccatum quadrat, quod rem omnium pulcherrimam, nempe animam, Dei imagine insignitam, adeò deformem reddit, vt quæ erat diuinæ pulchritudinis speculũ, fiat horrẽdum diaboli simulachrum. Pulchritudinem ac venustatem animæ superueniens peccati deformitas, tanquam torrens lutulentus purissimum fontem influens; ita fœdat atque deformat, vt Dominus per Prophetam dicat animæ sic conspurcatæ: *Abominabilem fecisti decorem tuum.* Et in Psalmo, de improbis hominibus agens; *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis. Cùm*, inquit Propheta, *extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis:* quomodo videlicet oculos ab his rebus auertere solemus, quas abominamur, atque detestamur.

Peccati deformitas.

Ezech. 16.

Psal. 13.

Esa. 1.

Habet etiam & hoc lepra, quòd inter morbos omnes sit maximè cõtagiosa. Ideóq; Lex hoc morbo infectos, omni hominum cœtu & cõuictu arcebat: ne videlicet contagio suo cæteros inficerẽt. Cui autem rei hoc magis conuenit, quàm peccato? Quis morbus, quæ lepra, quæ pestis, ita aërem, & humana corpora, vt peccati lepra, mẽtes hominũ inficit? Vt enim arida ligna igni admota, flammam facilè concipiũt: sic natura nostra diuinæ gratiæ ope destituta, adeò in vitia procliuis est, vt minimo etiam negotio, nedum prauis improborũ exemplis, ad malum impellatur. *Nescitis*, inquit Apostolus; *quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Hinc fit, vt faciliùs quidem pestilens homo innocentes multos peruertere possit, quã multi innocentes pestilentẽ vnum ab instituto improbitatis cursu reuocare. Quod vel vnius Lutheri exẽplo (vt Arrium, cæterósque hæreticos sileamus, qui tam multos mortales errorum suorum

III.

Simile.

1. Cor. 5.

Pestilens homo seducit alios.

veneno infecerunt) facilè comprobatur : quem tamen multi clarissimi viri, nec disputationibus, nec scriptis ab instituta perfidia reuocare potuerũt. *Nihil tam facilè discimus, quàm vitia, nihilque tam difficilè dediscimus.* Qua ex re intelligere licet, quanto in periculo versemur, quicunque in hoc mundo maligno degimus, nisi Dei Spiritu dirigamur.

1. Ioan. 5.

IIII. Est etiam spiritus & halitus leprosorum, nõ modò cõtagiosus, sed fœdo etiã odore molestissimus. Cùm enim interior corporis portio corrupta sit, quid ex corrupto & vitiato fonte, nisi fœtor & horror manare poterit? Idem quoque eorum mentibus eueniat necesse est, qui variis vitiorũ morbis infecti sunt. Animãtium carnes sale cõspersæ, diu incorruptæ seruãtur, quo destitutæ, illicò putresiũt, & vermibus scatere incipiunt: ita planè mẽs humana diuinæ gratiæ ope, velut quodam sale, cõspersa, à peccati corruptione immunis cõseruatur: qua vbi fuerit nudata, fœtorem sæpe prauarum actionum, & variarum cupiditatũ vermes, animã ipsam exedentes, producit. An non rectè Regius Propheta, *sepulchrum patens* esse *eorum guttur* ait, vnde tam horrendi fœtores prodeunt? Lepra, cùm diu in corpore hæsit, hominẽ penè inutilem reddit. Hoc quotidie in inueteratis peccatoribus cernere licet, qui assiduitate peccãdi eò deducti sunt, vt penè omnem spiritualem sensum amiserint. Habẽt aures ad perniciẽ, non ad salutẽ: sic omnibus corporis membris abutũtur. Si, vt vita nostra rectè possit constitui, volumus, caro nostra in sacrificium Domini erit mactanda: spiritus erit dimittẽdus ad cœlestia bona contemplãda. His præcipuis hominis partibus hoc modo distributis, tota planè eius vita rectè constituta erit, nec quidquã aliud in homine desiderari poterit. Carnem nostram immolamus, cùm illud Apostoli præceptũ implemus. *Obsecro vos, fratres, vt exhibeatis corpora vestra hostiã viuentem, sanctam*, &c. Nec caro solùm immolanda est, sed multò magis carnis cupiditates, & turbulenti motus, qui ab ea proficiscuntur. *Mortificate*, inquit idem, *membra vestra, quæ sunt super terram*, &c. Imitemur vinitores, qui vitium palmites amputare solent. Hæc est militia nostra super terram, in qua dies ac noctes decertandum est. *Maledictus qui gladium suum prohibet à sanguine mortificationis suæ.* Mors hæret in tergo, non procul abest. Spiritus autem noster debet esse à carnis effectibus liber, pennis orationis & sanctæ meditationis ad sublimia subuolare debet. Multi ita terræ affixi sunt, vt nullo modo ab ea dimouere se valeant: nullis Ecclesiæ vocibus, aut Dei beneficiis ab hoc amore auocantur. Oportet nos cogitare in quem finem

Simile.

Psal. 7.

Vita rectè instituenda quomodo.

Rom. 12.

Colos. 3.

Hiere. 48.

Sanguis nõ prohibendus.

finem simus conditi & facti, & quid tandem post hanc vitam futuri simus. Hoc, Auditores, requiro à vobis, vt statis quotidie temporibus, auem hanc, hoc est, spiritum atque mentem vestram, hac ratione ad volandum liberam permittatis. Quod facitis quoties pio deuoti animi studio, sanctis precibus, atque rerum diuinarum considerationi vacatis. Adsit Deus. Amen.

DOMINICA XIIII. POST PENTECOSTEN, CONCIO: IN QUA lectio Euangelica explanatur.

THEMA. *Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Matth. 6.

HOc diuinis atque humanis legibus propositum est, Auditores, vt homines ad bene beatéque viuendum inducant. Hoc enim felicitatis humanæ velut fastigium & summa est. Bene autem viuere est, absque peccati contagio innocentem vitam agere. Beatè autẽ viuere est, omni solicitudine & angore, animique formidine & cupiditate vacare. Vtrumque autem cælestis Magister in sacra huius diei lectione apud nos efficere contendit, dum ab auaritia (quæ vitiorum omnium radix est) & ab omni solicitudine, & inani formidine (quæ ab eadem auaritia proficiscitur) grauissimis nos rationibus auocare conatur. Ita fiet, vt si hanc eius doctrinam sectari velimus, ad hanc, quã diximus, humanam felicitatem perueniamus, quæ peccatum omne, omnémque vanam solicitudinem ab humana mẽte depellit. Id verò est felicem esse, & Deo quàm simillimum fieri, qui in summa pace & tranquillitate vitam agit beatam. Opes certè terrenæ quamlibet sint magnæ, animũ à curis & perturbationibus non liberant, aut vitam ab omni solicitudine immunem degere sinunt: ab his malis nos magni consilij Angelus eripere conatur. Auaritia sanè curarum fons est & origo: ab hac nos deterret, quo exstincta matre, filia simul cũ matre exstinguatur. Quoniam autem omnia sacræ huius lectionis verba miram quandam ex se spirant suauitatem, dum paternam Dei nostri curam & prouidẽtiam non erga magna tantùm, sed erga minima etiam nobis ob oculos ponunt, libet ea simplici oratione referre. Est autem hæc sacra lectio pars quædam diuinissimi illius sermonis, quem Dominus ad discipulos in mõte

Bene ac beatè viuere differũt.

Vita beata quæ sit.

Auaritia detestãda.

habuit, in quo tota pene Euangelicæ vitæ perfectio disertissimis ab eo verbis atque documentis traditur. Inter ea verba hoc etiam saluberrimum (vt dixi) consilium à Domino his verbis proponitur: *Nemo potest duobus dominis seruire; aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget*, &c.

AVE MARIA.

QVID Dominus ac Saluator noster in hodierna S. Euangelij lectione præcipuè intendat, verba, quæ initio proposui, apertè declarant. Vult enim nos sine anxia terrenarum rerum solicitudine placidam & tranquillam vitã agere, solámque bonæ conscientiæ curam gerere. Quia verò auaritia est, quæ vt aliorum vitiorum, ita & curarum atque solicitudinum omniũ seminarium est, hanc præcipuè à mentibus nostris eliminare contendit, vt radice penitus euulsa, curarum & vitiorum rami, ab ea pullulantes, cũ ea pariter euellantur. Hoc virus non modò nos necessaria vitæ, sed superuacanea etiam, & quæ vanitati & voluptati magis quàm vsui seruiunt, malis artibus quærere compellit. *Quid nõ mortalia*, inquit insignis Poëta, *pectora cogis Auri sacra fames?* Ex auaritiæ morbo multa curarũ examina oriuntur, quæ nos variè infestant, & à cælestis vitæ proposito deducũt. Hæ námque vbi mentem occupant, eius trãquillitatem & pacem adimunt, quæ cælesti sponso gratũ præstat habitaculum, de quo scriptum est: *In pace factus est locus eius.* Ecclesiasticus cor fatui rotæ carri, & axi versatili comparauit. Hæc autẽ mentis inquietudo quò vehementior est, eò magis nos à virtutum & bonorum operum studio auocat. Vt enim D. Gregorius ait: *Impar homo efficitur ad singula, cùm confusa mente diuiditur ad multa.* Solicitudines & curæ sunt aculei, & spinæ illæ, quæ Euangelicum illud verbi Dei semen, cùm adolescere cœpisset, suffocarunt. Hac enim de causa, vt animus sit quietus, imitari oportet agricolas, qui terram, quæ seminanda est, non modò spinis & sentibus, sed quibuscunque etiam aliis virgultis vacuam esse cupiunt, ne sit quidquam aliud, quod ad se humorem terræ atque succum attrahens, tantum frugibus detrahat, quantum stirpibus aliis contulerit. *Nemo*, inquit Seneca, *vnquam ad bonam mentem peruenit occupatus.* Præcipua verò occupatio est, quæ non modò corpus, sed animum magis curis & cupiditatibus occupat. Cùm igitur cælestis Magister auaritiam vitiorum atque solicitudinum fontem esse intelligeret, omni nos ratione ab ea, cùm in tota Euangelica doctrina, tum præcipuè in hodierna S. Euangelij lectione dehortatur, quo vitam

Virgilius. *Psal. 75.* *Eccl. 33.* *Gregorius.* *Curæ sunt stimuli.* *Lucæ 8.* *Simile.* *Seneca.*

tam ab omni peccati labe,& inani ſolicitudine (quæ animum noſtrum in oratione vehemẽter perturbant)immunem degere valeamus. Ait igitur : *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire*, &c. Cùm domini aduerſis inter ſe moribus diſſident, quî fieri poteſt,vt vtriſque pari ſtudio atq; obedientia ſeruire quis valeat? Si alter ſilere,alter loqui, alter ſtrenuè laborare, alter ludere & otiari iubeat;quomodo quiſquã hæc inter ſe pugnantia imperia exſequi poterit?Quàm acriter autẽ duo iſti domini, Deus & Mammona,hoc eſt,diuitiarũ cupiditas inter ſe pugnent, varia vtriuſque imperia declarant.Alter liberalis eſt,alter auarus: alter dandi,alter rapiẽdi magiſter:alter terrena omnia contemnens,ſolam virtutis rationem habet:alter cætera paruipẽdens, vni pecuniæ ſtudet:alter aquilæ inſtar ſuperiora petens,in cælo conuerſatur,alter cæleſtia deſerens, ſerpentis more terram comedit cũctis diebus. Hac enim de cauſa alio in loco Mammona iniquitatis à Domino appellatur.Qui duobus dominis non poteſt ſeruire,quomodo multis ſimul cum Deo ſeruire poterit? Atqui multi ſeruiunt non ſolùm auaritiæ, ſed ambitioni & libidini,& maleuolentiæ,& vindictæ ſtudio,variiſque cupiditatibus.Tot quis improbos habet dominos , quot peccata cõmiſerit,à quorum crudeli dominatu eximi nolit.*Nemo poteſt duobus dominis ſeruire*,&c. Hoc aduerſus eos dicitur , qui ita Deo ſeruire volunt,vt pecuniæ ſtudiũ relinquere nolint,ſed vtrumque ſimul amplecti velint.Similes ſunt Iſraëlitis,qui ſimili impietate cum vero Deo , Baalim quoque ſeruiebant. Ad quos Elias Propheta : *Vſquequò*,inquit,*claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus,ſequimini eum*,&c.Similes item Philiſthæis, qui captam Dei Arcam iuxta Dagonem Deum ſuum collocarunt,eundem Deo vero & falſo honoris locum exhibentes.Sic igitur iſti Deum ſuum,hoc eſt, argẽtum & aurũ iuxta Deum verum collocant,quando vtrumque pari ſtudio ſe poſſe colere putant.*Quæ conuentio luci ad tenebras? Non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ*. Quo in loco ſeruiendi verbũ obſeruandum eſt. Seruire dixit , quia aliud eſt pecuniæ ſeruire , aliud pecuniam poſſidere.Poſſidere dominorum eſt,ſeruire mãcipiorum. Immoderatus pecuniæ amor vertit hominem liberum in mancipium. *Vbi eſt*, inquit Chriſtus , *theſaurus tuus, ibi erit & cor tuum*,&c.Hos auaros , qui ita omnem ſpem ſuam in pecuniis collocant,Apoſtolus idolorum cultores appellat.Cæleſtis Medicus, ne quis cauſetur quòd habeat familiam , vxorem , liberos,quibus proſpicere debet,intendit, vt omni immodica ſolicitudine pulſa,pacem in animo retineamus. Superflua & inanis

Domini varij qui.

Lucæ 16.
3. Reg. 18.
1. Reg. 5.

2. Corin. 6.

Matth. 6.

Epheſ. 5.

nis cura abiicienda. Vates Regius cum Apostolo Petro vult, vt omnem curam nostrā proiiciamus in eum, quoniam ipsi curæ est de nobis. *Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum. Ideò dico vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ, quid mãducetis: neque corpori vestro, quid induamini*, &c. Qui hîc omnē à nobis solicitudinē & inanem formidinē excutere monet, is planè pro nobis solicitus erit, vigilemque nostri curam geret: sic olim voluit, vt septimo anno terra sabbathū ageret. Dei prouidentia est, tum in animantia, tum in homines. Regius ait Propheta: *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Hac securitate omnis inanis cura nobis adimitur. Omnes, inquā, illas edaces curas exemptas cupit: quare ad hanc rem sermonem dirigere se demonstrat, cùm paulò pòst ait: *Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Verè enim qui Deum habet Patrē, non habet cur aliqua in re angi & formidare debeat. Hic plusquam paternam filiorū suorum curam gerit. Quam rem omnia diuinarū literarum volumina vbique decantant. *Diuites eguerunt, & esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuētur omni bono.* Ad pios, & ad eos, qui filiorum Dei nomina sortiuntur, hæc doctrina dirigitur. De improbis alibi ait: *Non pascam vos: quod moritur, moriatur; & quod occiditur, occidatur, & reliqui deuorent vnusquisque carnem proximi sui. Ideò*, inquit Dominus, *dico vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro*, &c. Quas ad hoc Domine, rationes affers? Primùm quidē ait: *Nónne anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentū?* Hoc est, qui corpus atque animā condidit, qua ratione hæc ipsa subsistāt, prouidebit. Quidquid enim Deus cōdidit, voluitque in rerum natura esse & viuere, necessaria quoq; illi ad vitæ vsum prouidit: alioqui frustra cōdidisset, si quod cōdidit, non aleret, neque conseruaret. Admonet locus, vt beneficiorū simus memores & grati. Hic nihil negaturus est ex eis quæ sunt minima, qui maiora dedit. Dedit corpus, dabit necessaria. Quomodo negabit frumentū, quo aluntur & formicæ, qui nobis paratū seruat panem Angelorū? Hac admonitione, Auditores, ad præterita Domini beneficia mentis oculos reuocate, vt ex maioribus minora sperare discatis. Ipse in terram descendit, mille labores pertulit, ipsum mortis supplicium pertulit, suum sacratissimum corpus & sanguinē nobis reliquit. Videmus hîc diuina beneficia: iam quî fieri potest, vt qui tam magna in nos beneficia contulit, vitæ subsidia, quæ brutis non negantur, nobis sit negaturus? Videm

Psal. 54.
Psal. 36.
Leuit. 25.
Psal. 33.
Psal. 33.
Zacha. 11.
Grati esse debemus.

dendum ne nobis dicatur quod olim Israëlitis dictum est: *Quousque populus iste non credet mihi in cunctis mirabilibus meis? Iam enim per decem vices tentauerunt me.* Vt enim isti adeò stupidi erat, vt nec tot perceptis Domini beneficiis futurorum spem colligerent: ita nos simili mentis stupore oppressi, cùm tam magna Domini beneficia perceperimus, minima hæc sperare dedidiscimus. Hæc igitur est prima ratio, Auditores, qua nos Dominus, & ad spem in paterna eius misericordia & prouidentia collocandam adhortatur, & diffidentiam atque hæsitantiam nostram accusat. Confirmat autem hanc rationem Dominus auium exemplo, cùm subdit: *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt,* &c. Omnia animantia siue in terra, siue in aëre, siue in aquis, quæ vitã habent, & cibum item vitæ atque naturæ suæ accommodatum habent: & tamen cùm adeò multa sint, nulli suum alimentum deest, nullum fame perit. Qua in re mirabiliter diuinæ prouidentiæ solertia elucet. Vt enim maximè sunt varia alimentorum genera, ita maximè variæ sunt in iis animãtibus artes, & vires, & instrumenta, quibus vnumquodque suum sibi alimentum aut vi rapere, aut arte parare, aut insidiis captare, aut etiam retibus illaqueare possit. Quid hîc formicarum prouidentiam, quid apum industriam, quid bombycum fila, quid araneorum telas, & retia, & insidias, quibus muscas venẽtur, quarum sanguine aluntur, commemorem? Quo autem hæc animalia minora sunt, eo maiorem diuinæ prouidentiæ sapientiam potẽtiamque declarant, quæ tantum industriæ, tantum artis & intelligentiæ in tam exiguis corpusculis collocauit. Rectè ait Vates: *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Sume exemplum: Si pater aliquis filij sui familiam, seruos, ancillas, & iumenta diligenter curaret, illisque necessaria suppeditaret abundè; quomodo filium fame perire sineret, cuius familiam tanta cura fouet & alit? Quis enim hoc in animum inducere possit? Ipse Deus, pater noster est, animantium autem Dominus. Addit aliam rationem. *Quis,* inquit, *vestrûm cogitans, potest adiicere ad staturam suam cubitũ vnum?* Inanis & cassa est in hac parte omnis humana solicitudo. Siue enim curam abiicias, nihilo breuius habebis corpus: siue cura distorquearis, nihilo habebis procerius. Si ergo (vt subdit post hæc verba Lucas) neq; quod minimũ est potestis, quid de cæteris soliciti sitis? Hac ratione Dominus ostendit, omnia quæ in mũdo eueniunt, tam maiora quàm minora, intra diuinæ prouidẽtiæ fines contineri; nec magis Deo repugnante humana solicitudine quemquam

Num. 24.

Diffidentia accusatur.

Animantia sibi prouident.

Psal. 148.

Lucæ 10.

quam diuitem fieri quàm eadem solicitudine corporis mensuram augeri. Quo argumento apparet, quanto studio hæc solicitudo fugienda sit, quandoquidem ea nihil opis confert, & animum distorquet, & quod est grauius, diffidentia sua Deum offendit. Non contentus autem Dominus his rationibus alimentorum curam à nobis depulisse, vestimentorum etiam depellit, his verbis: *Et de vestimento quid soliciti estis? Considerate lilia agri*, &c. Quo in loco D. Hieronymus, *Reuerà*, inquit, *nec sericum Regumq́; purpura, pictura textura potest floribus comparari. Quid ita rubet vt rosa, quid ita candet vt lilium? Violæ verò nullo superari possunt murice, nihil gramine viridius delectabiliusq́;.* Vnde est illud Ecclesiastici: *Gratiam, & speciem desiderauit oculus, & super hoc virides sationes.* Appositè ergo Dominus infert: *Si fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur*, &c. Argumentum est à minori, quo florum vilitas hominum comparatione ostenditur. Deus vestit vilia, ergo & vos ornabit, qui pretiosa eius possessio estis: quos non ideò creauit, vt liliorum more breui tempore subsisteretis, sed vt in æternum cum ipso regnaretis.

Eccl. 46.

Nolim autem, vt ex his Domini verbis, *Non laborant neque nent*, &, *Nolite esse soliciti*, occasionem quisquã otiandi accipiat, cùm homini à Deo dictum sit: *In sudore vultus tui vescèris pane tuo.* Solicitudinem quippe Dominus, non laborẽ, adimit. Vt enim Diuus Hieronymus ait: *Labor exercendus est, solicitudo tollenda.* Fuerunt autem olim, vt Diuus Augustinus in libello De hæresibus ait, hæretici quidam plus debito religiosi, ab orationis instantia, Euchitæ appellati, quos sua etiam ætate fuisse ait, qui tantũ orationi tribuebant, vt monachis omni corporis labore ob parandi victus necessitatem interdicerent. A quo nos errore Apostolus liberat, qui & ipse manibus suis laborabat, & fideles ad similem hortatur laborem. Sanctus quoque Iob, *Homo*, inquit, *nascitur ad laborem, & auis ad volandum.* Otio & inertia corrũpitur homo; at vtili labore & exercitatione exercetur. Sic ferrum, quo nõ vtimur, rubigine obducitur: equi, qui diutiùs in stabulo otiosi manent, claudi & torpidi efficiuntur. Sic aqua palustris, quæ otiosa motu caret, ánnon vitium capit, & fœda animantia gignit? Quid terra inculta? ánnon spinas & tribulos germinat? Multò ergo magis homines inertia & otio corrumpuntur. Rectè enim à quibusdã dictum est, impudicos amores esse otiosorum hominum negotia. Denique Sapiens: *Multam*, inquit, *malitiam otiositas docuit, quæ non immeritò vitiorum sentina appellari potest.* Satis ea, quæ hactenus indu-

Genes. 2.

1 Corin. 4.
Ephes. 2.
Iob 5.

Otio perimus.

Eccl. 33.

cta sunt, Auditores, ad spem nostrā fulciendam esse videbātur. Cælestis tamen Magister infirmitatis nostræ conscius, alia adhuc spei nostrę firmamenta adducit: *Nolite*, ait, *soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus?* Innuit Dominus aliam esse Gentium, id est, infidelium, aliā fidelium conditionē. Infidelis enim aut Deum esse non credit, aut illum mortalia curare, resque nostras administrare non putat: hi simulachra colunt. At fidelis homo quanto aliter de Dei prouidentia sentit? sentit planè ea, quæ de summo mundi huius conditore & moderatore Deo sentienda sunt. Illud sentit, quod ait diuinus Propheta: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis*, &c. Magna est paternæ curæ prouidentia. Addit postremò aliam rationem Dominus; quæ paucis verbis non minùs fiduciam nostram, quàm quæ hactenus inducta sunt, fulcit & alit. Subdit enim: *Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis*, &c. Gentes illis inhiant bonis, quæ oculis vident: at vos qui sempiterna bona speratis, quorum comparatione hæc, quæ in manibus habentur, vix puluis & vmbra sunt, quique velut peregrini in hoc mundo degentes, ad cælestem patriam cōtenditis, cur his congerendis toto studio incumbitis, quę mox relicturi estis? Intelligant fideles se Patrem habere protectorem: non est igitur quod diffidant de eius prouidentia. Cogita: *Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis*. Qua quæso de re dubitare potes? Si ergo is neq; potentia, neque voluntate, neque rerum nostrarum scientia destituitur, quid habet pius homo cur hisce de rebus, quæ ad vitæ vsum spectant, solicitus esse debeat? Hæc nobis esse debent commendata: vt sint autem commendatiora, quàm sit diffidentiæ vitium inuisum ac detestabile, ex illo exemplo, quod Israëlitis accidit, intelligimus. Inciderunt enim in illud crimen, exploratorum verbis inducti, qui lustrata Chananæorum terra, hanc ad eos orationem habuerunt: *Terra quam vidimus, valde bona est: sed cultores habet fortissimos, & vrbes grandes atque muratas*, &c. His nuntiis deterritus vehementer populus, seque terram illam expugnare posse diffisus, de reditu in Aegyptum tractare cœpit. Quæ vis autem orationis explicare queat, quantus Domini furor ob huius diffidentiæ crimen aduersus populum fuerit concitatus? *Vsquequò*, ait Dominus ad Moysen, *detrahet mihi populus iste?* Ex historia illa duo colligere possumus; nempe timorem, & spem. Ex hac enim historia, non solùm quātum sit malum diffidentia, sed etiam quantum sit bonum fiducia in Deum, demonstratur. Viderant multa Domini in Aegypto, & in solitudine mira

[Margin notes: *Psal.* 113. — *Psal.* 90. — *Dei prouidētia in nos.* — *Num.* 13. — *Num.* 14.]

Ioan. 6. mirabilia: sic & discipuli Domini, qui ipsum sequebantur, viderant eius mirabilia, exiguo commeatu ingentem hominum turbam satiantem, & tamen diffidebant. Diligenter aduertere debemus eiusdem esse bonitatis, & sontes punire, & innocentes seruare; & misericordiæ lenitate erga istos, iustitiæ verò seueritate erga illos vti Rectè hortatur Ecclesiasticus: *Ne dixeris: Misericordia Domini magna est: multitudinis peccatorum meorum non recordabitur: misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius.* Illi horrenda pœna puniti fuerunt, quadraginta annorum, imò totius vitæ exilio, ne nos nimiùm simus securi de peccato. Superest modò, Auditores, extrema lectionis huius sentẽtia, quæ singularem Philosophiam cõtinet: quã Dominus velut totius huius doctrinæ cõclusionem his memorabilibus verbis intulit: *Quærite* ergo *primùm regnũ Dei & iustitiã eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Hæc Domini sentẽtia meritò plurimũ ponderis & Philosophiæ habere deberet; quia verò à multis negligitur, fit vt omniũ malorũ causa, nempe contemptus sententiæ. Vult Deus & præcipit, vt ante omnia quæramus regnum Dei & iustitiam, pollicens fore, vt cætera, quæ ad vitæ vsum pertinent, vel non quæsita, nobis adiiciãtur: homines autem adeò diuersa ratione vitam suã instituunt, vt Dei regno atque iustitia eius neglecta, sola ea, quæ neglig ẽda erant, omni studio & auiditate consectentur. Quo quid esse absurdius, quid indignius potest? Quæ primo loco quærenda sunt, in postremis habẽt, quæ verò in postremis, ea solùm, Deo neglecto, quærũt. Habẽt solam vitæ huius rationem, omnẽ penè futuræ curam abiecerũt. Totum eorum studium in terrenis bonis congerendis, atque omni ratione cumulandis positum est. Hoc malorũ omnium, quæ in mundo versantur, origo & seminarium est. Quid non facit Deus, vt homini prosit? *Ego*, inquit, *suscitaui de filiis vestris Prophetas, & de iuuenibus vestris Nazaræos, vt alij doctrina, alij exemplo vitæ, nos ad iustitiam regni huius inuitarent. Ipsi quoque Angeli sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis.* Ipse quoque Spiritus sanctus suo afflatu homines ad iustitiam excitare non desinit. Verè Deus amator hominum appellatur. Nos magis leuissima mundi lucra, inanem gloriam, voluptates corporis amamus, quàm regnum Dei, & eius iustitiam: *Verè factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor.* Nónne Deus nobis exprobrare potest: *Serue nequam & rebellis, quid ampliùs agere debui, quàm quod ab origine mundi ad hæc vsque*

Eccles. 5. — *Malorum causa quæ.* — *Hominum peruersitas.* — *Amos 2.* — *Hebr. 2.* — *Amator hominum Deus.* — *Osee 7.*

vsque tempora feci, vt te ad Dei regnum, & iustitiam eius quærendam excitarem? Tota huius Euangelij doctrina auaritiam, vitiorum radicem, & curarum atque solicitudinum matrem, accusat, eamque à mẽtibus nostris, tanquã exitialem morbum, profligare intendit. Rectè monet Diuus Paulus: *Est quæstus magnus pietas cum sufficientia,* hoc est, animus sua sorte contentus. Philosophus mediocrem fortunam tutiorem quàm ampliorem esse dixit, cui nihil supersit, nihil desit. Natura corporis nostri mediis qualitatibus fouetur, extremis offenditur: ita animus mediocri rerũ successu facilè in officio cõtinetur, magnis verò opibus circumfluens, à statu rectitudinis sæpe deducitur: Ratæ enim virtutis & excelsi animi est, in ampla fortuna nõ sublime sapere. Quæramus igitur primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia necessaria adiicientur nobis. Amen.

1. Tim. 6.

Aristoteles.

Mediocritas laudatur.

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN, CONCIO: IN QVA post Euangelicæ lectionis explanationem, occasione mortui adolescentis, de præparatione ad mortem agitur.

THEMA. *Ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matris suæ.* Lucæ 7.

QVONIAM adolescentis funus, in ipso ætatis flore è medio sublati, nobis hodie proponitur, Auditores: non alienũ puto, vt qui ad mortales sermonem habemus, de mortalitatis & vitæ nostræ cõditione pauca dicamus. Huius enim argumenti tractatio non parum nos & ad timorem Domini, & ad peccati odium, mundíque contemptum, iuuare poterit. Quod enim argumenti genus mortalibus, quàm de mortis commentatione, conuenientius erit? Est enim mortis conditio vsque adeò naturæ nostræ propria, vt Philosophi in hominis definitione mortalitatis conditionem adiecerint, hominẽ esse animal rationale atque mortale definientes: vt hac vltima differentia illum à beatis illis mentibus distinguerent. Hæc autem conditio non naturæ, si in eo statu perseuerasset, in quo condita fuit, sed peccati iure, humano generi obuenit. Non ignoro autem, mortis memoriam

Timorem quid generet.

Eccle. 48.

Eccles. 48. Mortis memoria quibus acerba.

non omnibus gratam esse. *Diuitibus enim* (vt Ecclesiasticus ait) *& iis qui libenter huius seculi bonis fruuntur, molesta & acerba est*; vtpote quæ illos hac sua felicitate spoliat: cæterùm pauperibus & calamitosis omnibus eadem non iniucunda est; quoniam ea malis, quibus miserè conflictantur, finem imponit. Vtrisque autem, siue acerba, siue grata sit, maximè salutaris est; vtpote quæ hominum dormitantium, falsamque securitatem arguit, quæ ad salutarem tristitiam, ad pœnitentiam, ad grauitatem hortatur, quæque ante omnia timorem Domini incutit, & desides & cessantes ad iudicium mortis opportunè præparare compellit. Ad hoc autem argumenti genus tractandum, opportunè nobis adolescens hic defunctus in sacra huius diei lectione proponitur. Quocirca nos hodie de hac ipsa præparatione verba faciemus, si priùs tamen Euangelicæ lectionis historiam explanauerimus. Vt vtrumque autem vtiliter & religiosè præstare valeamus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

IN hodierna sancti Euangelij lectione adolescens quidam filius vnic⁹ matris suæ suscitatus à Domino perhibetur. Cuius rei historiam sanctus Lucas Euangelista describit, his verbis: *Ibat Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naim: & ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa.* Naim ciuitas est in Galilæa, nō longè sita à Capharnaū, duobus autem milliaribus distans à monte Thabor. Capharnaum autem Ciuitas Domini dicebatur, non quòd in ea natus fuisset, sed quòd in ea diutius habitaret. Nunquam Dominus, quamdiu inter homines versatus est, promouendæ salutis humanæ officium intermisit. Interdiu enim docebat in templo, noctu pro nobis pernoctabat in oratione Dei. Circuibat etiam ciuitates, vicos, & castella, vbique regnū Dei euangelizans, vbique dæmones ab obsessis corporibus pellens, & salutis beneficia omnibus impertiens. Hanc autem adeò solicitam salutis humanæ & paternæ gloriæ curam declarauit, cùm discipulis cibum ipsi offerentibus, respondit: *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiā opus eius.* Nec hoc solùm in matura iam ætate, sed in pueritia quoque idem curabat: duodennis enim sciscitantibus parentibus, cur ipsos in itinere deseruisset, respondit: *Quid me quærebatis? nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Quæ autem Patris opera, nisi salutis humanæ procuratio erat?* Hoc autem exemplum secuti sancti omnes, tantam temporis rationem habebant,

Naim ciuitas.

Lucæ 6.

Ioan. 4. Cibus Christi quis fuerit.

Lucæ 2.

bebant, vt ne momento quidem à diuinis operibus & mandatis Dei exſequendis vacarent. Quis autem hoc in loco cæcitatem & ſocordiam hominũ ſatis deplorare valeat, qui tempus, præclariſſimum Dei munus, in rebus nihili conſumunt; in quo ſempiternæ felicitatis opes comparari poſſent? Quid illos memorem, qui tempus omne in chartarum, & alearum, ſimiliúmque rerum ludo conſumunt? Quid iſti, queſo, cùm ante ſuperni Iudicij tribunal ſiſtentur, pro ſalute ſua afferre poterunt? quid iudici temporis à ſe impenſi (in quo ſalutis ſuæ negotium agere potuiſſent) rationem exigenti reſpondebunt, quando (ſi verum dicere velint) ſe vitam omnem in ſomno, ludo, otio, & ludicris rebus conſumpſiſſe fatebuntur? Cùm igitur fidei noſtræ ſumma in hoc ſita ſit, vt, qui bona egerint, recipiant vitã æternam: qui verò mala, ignem æternum; quænam iſti bona opera proferent, propter quæ illis felicitatis æternæ præmiũ tribuendum ſit? Nónne hi pecudũ more, ventri ſolùm & voluptatibus nati eſſe videntur? Cùm igitur Dominus (vt ad hiſtoriã redeamus) ciuitati Naim appropinquaret, hæc funebris pompa occurrit. Vbique Domini occurſus & obtutꝰ felix & ſalutaris eſt. Occurrit enim dæmoniacis in regione Geraſenorũ, & curauit eos. Vidit Petrum & Andream piſcantes, & fecit piſcatores hominum. Vidit publicanum nomine Leui, & ex publicano fecit Apoſtolum. Vidit in probatica paralyticum, & mox illi ſanitatem contulit. Vidit cæcum, & illuminauit. Reſpexit in atrio Petrum, & ad pœnitentiam excitauit. Sic modò viduæ occurrens, eamque flentem videns, ſeſe illi conſolatorem exhibuit, eiúſque lacrymas in gaudium commutauit. Si ergo tam ſalutaris vbique Domini aſpectus & obtutus eſt, orare ſemper Dominum debemus, vt placidis nos atque benignis oculis intueri dignetur; ſupplicíque voce cum Propheta clamare: *Reſpice in me Domine, & miſerere mei, quia vnicus & pauper ſum ego.*

Tempus qui conſumunt.

Domini occurſus ſalutaris.

Matth. 9. Ioan. 5. Ioan. 9.

Obtutus Domini precandus.

Pſal. 24.

Ecce, inquit, *defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ.* Et hic quidẽ adoleſcens erat: cui ætas & ſibi & matri longioris vitæ eam ſpem præbebat, vt illa quidem tanquam ſenior, priùs è vita decederet: hic verò maternæ hæreditatis hæres, in vita ſoſpes relinqueretur. Hęc tamẽ ſpes multos ſæpe fallit. Quoties enim patres filiorum magis, quàm filij parẽtum hæredes ſunt? Itaque adoleſcentis huius multorúmque ſimilium exemplo, omnis ætas trepida eſſe debet, Auditores, & de morte, & de genere mortis, & hora mortis ſolicita. Alij enim naufragio, alij ferro, alij caſu aliquo & fortuna intereunt, alij longa ægritudine, alij celeri atque adeò inopinata morte rapiuntur; aliis

neque testamenti condendi, neque sacramenta percipiẽdi (quod est maximè formidandum) facultas suppetit. Quisque autem nostrûm (quod ad se pertinet) horum omnium prorsus ignarus, neque aut quo tempore, aut quo loco, aut quo mortis genere, & qua animi præparatione ex hac vita decedendum sit, prorsus agnoscit. Rectè Saluator monet; *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris*, &c. Per varias autem vigilias noctis, varias vitæ nostræ ætates intelligit; hoc est, adolescentiam, iuuentutem, & senectutem; in quibus omnibus nos esse paratos vult, quia nescimus horam in qua Dominus noster venturus est. Est & hoc hîc notandum quòd salutaris pœnitentiæ remedium, dum nobis longiora tempora pollicemur, protrahimus. Fata ordinem non seruant, vt priùs seniores, posteà iuniores è medio tollant. Huius autem adeò periculosi erroris, immodicus amor sui, magnus errorum magister, causa esse solet. Quid agis, ô homo, qua ratione istam tibi longam ætatem promittis? Inspiciamus vitam nostram, vt ex Deo pendeamus, vt de ancipiti exitu nostro soliciti semper simus, vt nullam nobis vitæ diuturnitatem, nullam securitatem polliceamur. *Ecce*, inquit, *defunctus efferebatur, filius vnicus matris suæ*. Paucis verbis S. Euangelista viduæ huius calamitatem amplificauit, quòd videlicet vnicum amisisset filium, qui sanè luctus acerbissimus erat. Amor autem maternus & vnici filij, tantus est, vt eius comparatione voluerit Dauid Rex dilectionis suę magnitudinem erga Ionatham exprimere, cùm dixit: *Sicut mater vnicum amat filium, ita ego te diligebam*. Quantus ergo hic amor exstitit, tantũ vtique dolorem atque luctum fuisse necesse est. Dominus pio affectu miseratus matris orbitatem, *Noli*, inquit, *flere*, hoc est, omnem à te, ô mulier, dolorem atque lacrymas excute. Ego enim tibi, quem mortuum luges, filium vitæ restituam. Felices lacrymæ, quæ talem meruerunt habere consolatorem: felix miseria, quæ talem habuit depulsorem. Fidelis est qui dixit: *Cum ipso sum in tribulatione*. Vide quæ sit parentum flagrantissima charitas à Deo ingenerata, vt quo tempore, siue liberi, siue pulli cõsulere sibi per ætatem non possent, solicita parentum prouidentia & cura nutriantur. Sunt tamen inter homines nonnulli, qui sic ab hac præclara naturæ indole degenerarunt, vt omnẽ prorsus humanitatem exuisse, & ferinos mores induisse videãtur: quos Apostolus sine fœdere, & sine affectione esse ait. Hi non homines, sed feræ truculentissimę dicendi sunt. Bruta nullo misericordiæ affectu tanguntur, sed homines, qui à natura hos habent affectus, vt ipsi

Mortis genus ignoratur. *Lucæ 12.* *Seneca.* *Vita nostra vitrea, fragilis.* *Viduæ conditionem expende.* *2. Reg. 2.* *Psal. 90.* *Roman. 1.*

ipsi sibi in calamitatibus subuenirent. Dominus à natura misericors, cùm erga alios, tum precipuè erga viduas, pupillos, pauperes, & peregrinos misericordia vti solet. Vnde in literis sacris singulari quadam ratione. *Pater pauperum, orphanorum, & iudex viduarum*, appellatur. *Quærite*, inquit, *iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. Misericordiam*, ait alibi, *& miserationem facite vnusquisque cum fratre suo: & viduam, & pupillum, & aduenam nolite opprimere.* Vide Exodi 22. *Viduæ & pupillo non nocebitis*, &c. Quocirca rectè Apostolus viduas cõsolatur, cùm earum præsidium in diuinæ misericordiæ fiducia, & orationis instantia ponit: *Vidua*, ait, *quæ verè vidua est*, &c. Hæc Deum, in demortui viri sui loco, in animæ suæ virũ accipiat, atque in eius miseratione, & paterna prouidentia acquiescat: hæc conetur Domini misericordiam sibi conciliare. Hic hanc viduam vltrò consolatur, non exspectauit preces, non intercessores, non merita. Corde & verbo, & opere viduæ subuenit. Commoueamur & nos erga alienam miseriam, ex pio cordis affectu. Vbi igitur his verbis Dominus viduam consolatus est, *Accessit, & tetigit loculum, ij autẽ, qui portabant, steterunt: & ait*, &c. Hoc in loco diuinæ atque humanæ naturæ proprietatem apertè cernimus. Mouetur misericordia, humanitatis signum est: solo verbi imperio excitat mortuum, se verum Deum, & mortis ac vitæ Dominũ apertissimè comprobauit. Excitarunt & sancti viri mortuos, orantes; at solius est Dei, vitæ & morti imperare: *qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Consequitur: *Accepit*, inquit, *omnes timor.* Cur quæso timor? Quia in effectu causam, hoc est, in hoc diuinitatis opere, diuinitatis omnipotentiam & gloriam præsentem adesse senserunt. Sic in Lazari resuscitatione gloria diuinæ maiestatis declarabatur. Sic vbi Nabuchodonosor Rex Danielem somnia explicantem audisset, tanta admiratione & metu perculsus fuit, vt eum adorauerit pronus in terram. Sic timent filij Israël, vbi Mosi dixerunt: *Loquere tu nobis, & audiemus*, &c. His exemplis, Auditores, intelligere licet, quale erit ipsum maiestatis Dominum in extremo illo iudicio choris Angelorũ stipatum, ad terram, non ad leges hominibus ferendas, sed ad legum violatores æterna morte puniendos, venientem cernere, quale tunc erit irati iudicis vultum spectare. Nunc autem, Auditores, in potestate nostra est, vt in illo die non iratum, sed placidum iudicem ad cæleste regnum inuitantem cernere valeamus. Felix & verè prudens, qui sic vitam instituit, vt se semper ad illum diem præparet, quo de tota æternitate sen-

Psal. 67.
Esa. 1.
Zachar. 7.
1. Tim. 5.
Viduæ officium.
Christi natura duplex.
Daniel. 2.
Exod. 20.

tentiã laturus est: in quo nõ anima solùm, sed corpus simul cum anima eandem sortem, locúmque recipiet. Qui solo verbi imperio hunc mortuum ad vitam reuocare potuit; ipse poterit mortuos omnes pari potestate pristinæ vitæ reddere. Iustum enim est, vt piorum corpora, quæ fideliter animæ seruierunt, & magnam laboris & pœnitentiæ partem susceperunt, eiusdem cum ea gloriæ participes fiant: contrà verò improborum corpora, quæ vitam omnem in stupris, & libidinibus, variisque voluptatibus consumpserunt, & animas suas ad consensum praui operis illexerunt, simul cum illis acerbissimas voluptatum in æternum pœnas pendant. *Quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia,* &c. Plebis autem nomine non vnam aliquam vrbem, sed totum populũ Israëliticum visitasse Dominum, hoc est, magno beneficio & munere affecisse prædicant. Vnius ergo Prophetæ sanctitatem, totius regni beneficiũ esse docent. Olim Moyses Dominum præuaricatori populo placuit. Videre licet, quanta sit sanctorum dignitas, quantáque ex eorum præsentia ad populos manet vtilitas. Propter decem iustos, quinque impurissimis atque teterrimis ciuitatibus parciturũ se Dominus Abrahæ pollicitus est. In Pauli gratiam Dominus omnes, qui cum illo nauigabant, ab imminenti naufragio se liberaturum promisit. Quid verò illud, quod Rex Israël ad Elisæum ait: *Pater mi, pater mi, currus Israël, & auriga eius?* hoc est: Tu Israëlitico populo currus & auriga, tu murus es, tu defensor, & arx munitissima. Sancti viri non solùm cùm in viuis agunt, sed etiam cùm è viuis excesserunt, vrbium, in quibus eorum corpora adseruantur, stabilimentum sunt. Illi grauiter offendunt Deum, qui pios insectantur. *Qui vos tangit,* inquit, *tangit pupillam oculi mei.*

Exod. 32. *Sanctorũ virorum dignitas.* *Genes. 18.* *Actor. 27.* *4. Reg. 2.* *Reliquiæ sanctorum* *Zachar. 2.*

DE PRAEPARATIONE AD MORTEM.

ADOLESCENS hic immatura morte è medio sublatus mortalitatis nostræ cõditionẽ nobis ob oculos ponit. Stat enim sua cuique dies; omnésque seriùs aut citiùs sedem properamus ad vnam. Philosophus inter omnia terribilia vltimũ atque extremum esse mortem, ait. Mors omnibus bonis hominẽ spoliat: omnium societatem & coniũctionem vna mors dirimit. Hinc D. Hieronymus: *O mors,* inquit, *quæ fratres diuidis, & amore sociatos crudelis ac dura dissocias!* Acerba est huius seculi amatoribus hæc separatio; longè tamen istis acerbior est (vbi ad mortis aditum ventum fuerit) rationis reddendæ cogitatio. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue*

Aristoteles. *Mors spoliat nos.* *Rom. 14.*

siue malum. Statutum est hominibus semel mori; & post hoc, iudicium. Quæ sit autem iudicij huius forma atque sententia, breuiter Regius Vates expressit, cùm dixit: *Semel locutus est Deus; duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia: quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua.* Qui iam nil boni in vita gessit, sed semper suam exsecutus est voluntatem; quos quæso angores hoc tempore sustinebit, cùm adeò vehementer ipsum malè acta vita, & scelerum consciētia premet? Quomodo igitur, qui hoc firma fide tenent, opportunè se ad hoc periculum præparare renuunt? cuique non per famulos, aut vicarios, sed ipsi per se paucis posthac diebus interesse debent? Christianæ vitæ summa, diuinorum mandatorum obedientia, in peccati fuga atque detestatione sita est. Ad hanc porrò detestationem res omnes à Deo conditæ nos hortantur, ad hanc Christianæ religionis mysteria nos inducunt. Homo est duplex, externus, & internus, id est, corpus & anima. Corporis vita est communis cum brutis: est & animæ vita, quam habemus cum Angelis similem. Sic & mors est duplex: sublata vita, moritur corpus, sublato ab anima Deo per lethale peccatum, moritur anima. *Non sunt*, inquit D. Augustinus, *in te viscera pietatis, si luges corpus à quo recessit anima, & non luges animam, à qua recessit Deus. Væ*, inquit, *eis, cùm recessero ab eis.* Sed omissis istis, quæ peccati fugam suadent, & deformitatem ostendunt, ad mortis præparationem reuertamur. Vt hominum cæcitatem vobis ob oculos ponam, Sedeciæ Regis Iuda historiam ad memoriam reuocabo. Huic ergo à Rege Babylonis obsesso, Hieremias Propheta in sermone Domini apertissima oratione significauit, illum in atrocissimi hostis potestatem esse venturum, & regnum, quo potiebatur, amissurum. Cuius vaticinij veritatem rei euentus facilè confirmauit. Rex est captus, omnes eius filij ante patris oculos iugulati, inde omnes Principes Iuda occisi, oculi Regis effossi sunt, vinctus compedibus ductus est in Babylonem, positus in carcerem vsque ad diem mortis suæ. Quid quæso hac infelici tragœdia funestius, quid miserabilius? Hanc expendite historiam, & omnia hæc mala miser ille Rex euadere potuisset, si Prophetæ consilio locum dedisset: & nos æternam damnationem euademus, si diuinis mandatis & consiliis paruerimus. Qui igitur modò sine vllo Dei metu vitam agunt, quique secundùm præsentis vitæ statum ad æternitatem pœnarum damnati sunt, adeò hîc securè agunt? Quomodo hæc infelicissima sors (quam non Angelus, aut Propheta, sed ipse Angelorum &

Hebr. 9.

Psal. 61.

Augustinus.

Osee 9.

Hiere. 39.

Securitas quorum periculosa.

Prophetarum Dominus eis futurã prædicit)nihil eos solicitat, nihil pungit,nihil angit? Quomodo qui terrenarum rerum iactura,aut imminentis alicuius periculi metu sic torquentur,& cruciãtur,huius tantæ rei metu ne tantillum quidem commouentur?Si enim hæc dubia fide crederent,minùs vtique mirum esset eos sic stertere ac dormitare. Sed cùm omnia ista firma & inconcussa fide teneant,& eorum malè acta vita eos vehementer accuset;quomodo vitam omnem in somno, ludo,otio,sine vlla salutis suæ cura,aut impendentis periculi metu, traducere possunt?O ferreas hominum mentes!ô pectora cæca!ô dementiam sanguineis etiam lacrymis deplorandam! Vbi naturalis periculorum timor,qui tanto acrior est,quãto periculũ imminens,& grauius,& certius est?Quid autem certius,quàm quod Catholica fides prædicat? Quid grauius,quàm id in quo aut de cælestis regni gaudiis(quæ omne mentis humanæ desiderium superant)aut de sempiternis gehennæ pœnis(quæ omnia huius vitæ supplicia vincunt) sententia ferenda est? Quis igitur nos ita de mente deduxit,vt cùm omnia siue aduersa, siue secunda, quæ momentaneam hanc vitam attingunt, sic nos exagitent; sempiternę vitę bona(quæ infinitis partibus maiora sunt)prorsus negligamus? Vnde quæso, Auditores,hic tantus mentium stupor? hæc tam densa animorum caligo? in his præcipuè qui firma fide tenent,nemini ad salutẽ aditum sine pœnitentia aut innocẽtia patere?Multa sunt,quæ homines in hoc errore detinent: sed illud in primis, quòd longiora sibi vitæ spatia multi pollicẽtur:ad quæ pœnitentiã,quam certò ad salutem necessariam esse sciunt,reseruant. Quam quidem opinionem callidissimus ille serpens astu atque præstigiis suis confirmare nititur, cùm facit,vt homines mortem,quæ sæpe in foribus adest,longissimo à se interuallo abesse putent. Qua in re pictorum artem atque solertiã imitatur;qui corpora quędã in tabulis ita depingunt,vt longissimè distare videantur, quæ tamen in eadẽ tabula sunt. Cuius fallaciæ dolum illi quotidie experiũtur, qui cùm diuturnam sibi vitam pollicerentur,multáque in futurum tempus disponerent,hac falsa spe delusi, insperata morte è medio sublati sunt. Hæc igitur,Auditores,vt alias prætereamus,præcipua causa,quæ seculi amatores in hoc tãto salutis æternæ periculo adeò securè vitã ducere facit. Quid autẽ dementius,quàm hoc tantum negotium tam dubiæ spei committere?quæ si votis nostris minimè respondeat, imparatum hominem ante rectissimi iudicis tribunal sistit,qui nos,tot propositis in Euãgelio parabolis,ad vigilandũ adhortatus est. Vigilemus ergo cũ fidelibus

Catholica fide nihil certius est.

Error quos detineat.

Simile.

Mors inopinata.

Matt. 25. Vigilandum in vita.

fidelibus & prudentibus seruis,& lampades cum oleo præparemus cum prudentibus virginibus;vt,cùm Dominus venerit,& pulsauerit ianuam, nos vigilantes inueniat; atque ita tandem eius felicitatis & beatitudinis participes efficiat, quam fidelibus paratam habet. Memineris,quicunque es, tibi dici: *Adolescēs,tibi dico,surge.* Teneris crimine mortifero,mortuus es,tibi dicitur: *Surge,qui dormis: & excitare à mortuis, & illuminabit te Christus.* Quatuor deferunt mortuum ad sepulchrum: ita quatuor sunt,quæ animas in peccato mortuas ad tumulum deferunt,quæ sunt,spes longioris vitæ,fiducia diuinæ misericordiæ,amor mundi,& virtutis labor. Mundi amor plurimos decipit:qui videlicet tanto terrenarum rerum amore, ac voluptatum suarum flagrant,vt nullo vel Dei, vel gehennæ metu, ab earum complexu deduci velint, nec vlla animæ suæ vulnera formident,dummodò his rebus,quas ardenter cupiunt,potiantur. In quos illa Hieremiæ similitudo appositissimè quadrat: *Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui: nullus auertit eam, in menstruis suis inueniet eam.* Hi portitores deferunt ad tumulum,qui est terra obliuionis, vbi Dei & salutis suæ deponit memoriam. Ab hoc malo liberet nos Christus Iesus Dominus noster: qui vt nos à peccati morte liberaret,pro nobis mortem subire non erubuit: qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

Ephes. 5.

Portitores ad tumulū qui sint.

Hierem. 2.

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN, CONCIO: IN QVÀ POST Euangelicæ lectionis explanationem,mystica explicatio de Sabbathi religione continetur.

THEMA. *Si licèt Sabbatho curare?* Lucæ 14.

INITIO sacræ huius lectionis, Auditores,de Sabbathi obseruatione mētio fit: quod tāta olim religione Dominus obseruari præceperat, vt non solùm omne seruile opus sub capitis pœna prohiberet, sed ne ignem quidem in domibus accendere,nec Māna in deserto ad vescendum colligere permitteret: ideóque duplices populo cibos sexta feria ante Sabbathum ministrabat. Hoc autē Sabbathi otium ideò tanta religione obseruandum sanxerat,vt eo die homines curis & negotiis secularibus vacui,rebus diuinis,

Sabbathi obseruatio sacrosancta.

atque animarum suarum saluti operam darent. Æquum enim erat, vt qui sex diebus corporis obsequio inseruerant, vnũ saltem diem animarum saluti impenderẽt: imò verò, qui sex diebus sibi, suique commodis vacauerãt, hoc saltem die vni Deo, omnium temporum atque commodorũ largitori, vacarent. Id autem fiebat, cũ pij homines eo die precationi, gratiarũ actioni, diuinarúmque rerum meditationi incumbebant. Hoc enim verè erat Sabbathum sanctificare. Otium námque pietate & ratione vacuum adeò nihil confert, vt etiã de eo scriptum sit: *Multam malitiam docuit otiositas.* His autem officiis verè Sabbathum sanctificabatur. Quæ verò eisdem nos officiis in Lege noua dies festos sanctificare debemus; de ipsis hodie disserere visum est; vt sciamus quónam modo hos dies colere & sanctificare debeamus. Priùs tamen Euãgelica lectio explananda est. Vt hoc autem vtiliter & religiosè præstare possimus, cæleste opẽ, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

Eccles. 33.

AVE MARIA.

IN hodierna sancti Euangelij lectione, Auditores, insignem quandam Pharisæorum calumniam, qua Dominum illaqueare tentabãt, animaduertere licet. Quo argumẽto intelligimus, non modò ob indignissimum crucis supplicium, sed propter multos alios in vita perpessos labores, nos esse Seruatori nostro debitores. Non solùm enim passionis eius dies, sed tota eius vita crux quædam acerbissima fuit. *Habuit enim*, vt D. Bernardus ait, *in factis obseruatores, in verbis contradictores, & in tormentis illusores.* Vnde meritò sponsa in Canticis fasciculum myrrhæ ipsum appellat: quòd tota eius vita variis fuerit odoribus & acerbitatibus, propter hostiũ suorum odiũ inuidiámque respersa. Quòd si quis huius feralis odij (quod nec ipsa morte exsatiatum fuit) causam quærat: ea sanè fuit, quòd Pharisæi ægerrimè scelera sua à Domino obiurgari, ferebant. Nõ nerat cælestis Magister, ad verum populi doctorem illa Domini verba pertinere: *Clama, ne cesses: quasi turba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum.* Hoc autem præceptum pseudoprophetæ, ne in odium populi incurrerẽt, prorsus negligebant. Vnde de illis Dominus ait: *Speculatores eius cæci omnes, canes muti, non valentes latrare.* Rursúmque per alium; *Prophetæ,* inquit, *tui viderunt tibi falsa, & stulta, & non aperiebant tibi iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent.* A quo crimine longissimè Saluator abfuit, qui de seipso in

Bernardus. *Fasciculus myrrhæ quis.* *Odij causa in Christũ.* *Esa. 58.* *Esa. 58.* *Prophetæ falsi quales.* *Thren. 2.*

in Psalmo ait: *Annunciaui iustitiam tuam in Ecclesia magna: ecce labia mea non prohibebo: Domine, tu scisti.* Illos redarguit, qui plus exẽplo, quàm peccato nocebãt: quales Scribę & Pharisæi erant. Hac igitur de causa tot insidias, tot calũnias, tot aduersus illũ tendiculas excogitabant. Sit; Domine, nomen tuum benedictum in secula, qui tot probra salutis nostræ gratia perpeti dignatus es. Semel quidem manibus impiorum crucifixus es, millies autem linguis eorum. *Filij enim hominum dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Hæc pręcipua Pharisaici odij causa exstitit. In pręsenti igitur Euangelio, Domino Pharisæi nouas struunt insidias. Inuitant illum ad prandium in domo cuiusdam principis Pharisæorũ, idque Sabbatho: quo die nefas erat apud Iudæos, non quidẽ ex diuina religione, sed ex eorum superstitiosa obseruatione, ægrotos curare. Subiiciunt ergo oculis Domini hydropicũ, certi de eius misericordia, quòd illum sine salutis beneficio non dimitteret. Tanta enim erat Domini misericordia, vt ipsi etiam aduersarij hoc sibi de ea pollicerentur. Cùm ergo Saluator cõsilia eorum intelligeret, quærit ab eis, *Si licet Sabbatho curare? At illi tacuerunt.* ne videlicet responsione sua aditũ insidiis suis præcluderent. At Dominus praua malignantium consilia & odia despiciens, apprehẽsum manu sua hydropicũ, subita sanitate donauit. Qua in re immensa Christi Domini misericordia apparet, qui sæpe etiam non rogatus, misericordiã miseris impẽdebat. Sic enim hydropicum hunc, nihil rogantẽ, nihilque petẽtem, sanauit. Hydropicus, qui semper solet sitire, auaro diuiti comparatur, qui quo magis opes auget, hoc maiori earũ siti ac desiderio laborat. Propone medico morbum tuum, & ipse tui miserebitur. *Desideriũ pauperum exaudiuit Dominus.* Ad Pharisæos, hoc est, ad Domini cõuiuas veniamus. *Et ipsi obseruabant eum.* Scire videlicet volẽtes, an in Sabbatho curaret (quod apud illos immane sacrilegiũ erat) vt ipsum in odium atq; inuidiam, tanquam Sabbathi violatorem, vocarent. Inuidia tot dolorum aculeis sauciatur, quot bona in domo cernit aliena. Depingitur B. Sebastianus martyr sagittis vndique cõfossus: cæterùm si cui hominis inuidi pectus cernere liceret, totidem in eo sagittas, hoc est, dolorum aculeos deprehenderet: omnes enim aliorum felicitates, suas ducit esse miserias: & (vt Poëta ait) ibi præcipuè lacrymatur, vbi nil lacrymabile cernit. Quis autem verbis consequi possit, quas in mundo strages inuidiæ pestis ediderit? Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. Hæc igitur inuidię pestis,

Phari

Psal. 38.

Psal. 56.

Misericordia infinita.

Dominus vltro benefacit.

Psal. 10.

Simile. Sebastiani figura.

Sapien. 2.

Pharisaei Christum oderunt.

Pharisæos impulit, vt Dominum Saluatorem tot modis insectarentur, quòd gloriam suam, illius gloria, hoc est, clarissimis virtutum exemplis singulari doctrina, & admirandis operibus obscurari viderent. Vbique quærebant ansam accusandi. Ad quæstionem Domini impudentes nebulones tacent, vt silentio suo curandi occasionē illi præberent. Sed, ô fraudulentum dolosumquè conuiuium! Iudas osculo, & pacis signo Dominum prodidit: isti autem eundem ad conuiuium vocātes, lethale virus animo inclusum gestabant. At mitissimus Agnus luporum insidias dissimulabat, ipse tamen benignitatis suæ opera æquè ostendit. Hîc magnanimitatis nobis præbet exemplū, vt vana hominum iudicia contemnamus: neque ab eo, quod rectum est, oblatrantium hominum causa deducamur. A misera vulgi seruitute nos hodie Saluator exemplo suo reuocat, cùm Pharisæorum offensionem cōtemnens, apprehensum hydropicum in eorū oculis & adspectu sanauit. Vbi ergo Dominus hydropicum curasset, Pharisæorum etiā qui grauiori superstitionis & cæcitatis morbo laborabant, his verbis sanare aggressus est, *Cuius*, inquit, *vestrûm asinus, aut bos in puteum cadit, & non extrahet illum continuò?* &c. Quid enim respōdere possent, si boui quidem periclitanti succurrendū esse in die Sabbathi dicerent, homini verò ægrotanti negarent; cùm non homo propter bouem, sed boues, & oues, & pecora campi hominis gratia condita sint? En, Auditores, quomodo sapientia vincit malitiam, & serpens Moysi Magorum deuorauit serpentes. Ipsi credebant dolis suis atque consiliis Dominum illaqueandum: qui tamen dolis suis irretiti, de ignorātiæ, inhumanitatis, & superstitionis crimine conuicti sunt. Hîc Pharisæorum cæcitas & auaritia apertè declaratur: qui nefas esse putabant, hominem in Sabbatho curare, cùm iustum esse crederent periclitanti boui succurrere. Mira sanè iudiciorū peruersitas. Cùm enim constet charitatis legem à Domino non ad brutorum animantium, sed ad hominum salutem latā esse, isti adeò præpostero iudicio erant, vt eam erga pecudes, non autem erga homines, seruādam esse decernerent: quandoquidem periclitantes boues in Sabbatho curandos, homines negligendos esse iudicabant. Quo quid dementius, quid magis præposterum, quid ab omni humanitate magis alienum esse poterat? Quid verò, Auditores, si huiusmodi cæcitas in nostris quoque moribus deprehendatur? Quàm multi enim sunt, qui maiorem iumentorū suorum; quàm animarum seruorum suorum curam habent! Qua de re sic D. Bernardus, *Aegrotat*, inquit, *equus, & quæritur remedium: periclitatur*

Magnanimitatis exemplū.

Sap. 8

Sapientia vincit malitiam.

Pharisæorum superstitio.

Bernardus.

tur subditus, & dissimulatur. Cadit asinus, & est qui subleuet: perit anima, & non est qui recogitet. Hîc quoque iudices, qui suis indulgent affectibus, accusandi sunt. Sic etiam nonnulli Sacerdotum hoc affectu accensi, causas inueniũt, propter quas multis se beneficiis onerare, & quæ multorum alimenta esse deberent, sibiipsis sumere audeant. Nunquam igitur his, qui hac animi ægritudine laborant, ficta ratio deerit, qua seipsos decipiant, atque errorẽ suum tueantur. Verùm nemo apud æquum iudicem, qui scrutatur renes & corda, hunc suum errorem defendere arbitretur. *Nolite*, inquit ille, *errare, Deus non irridetur.* Hic locus admonere deberet, vt de festorũ sanctificatione dicamus. Scitis autem Sabbathi obseruationem in Dominicum diem translatam esse; in qua etiam seruilia opera prohibentur. Quorsum hoc? Certè vt hoc ipso die à seruilibus operibus feriati, animæ nostræ saluti vacaremus, & contractas cæteris diebus peccatorum sordes hoc die expiaremus; & qui cæteris diebus terrena tractauimus, hoc die cælestia tractaremus; & qui curis & laboribus negotiorum distenti, animæ curam neglexímus, hoc die eius curã ageremus. Hoc igitur consilio dies festi diuina & humana auctoritate sanciti & consecrati sunt. Quis autẽ hoc in loco iustis lacrymis innumerabiliũ hominũ abusum deflere queat? Hîc alij otiantur, alij indulgent poculis, ac cõuiuiis, alij Veneri, alij in tẽplis sub sacro fabulis secularibus. O gentem peruersam! ô animos tenebris & densissima cæcitate oppressos! Eò festorũ sanctificatio deducta est apud plurimos, vt omnis vitæ intẽperantia atque licẽtia ad hũc præcipuè diem reseruetur. Quod ad præterita crimina expiãda institutum est, nouis criminibus cumulandis seruit: quod ad animarum salutem sancitum fuit, in carnis voluptatẽ vertimus: ac postremò, quæ dies consecrata Deo erat, diabolo & satellitibus eius militat. Quid quæso supernum illum iudicem ad hos festorum violatores dicturum speramus, nisi quod olim iam dixit: *Odi & proieci festiuitates vestras, & non capiam odorem cœtuum vestrorum?* Apud Esaiam, *Sabbathum*, inquit, *Neomeniam, & festiuitates alias non feram*, &c. Quid his quæso verbis formidabilius? Iam vide quis sit spiritualis hydropisis morbus, vt sunt omnia vitia, præsertim carnis, quibus maxima humani generis pars infecta est: ideoque qui hos vicinæ mortis aculeos euadere cupit, assiduis precibus ab hac peste se à Domino liberari postulet. Vbi ergo Dominus superstitionis morbum, quo Pharisæi laborabant, adhibita ratione, sanare aggressus est, aliud multò grauius ambitionis malũ, quo ad mortem vsque ægrotabant,

Iudices qui accusandi.

Sacerdotes accusandi.

Galat. 6.

Dominicus dies vt celebrandus.

Abusus dierum festorum.

Amos 5.

Esa. 9.

Hydropisis morbus.

tabant, proposita quadam parabola (quæ non procul à præsenti conuiuio aberat) curare voluit. Sic igitur ait: *Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non recũbas in primo loco: ne fortè honoratior te sit inuitatus ab illo*, &c. Hoc Domini cõsilium etiamsi ad literam accipiatur, non parũ ad vitam ciuilem & conuictũ cum hominibus valet. Ad quod nos etiam Salomon adhortatur his verbis: *Ne gloriosus appareas coram rege, & in medio magnatorum ne steteris.* Melius est enim vt dicatur tibi: *Adscende huc: quàm vt humilieris coram principe.* Rursumque alibi: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam, & coram hominibus.* Quo in loco illud obseruandum est, ne captandi honoris, aut humani fauoris gratia infimum locum eligamus. Hoc enim non esset honorem fugere, sed ambire, & superba humilitate oculos hominum fallere. Admonet locus, vt in omni vita sublimiorem locum, & mundi honores fugiamus, quòd in huiusmodi sublimitate casus insit. Sic Dauid in sublimitate fecit ruinam. Saul, alioquin bonus, vbi ad regni soliũ est euectus, vt fortunã & dignitatẽ, sic animum mutauit, & in deterrima facinora lapsus est. Hac igitur de causa sancti quique viri maiori studio & contentione dignitates fugiebant, quàm alij ambirent. Vide quid fecerit D. Augustinus: *Elegi*, inquit, *inter cætera, magis abiectus esse in domo Dei, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Iam verò quid Ambrosius eius coætaneus fecit, quas artes non excogitauit, quid denique non designauit, vt Episcopatũ fugeret? Quid itẽ D. Gregorius? quas is latebras non quæsiuit, vt summum Pontificatum fugeret? Quibus verò posteà per omnem vitam lacrymis se à monasterio suo sublatum, & in sublimi loco positum deflet? Non latebat sanctos viros, quàm magna secum pericula sublimis loci dignitas, & omnis humana prosperitas afferret. Hinc ille ait: *Viri sancti magis formidant prospera, quàm aduersa: quia prospera deiiciunt, aduersa erudiunt.* Ethnici quoque non dissentiunt. *Stultus*, inquit Isocrates, *bona fortuna, tanquam ebrietate nimium furens, stultior euadit.* Ad quos non abs re fuerit memorabile quoddam Philippi regis Macedonũ exemplum afferre, qui vbi Athenienses partem Græciæ nobilissimam bello superasset, animum victoria se efferentem, ratione compescuit. Et ne quid posteà per contumeliam & fastum committeret, instituit, vt quotidie in aurora excitaretur à somno his verbis: *Surge rex, & hominem te esse cogita.* Vide virtutem Ethnici hominis, qui hac ratione elationem animi comprimere voluit: vide etiam prudentiam, qui sic felicitatis natu

Prou. 25. *Eccles. 3.* *2. Reg. 24.* *1. Reg. 11.* *Augustinus in libro de vita Clericorũ.* *Sancti honores fugerunt.* *S. Isidorus.* *Philippi regis Macedonum factum.*

naturam agnouit, vt hac ratione sese intra mensuram suam contineret. Hanc igitur nos hodie Dominus verè Christianam Philosophiam in proposita parabola docet, vt humilitatem, & humilitatis officia & loca in omni vita sectemur, & sublimiora fugiamus, si mũdi pericula declinare, & veram gloriam consequi desideramus. *Quia omnis*, inquit, *qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* Qua sententia, quid Dominus hac proposita parabola docere voluerit, apertissimè declarauit. Hanc igitur sententiã, Auditores, quæ superbiæ detestationẽ, & humilitatis commendationẽ continet, amplectamur. *Amen*, inquit Dominus, *dico vobis, nisi cõuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Christus, qui omnium virtutum, præcipuè humilitatis, exẽplar est. Hæc virtus humilitas, est fundamentum, radix virtutum, scala paradisi. Hanc D. Bernardus breuiter definit, his verbis: *Humilitas est virtus, qua homo verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit.* Sicut faber ferrarius ferrum in fornace primùm mollit: quod vbi fecerit, in quamuis illud formam sine vllo negotio fingit ac refingit, quod in frigido ferro nullo modo facere posset: ita humilitatis virtus animum sic mollit, & tractabilem facit, vt facilè cuiuslibet aliarum virtutum formã recipere possit; quod à superbis mentibus alienissimum est, quas frangere potiùs, quàm ad virtutem flectere possis. Humilis est obediens, superbus filius Belial, id est, absque iugo. Humilis est mansuetus, lenis. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Humilis est patiens: superbus contumeliarum impatientissimus. Humilis est ad paupertatẽ Euangelicã promptus, cùm superbus abhorreat. *Humilis ad orationis studium est propensus.* Oculi mei semper ad Dominum. Magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur. Humilis animus memor est diuinorum beneficiorum. Vbi humilitas, ibi & sapientia. Tabula, in qua imago nulla depicta est, quamuis formam aut figuram recipere facilè potest. Sic igitur qui se pauperem arbitratur, solaque diuinæ gratiæ ope nititur, facilè sapientiam ab aliis discere & concipere potest: quod superbis minimè contingit, qui seipsos sapere arbitrantur. His omnibus humilitatis laudibus extremam hanc addam, quòd ea fidissima virtutum omnium custos exsistat: ideoque ad spiritualis vitæ perfectionẽ adspirantibus sit maximè necessaria. Vnde beatissima Virgo, vt supra omnes creaturas perfectissima, ita supra omnes erat humillima. Quis adeò ferreus erit, qui nõ in eius amorem exardescat, quæ vna tantam secum bonorum omnium segetem adfert?

Gloria vera vt quærenda. | *Matt. 19.* | *Humilitatis definitio.* | *Simile.* | *Humilitatis commendatio.* | I. | II. | III. | IIII. | V. | *Eccles. 5.* | *Simile.* | *Humilitas custos virtutum.*

Quia

Sabbathũ spirituale. Quia superiùs de Sabbathi sanctificatione mentionem fecimus, vt exordio finis respondeat, nonnihil hîc huic materiæ addere placuit. Quisque veteris Testamẽti volumina paulò diligentiùs euoluerit, non satis mirari poterit, quanta cura Dominus Sabbathi religionem commendauerit. *Exod. 20.* *Memento*, inquit, *vt diem Sabbathi sanctifices*, &c. *Exod. 31.* *Videte*, alibi præcipit, *vt Sabbathum meum custodiatis: quia signum est inter me & vos*. Hoc est, hoc publico signo volo, vt ab omnibus nationibus religionis me cultores, cæterísque hominibus dissimiles agnoscamini. Iam verò quid Sabbathum piè colentibus promiserit, per *Hiere. 17.* Hieremiam declarauit, cùm dixit: *Custodite animas vestras, & nolite portare pondera in die Sabbathi*, &c. *1. Mach. 2.* Tanta reuerẽtia hic dies à religiosis quibusdam Iudæis quondam obseruatus est, vt ne arma quidem, quibus se ab inuasoribus tuerentur, eo die capere auderent, priúsque ab hostibus trucidari, quàm Sabbathum violare mallent. At illud otium non admodùm Deus respicit: ille vult mentis in Deum, salutis & vitæ nostræ auctorem, eleuationem, quam orationis nomine significamus, quæ animum requirit vacantem, liberum, tranquillum, & ab omnibus non modò curis, sed etiam externis occupationibus expeditum. *Sabbathũ quale Dominus vult.* Orationis autẽ nomine duo singularia eius officia comprehendimus: videlicet petitionem, & gratiarum actionem: quorum alterum futurum tempus, alterum præteritũ spectat: & alterum ab infirmitatis & miseriæ nostræ consideratione, alterum à diuinæ beneficentiæ recordatione proficiscitur. Infirmitatis enim nostræ cognitio nos ad diuinam opem assiduè flagitãdam impellit: beneficiorum autem diuinorũ recordatio ad diuinas laudes & gratiarum actionem inuitat. Vt enim diuinæ opes ingratis elabuntur & excidunt: ita grati atque memores, eas facillimè conseruant, maioraq; in dies & ampliora virtutis ornamenta cõsequuntur. Ne paulatim nos Dei obliuio caperet, & negligentia religionis omnibus simul bonis euerteret, commodum fuit, septimo quoque die instaurari atque renouari numinis memoriam, Deique summi benignitatem, illius mentione crebriùs repetita, vehementiùs animis insculpi. Admonuit, vt parenti & conditori rerum omnium gratias ageremus, illumque ob tam admirandam fabricam assidua prædicatione celebraremus. Iustissimum enim est, vt qui semper in conseruãdis nobis occupatus est, semper à nobis debitis laudibus, & continua gratiarum actione prædicetur. *Ecclesia cuius nos admoneat.* Ad hoc autem nos Ecclesia in quotidiano sacrificio, voce Sacerdotis, hortatur, cùm ait: *Gratias agamus Domino Deo nostro*: cui populus respon

ſpondet: *Dignum & iuſtum eſt: Verè dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & vbique gratias agere*, &c. Quid enim iuſtius, quàm vt ſemper illum cogitemus, qui ſemper nobis adeſt, ſemper vitam inſpirat? Ipſe enim, ex quo mundum condidit, nunquam ab hominibus iuuandis, variíſque beneficiis ornandis conquieſcit. Quæ cùm ita ſint, cur vllum tempus erit, quod ab eius laudibus vacare debeat, à quo tam multis modis vita noſtra iuuatur? Dicamus cum Dauide: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* Nos, dæmone operante, eò ſtuporis atque dementiæ adducti ſumus, vt ſimiles eſſe videamur mente captis hominibus, qui in xenodochiis communi Reipubl. ſtipendio ſuſtentantur: qui tamen, quoniam mentis impotes ſunt, hoc beneficium non agnoſcunt, neque benefactoribus gratis agunt. Itaque more pecudum iis, quæ illis exhibentur, ſine vlla grati animi ſignificatione, vtuntur. Hos igitur atq; adeò pecudes ipſas imitari videntur, qui diuinis beneficiis fruentes, adeò ſtupidi & amentes ſunt, vt nunquam mentem in Deum attollant, neque vlla tantorum donorum recordatione tangantur. Hæc fabrica mundi, qua nihil neque maius, neque melius, neque pulchrius, neque perfectius oculis in vita vſurpare poſſumus, hæc, inquam, in hominis gratiã edita eſt. Quæ res vel ex eo patet, quòd omnia quæ in hoc inferiori mundo edita ſunt, homini deſeruiunt. Si ergo tam præclarum opus in hominis vſum & gratiam Deus edidit; ipſum, quæſo, hominem, cui tam inſigne palatium apparauit, in cuius rei gratiam condidit? num vt in eo luderet? vt otiaretur? vt indulgeret genio? vt voluptatibus ſe dederet? vt tempus omne in chartarum ludo conſumeret? Summum illud numen non condidit tam præclarum opus in harum rerum viliſſimarum gratiam. In quem ergo finem hominem procreauit? Certè vt parentem ſuum optimum laudaret, diligeret, & pro tantis beneficiis gratias ageret. Voluit vt creata omnia illi, ipſe verò vni creatori ſeruiret. Orandus Dominus eſt, vt ipſe nobis ſenſum aperiat, mentem donet, vt illum toto pectore diligamus, illi pro tot beneficiis gratias agamus, ſemper illius mandatis obtemperemus. Hoc enim affectu, his ſtudiis, & illius gratiam in præſenti vita, & gloriæ conſortium in futura, percipere merebimur. Amen.

Pſal. 35.

Simile.

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN, CONCIO: IN QVA Euangelica lectio explanatur, & multa cognitu & seruatu necessaria docentur.

THEMA. *Hoc est maximum & primum mandatum.* Matth. 22.

LECTIO sancti Euangelij, Auditores, charitatem nobis maximè commendat: de qua potissimùm sermo nobis hodie instituendus est. Cuiusmodi autem auditores cælestis hæc doctrina requirat, D. Augustinus, de diuini amoris dulcedine loquens, ait: *Da amantem, & sentit quod dico: da desiderantem, da feruentem, da in ista solitudine peregrinantem, atque sitientem, & ad fontem æternæ patriæ suspirantem: da talem, & scit quid dicam.* Quibus verbis satis indicauit, eos, qui diuini amoris expertes essent, ad amoris doctrinam percipiendam ineptos & rudes esse. Quamobrem cum sponsa nos hodie orare debemus Dominum, vt nos introducat in cellam vinariam, & charitatem in nobis ordinet & accendat: vt recondita mysteria charitatis penetrare possimus. Excitat verò attentionem nostram dicendi materia. Cùm enim de dilectione Dei sermo nobis habendus sit: vix quisquam erit vsque adeò ab omni diuini numinis cultu & religione abhorrens, qui non libenter huic sermoni aures adhibere velit. Vt enim D. Bernardus ait: *Sermo de diligendo Deo, & sapit dulciùs, & tractatur suauiùs, & auditur vtiliùs.* Sed priusquam rem ipsam aggrediar, lectio sancti Euangelij, quæ nobis huius argumenti materiam ministrat, breuiter recitanda est: quam sanctus Euangelista Matthæus narrat his verbis: *Pharisæi audientes quòd Iesus silentium imposuisset Sadducæis, conuenerunt in vnum, & interrogauit eum vnus ex eis,* &c.

Augustinus super Ioan.

Amoris diuini rudes.

Cant. 1.

Bernardus.

AVE MARIA.

Hebr. 4.

RECTE Apostolus inquit: *Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, sed tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* Quòd autem per omnia tentatum fuisse Dominum ait, non vno tantùm, sed variis tentationum modis eum fuisse agitatum, designare voluit. Si quis enim diligentiùs vitam Domini Saluatoris à capite ad calcem

vsque

vsque consideret, inueniet planè illum exstitisse perpetuam quandam crucem, variorumque laborum perpessionem. In isto capite, vnde præsens lectio desumpta est, tribus modis tentatam fuisse Domini patientiam legimus. Primùm enim Herodiani blandissimis verbis, sed inimicissimis animis ab eo quærunt, liceretne tributum pendere Cæsari. Deinde Sadducæi, qui magno errore decepti, corporum resurrectionem negabant, quæstionem illi proponunt, quam cùm ab eo dissolui nõ posse crederent, inscitiæ illum atque ignorantiæ coram populo, qui ab eius ore pendebat, condemnarent. Hos secuti Pharisæi, paulò doctiores, sed eo ipso superbiores, simili consilio aliam quæstionem (quam illi difficiliorem putabant) in hodierna sancti Euangelij lectione proponunt: vt qui in priori solutione victor euaserat, posterioris ignoratione vinceretur. Videtis quàm multis laboribus vita Domini exagitata, quàm multis modis lenitas eius & patientia probata fuit atque tentata. Itaque meritò is cum Propheta dicere potuit: *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea.* Insurgit hîc quæstio: Christus Iesus virtutum fuit omnium exemplar, qui dicere potuit; *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Constat autem, eam esse virtutis dignitatem, vt apud improbos quoque in pretio habeatur: quî ergo fieri poterat, vt homines isti tam acriter Dominum insectarentur? vt Domini virtus & bonitas Pharisæis adeò inuisa fuerit? Quî, inquam, fieri potest, vt rationalis creatura, id quod rationi maximè consentaneum est, odio prosequatur? Ad hoc igitur breuiter respondemus, fieri non posse, vt rationalis voluntas, bonum, qua ratione bonum est, oderit, nisi aliunde subsit aliquid quod improbos homines lædat. Tunc enim virtutẽ insectantur, non qua virtus est, sed qua illis aliquod nocumentum infert. Quod autem nocumentum virtus improbis inferre potest? Hoc nimirum (vt cætera prętereamus) quod eorum improbitatem deformiorem & magis conspicuam reddit. *Nihil*, inquit rectè D. Augustinus, *ita condemnat vitam malorũ, quàm vita bonorum. Omnis*, inquit Saluator, *qui malè agit, odit lucem: & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Quæ enim flagitia tenebris obducta erant, virtutis ac doctrinæ luce coruscante conspicua fiunt. Hoc autem odium non est recens & nouum, sed iam inde à prima mundi origine cœptũ. Cur enim Cain in fratrem ita desæuit, vt innocẽtem trucidaret, nisi *quia*, vt Ioannes ait, *opera eius mala erant, fratris autem iusta?* Hic non vnum hominem, sed maximã generis humani partem hoc odio deleuit. Quod quidem odiũ ab illo ortum, in omnes eius

Christi vita laborum tolerantia.

Ioan. 8.

Virtutis dignitas.

Virtus cur odio habeatur.

Augustinus

Ioan. 3.

Genes. 4.

1. Ioan. 3.

sectatores, hoc est, in omnes improbos deriuatū, ad hoc vsque tempus perseuerat. Hac ergo mente, hoc affectu accedunt Pharisæi Dominum tentaturi: eo videlicet consilio, vt qui vitam eius innocentem carpere non poterant, doctrinam saltem accusarent. Itaque accessit vnus ex eis legisdoctor, tentās eum, & dicens: *Magister, quod est mandatum magnum in Lege?* Agitabatur forsan eo tempore quæstio hæc; quam natura quidem rei facilem, superstitio tamen, auaritia & ambitio Pharisæorū difficilē reddiderant. Quia enim Pharisæi omnia opera sua faciebant, vt viderentur ab hominibus, ea religionis officia præcipuè captabant, quæ hominibus maximè conspicua essent, vel quæ maximè in ipsorum lucra cederent. Itaque alij sacrificia, alij spontaneas oblationes (quas etiam honori parentum præferebāt) alij Sabbathi religionem, decimarumque solutionem potissimùm commendabant. Hoc enim nomine superbus ille Pharisæus gloriabatur, qui de interna pietate, de charitate, de cordis humilitate, curam nullam, nullum sermonē fecit. *Labiis,* enim externis operibus *Dominum honorabant, cor autem eorum longè erat ab eo.* Itaque cùm variæ hac de re opiniones inter legisperitos essent, quærit vnus hîc à Domino, quod is mandatum maximum esse censeret. At mitissimus Agnus, qui è cælo in terram venerat, vt non solùm hominū redemptor, sed etiam iustitiæ doctor esset, quamuis non ignoraret, qua mente atque consilio Pharisæi hanc illi quæstionē proposuissent (non enim discendi, sed tentandi gratia illum interrogauerunt) nihilominùs tamen docendi officium, ne hac quidem occasione intermisit: vt si illis minùs prodesset, nos tamen (quibus præcipuè consultum esse volebat) hac responsione erudiuit. Quærentibus ergo Pharisæis, quod esset mandatum magnum in Lege, respondit: *Diliges Dominū Deū tuū ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua,* &c. Mandatum illud non vno modo primum est. Est primum ordine, dignitate, merito, imperio, suauitate, & necessitate. Ordine primū est: quia inter omnia Decalogi præcepta, primo loco cultus diuini numinis præcipitur: qui quidem eius dilectione præcipuè continetur. Ille enim Deum maximè colit, qui eum super omnia diligit: hac enim dilectione homo & seipsum, & sua omnia ad illum, tanquam ad vltimum finem refert. *Plenitudo Legis est dilectio.* Ad hoc igitur omnia Spiritus sancti charismata, ad hoc Ecclesiæ sacramenta, ad hoc sacræ ceremoniæ, ad hoc tria monastica vota instituta sunt, vt Deo mens nostra amoris glutino cōiungatur. Est & primum dignitate: dicitur maximum & primum

Matt. 23. *Pharisæorum intentio.* *Lucæ 18.* *Esa. 29.* *Christus mitis vbique.* *Diuinus cultus primus est.* *Roman. 13*

mandatum. Pessimum inter omnia mala est, odisse bonum: erit ergo optimum inter omnia, diligere Deum. Iam videre potestis quo studio precationi, diuinarumque rerum meditationi incumbere debeatis: in qua pij homines præstantissimum hoc virtutum omnium officium exercere solent. Est etiam mandatum hoc merendi virtute atque ratione primum. Nihil enim Deo gratum, & æterna vita dignũ, nisi charitas est: & quidquid illi gratum est, ab hac virtute, tanquam à forma nobilissima, accepit, vt gratum sit. Sicut enim nullum corporis membrum ex se vitam habet, nisi ab anima illam mutuet: ita nullum virtutis opus ante Deum meritum aut gratiam habet, nisi à charitate, tanquam à cælesti forma, & veluti boni operis anima, eam trahát. Hoc D. Augustinus ait: *Adde charitatem, prosunt omnia: detrahe charitatẽ, nihil prosunt cætera.* Quid charitate pretiosius? quid securius? Est etiam mandatum hoc primum duratione & perpetuitate. Charitas adeò cælestis regni propria est, vt quæ modò imperfecta, ibi maximè perficienda & inflammanda sit. Postremò, mandatum hoc vt omnium maximum, ita maximè necessarium est. Eo enim plenè seruato, totam Decalogi legem seruari testatur Apostolus, cùm ait: *Qui diligit, Legem impleuit. Plenitudo enim Legis est dilectio.* Ex his liquet, mandatũ hoc modis omnibus primum & maximum. Iam qua ratione eius tantæ virtutis cõpotes fieri possimus, explicandum est. Bonitas & beneficentia, sunt duo acres veri amoris stimuli. Quisquis ergo in diuinæ dilectionis studio proficere cupit, in harum rerum meditatione piè & sedulò versari debet. Si bonitatem Dei immensam cerneremus, non dubium quin illam summo & incomparabili amore diligeremus. Sed quoniam in mortali corpore degentibus non contingit; ex operibus, hoc est, ex solis eius legibus immensam eius bonitatẽ, velut in speculo & ænigmate, vtcũque æstimare poterimus. Hic autem nihil à nobis, nisi iustissimum sit, summoque sibi iure debitũ exigit. Vult igitur vt diligamus ex toto corde, & in tota anima, & mente, hoc est, quidquid in te, vel in tua potestate est, totum id vehementissimo studio in obsequium Dei tui, velut perfectissimũ holocaustum, offeras: in quo nihil sit, quod non igne diuini amoris incendatur. Nullus debet esse in te ardor, nulla vis, quã non in hoc dilectionis officium cõditori tuo offeras. Hac autẽ dilectione supra omnia Deũ diligere tenemur, nempe supra omnia, quæ nobis chara esse in vita possunt: hoc est, supra opes, honores, & alia omnia. Cuius rei exemplũ nobis plenissimũ dederũt omnes sancti Martyres, qui omnia tormentorum

Piorum officium.

Deo gratum quid sit.

Simile.

Augustinus.

Charitas necessaria.

Roman. 13.

Bonitas Dei immensa.

Deus supra omnia diligendus.

genera priùs perpeti,quàm fidem ſemel Deo datam fallere,maluerunt. Videtis,Auditores,qualem Dominus à nobis dilectionem poſtulet,qua videlicet nulla maior ab humana natura neque exigi,neque præſtari poteſt. Hinc ſequitur, quòd infinita bonitas infinito quoque amore diligi mereatur. Prophetę illud meritò expēderemus: *In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Si tam arctè Deū diligere iubemur,quid quæſo de his dicendum erit,qui vix vnquā huius tantæ rei meminerunt? qui vix oculos in cælum tollūt? qui Dei,ſuique obliti,more pecudum vitam degunt? Ad charitatis legem pertinet,& Deū ſupra omnia diligere,& lethale peccatū,quod illi aduerſatur,ſupra omnia deteſtari,quando his duabus legibus vidimus,quantum Deus ſupra omnia diligendus ſit,& quantopere peccatum ſit deteſtandū. Nónne illa Dei ſententia aduerſus primi parentis peccatū iuſta fuit,qua nō modò is,ſed tota eius poſteritas, ad finem vſq; mundi perpetuo exſilio & morte dānata fuit? His legibus immenſam Dei bonitatē,ſummámq; peccati malitiam ac deformitatem vtcumque intelligere licuit: quorum altero ad dilectionē Dei,altero ad peccati odiū, quod eius dilectioni aduerſatur,excitamur. Nunc Dei bonitate hac ratione perſpecta, eius erga nos beneficentiā expēdere incipiamus. Primùm igitur homo diuina beneficia,tum communia,quæ in vniuerſum genus hominū collata ſunt; tū priuata,quæ ſigillatim quiſque à Deo percepit,ſibi ante oculos ponat,vt in liberaliſſimi benefactoris amorē exardeſcat. *Generatio praua*, inquit ille, *atque peruerſa,hæccine reddis Domino,popule ſtulte & inſipiens? Nónne ipſe eſt Pater tuus,qui poſſedit,& fecit,& creauit te?* Hoc requiritur,vt illi,qui eſt Pater noſter,tota vita noſtra militare debeamus,à quo omnes & ſinguli ſemel conditi ſumus,& ab illo conſeruamur. Dies me & vita deficeret,ſi cauſas omnes diligendi Deum perſequi vellem. Nulla diligendi ratio eſt,quæ non acres nobis ad eum diligendū ſtimulos addat. *Si quis* (minatur Paulus) *non amat Dominum Ieſum, ſit anathema, maranatha.* Quod ſi ita eſt quid ſupereſt,niſi vt cū D. Auguſtino dicamus: *Quis ego ſum Domine, vt te à me amari iubeas; & niſi id fecero, mineris mihi ingentes miſerias? Paruáne eſt hæc ipſa miſeria, ſi non amem te?* Hac igitur ratione, vtcūque intelligere licebit, quid auctori noſtro debeamus. Cæteris enim hominibus ſingula,illi autem omnia debemus,quandoquidē omnia ab illo accepimus. His argumētis intelligere licet,quid de his cenſendum ſit,quorū mētes in tanti auctoris,conditoris,& ſeruatoris amore algent. Quid enim de eo homine iudicaretis, qui nullo prorſus

Pſal.118.
Hominum quorundā ſocordia.
Adam ex filio mulctatus.
Deut.32.
1.Cor.16.
Auguſtinus.
A Deo omnia habemus.

prorsus amore erga parentes suos, aut filios afficeretur? Hunc certè non hominem naturæ nostræ participem, sed humanitatis & communis sensus expertem, nec tam hominem, quàm humanæ naturæ portentum iudicaretis. Omnes qui pecuniam, qui honores, qui delicias, qui voluptates, qui denique cupiditates suas Deo præferunt, hi planè horrifica monstra ac prodigia sunt. In quem enim magis ignis ille desæuiet, quàm in hos diuinæ maiestatis violatores & contemptores? Nec iste tantùm, sed & creaturæ omnes, atque adeò totus ipse orbis cum Deo pugnabit aduersus insensatos. Quid verò magis contra cõmunem humani sensus & rationis iudicium certat, quàm vilissimam creaturam, nobilissimo creatori atque parenti præferre? Quod quidem passim faciunt, quicunque lethale peccatum, quod cum diuina lege, & amicitia pugnat, admittere non verẽtur. Deus in corpore subdito peccato, licèt sit Dauid aut Petrus, nullo modo habitat, sed illud Deum ab anima pellit.

Sapien. 5.

Sapient. 1.

EXPLICATIO THEMATIS.

DILIGES *Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo*, &c. Quod mandatum charitatem primo loco ponit, sine qua cætera mortua & informia, nulliúsque meriti sunt. Hãc igitur vir pius ante omnia colere, hanc virtutibus cunctis præferre, ad hanc, quæ facit omnia, dirigere, eámque cõtinuis à Domino precibus postulare debet. Hinc Moses, *Et nunc*, ait, *ô Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in præceptis eius?* Charitati autem coniuncta est diuinorum mandatorũ obedientia, dicente Domino: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Et rursum: *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me.* Quisquis enim alicuius amore æstuat, vehemẽter etiam illi placere, inseruire, & voluntati eius obsequi desiderat. Cùm verò voluntas Dei sit, sanctificatio nostra, & diuinorũ obedientia mandatorum, cõsequens est, vt qui Deum maximè diligit, summo studio mandatis eius obediat. Hæc itaq; duo sunt, quę miro modo inter se connexa, totius Christianæ Philosophiæ summam cõtinent. Quã rem Ecclesiast. expressit, cùm ait: *Filij sapientiæ, Ecclesia iustorum, & natio eorum obediẽtia & dilectio.* Ecclesiast. ergo nationem iustorum, dilectionem & obediẽtiã esse ait: vt intelligamus curam omnem, studiúmque iustorum in Dei amore & obediẽtia sitũ esse. Quo studio auarus pecuniæ, ambitiosus honori semper intẽtus est, eodem hi Deum diligere, Deique iussis obtemperare, nulláq; in re præcepta eius vel leuiter violare cõtendũt.

Deut. 10.

Ioan. 14.

Simile.

1. Thes. 4.

Eccle. 3.

Obedientia seruãda.

In hoc opes suas, in hoc felicitatem suam positam habent, cæteris omnibus valere iussis. Cùm verò obedientiam audis, non solùm mandatorum Decalogi obedientiã intelligas, sed etiam integrã subiectionẽ, qua se mens nostra perfectissimè Deo subdit, non modò ad parendũ, sed etiam ad sustinendum, quidquid ille molestiarum & incõmodorũ nos ferre voluerit. Hoc enim vel maximè charitatis proprium est. *Idem velle, idémque nolle, ea demùm firma amicitia est.* Dicat cum Propheta: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*: hoc est, paratum ad obediendum, sustinendum. Vere pij ac sancti se Deo prorsus resignant, hoc est, quicquid iuris in se habent, diuinæ voluntati tradũt, vt ipsa de eis siue in tempore, siue in æternitate, pro beneplacito suo quicquid voluerit, agat. Hæc nostræ voluntatis submissio, siue traditio, Christianæ perfectionis & fundamentum & culmẽ est. Quid enim mai⁹ aliud à creatura creator exigere, quídque maius creatura ipsa conditori suo offerre, quàm seipsam hoc modo potest? Hæc virtus duobus comitibus veluti pedibus fulcitur. Prior est, propriæ voluntatis abnegatio. Propria volũtas, quæ diuinæ est contraria, est abneganda. Sicut enim nemo potest frugiferæ arboris ramũ siluestri inserere, nisi siluestrem priùs abscindat: ita nemo poterit se totũ diuinæ volũtati subiicere, nisi propriam voluntatem tanquam infrugiferæ arboris ramum absciderit. Itaque dãda nobis opera est, ne volũtas nostra vehementer alicui rei per amorem alligata sit. In generoso equo illud præcipuè laudatur, quòd frænis obtemperet, facilé-que ad regẽtis nutum se in gyros flectat: eadem quoque in viro iusto laus & commẽdatio est, vt sese diuino Spiritui in ipso habitanti, accommodet: sicut sacra illa Ezechielis animalia facere perhibentur, de quibus scriptum est: *Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur nec reuertebantur, cùm incederent.*

Salustius. *Psal. 56.* *Creator quid exigat.* *Simile.* *Voluntas propria abneganda.* *Laus iusti viri.* *Ezech. 1.*

Huic alia necessariò iungenda est, id est, firmissima spes in Deum, qua illum omnes pios paterno sinu & prouidentia complecti, firmissimè credimus. Quia enim hæc vita innumeris propemodùm casibus & ærumnis subiecta est (quæ nos à virtutis & constantiæ gradu depellere possunt) præsentissimum horum malorum remedium fiducia & spes in Deum est. Hæc est enim velut sacra anchora, ad quam cõfugere debemus, quoties in turbido huius vitę pelago, variis calamitatũ fluctibus iactamur. Hæc est firmus baculus, quo sustẽtamur: quo qui carent, passim offendunt & ruunt; & allisi franguntur & intereunt. Vt igitur sine fide vita nostra cæca: ita sine spe tristis, misera, luctuosa, & infinitis casibus & ruinis obnoxia est. Fides autem

Spes est sacra anchora.

huius

huius virtutis erit fundamentum. Qui enim fide præditi sunt, sciunt illud Apostoli, nempe *omnia eis cooperari in bonum*, hoc est, omnia siue aduersa, siue secunda, ad salutem eorum à Deo destinari. Sciunt illum omnes electorũ capillos numeratos habere qui Angelis suis præcepit, vt eos in manibus gestent, ne pedibus ad lapides offendant. *Iacta*, inquit Propheta, *cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Quid igitur amplius homo desideras? quid tot propositis fideiussoribus non speres? Si Dominus pro te solicitus est, si quæ tua sunt, adeò studiosè curat: si dum tu dormis, ille pro te vigilat: sicut scriptum est: *Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël*, quid iam superest, nisi vt tu cum eodẽ Propheta securus dormias, & cantes (vt quidam vertunt) *In pace simul cubabo & dormiam.* Ecce, Auditores, duo velut fulcra huic sanctæ dilectioni & obedientiæ necessaria, nempe sui abnegatio, & firma in periculis & laboribus in Deum spes atque fiducia. Obediẽtia nihil respuit salutaris doctrinę: hęc enim vbi adest, ieiunia obseruat, precibus instat assiduis. Hæc eo fine adducta sunt, vt diuinorum mandatorum ordinem & dignitatem cernere liceat. Hunc enim ordinem Dominus exponere cœpit, cùm ait: *Hoc est maximum & primum mandatum, secundum autẽ*, &c. Nemo igitur confidat in minoribus operibus, vt ieiuniis, in frequentatione sæpius sacramentorum: illa quidem non omittenda, ista autem multò minùs. Tu qui in aliqua tempestate, paupertate, fame, morbo, dedecore ita angeris & perturbaris, animúmque ita deiicis, vbi quæso est illa tua obedientia? vbi spes illa, quæ constanter fidit Deum plusquam paternam curam illorum gerere, qui se illi subdiderunt, & quidquid eis eueniat, eius consilio & prouidentia ad eorum salutẽ destinari? Vbi est illa propria abnegatio? Quamdiu ergo propria in nobis voluntas ius suum retinet, de profectu charitatis nostræ semper trepidi atque soliciti esse debemus. Scire hîc conuenit, duplicem Dei amorem à Theologis describi: alterum naturalem, qui videlicet à natura solùm, nõ à gratia ortum habet; qualis fortasse Socratis, Senecæ, Platonis, aliorúmque insignium Philosophorũ exstitit: de quo Salomon dixisse videtur: *Est via quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem.* Alterum verò supernaturalem, qui ab humana voluntate Spiritus sancti impulsu excitata proficiscitur, qualis omnium Sanctorũ exstitit. Hic amor tolerat labores & iniurias. Scire oportet charitatem vnicuiq; esse habitum à Spiritu sancto mẽtibus nostris infusum, qui nos non

Rom. 8. *Matt. 10.* *Psal. 90.* *1 Petr. 5.* *Cura Deo commendanda omnis.* *Psal. 120.* *Ordo mãdatorum Dei quis.* *Amor Dei duplex.* *Prouer.*

solùm ad Dei, sed etiam ad hominum dilectionem excitat & inclinat. Hi vicarios Christi, id est, pauperes & egenos, sicut Martha Christum ipsum, hospitio suscipiunt, & terrena sua bona illis communicant. Hi nobis à Deo ipso commendati sunt: de his ait Vates, secundùm versionem quorundam: *Erga sanctos qui sunt in terra eius, & praeclaros, omnis voluntas mea est.* Vir hic diuinus, quod erga ipsum Deum (quem supra omnia diligebat) exsequi non poterat, erga seruos eius, atque adeò erga omnes homines exercebat. Dæmon & impij odium suum ad perniciem hominum vertunt: ita cõtrà pij suum erga Deum amorem ad eorundem salutem & obsequium referũt. Hoc igitur indicio quisque vestrûm, Auditores, de sua in Deum charitate (vt antè diximus) coniecturam facere poterit, si se videlicet officiosum erga homines deprehendat. Ait Ioannes: *Si quis dixerit, quia diligo Deum & fratrem suum odit, &c. Si enim fratrem suum, quem videt, non diligit; Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* Sit vobis frater terrenus Deus; prosequimini eum beneficiis, & cõciliabitis vobis cælestem & æternum Deum, *qui est pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, quique vobis dicturus est: Venite benedicti Patris mei, &c.* Quod nobis supernus hic iudex concedere dignetur, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

Lucæ 10. *Pauperes Christi vicarij.* *Psal. 15.* *1. Ioan. 4.* 2. Cor. 1. *Matt. 25.*

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN, CONCIO: IN QUA Euangelica lectio explanatur: deinde cuiusmodi fides ad salutem necessaria sit, exponitur.

THEMA. *Videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Matth. 9.

SICVT Sol hîc oculis nostris obiectus, nullo tempore quiescit, sed incessabili motu terras & maria lustrat, lucis suæ radios vbique diffundens, & calore suo inferiora huius mundi corpora nutriens & procreans: ita Sol iustitiæ Christus Dominus, qui huic mundo exortus est, vbi primùm se hominibus manifestare cœpit, nullo tempore quieuit: quia nunquam destitit mortales cunctos variis beneficiis afficere, cæcorum mentes doctrinæ

doctrinæ suæ radiis illuminans, & algentia hominum pectora charitatis suæ igne incendens. Hinc Petrus Apostolus, *Qui pertransiit*, inquit, *benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo: quoniam virtus Dei erat cum illo.* Ideóque nunquam intra vnius vrbis mœnia latere voluit, sed vt verus Sol iustitiæ, omnes terrarum oras longè latéque lustrabat, non castella, non vicos, non Iudæos, non Tyrios, non Sidonios, non Gerasenos à beneficiorum suorum communione repellens; modò hos, modò illos inuisens, omnibusque salutis, vitæ, atque doctrinæ beneficia impartiens. Et quidem paulò ante sacræ huius diei lectionis historiã in terrã Gerasenorum cõmeauerat, in qua hominẽ terribiliter à variis dæmonibus oppressum liberauit. Hic vbique eius leuitatẽ cernere est: dęmonibus permisit in porcos ire, ac demergi. Quid porci, qui non floribus, sed olido cœno oblectantur, nisi scortatores, & impudicos significant? Hi libidinum suarum cœno immersi, in eo solo delectantur nihilque aliud neque cogitant, neq; loquuntur. Geraseni ferũt damnum indignè, rogant Dominum exire è finibus eorum. Hi perditos designant: qui vsque adeò terrenis rebus affixi sunt, vt animarum salutem planè negligant. Mox ab ea regione digressus, & Galilæam repetens, paralyticũ (cuius in sacra huius diei lectione curatio memoratur) pristinæ sanitati restituit. Cuius rei historia simplicibus verbis ab Euangelista descripta, non simplicem, sed variã & multiplicem piis auditoribus vtilitatem affert. Quam vt in lucem proferre possimus, cælestem opem, diuinissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

Actor. 10.

Christus verus Sol iustitiæ.

Scortatores porcis similes.

Geraseni quos designent.

AVE MARIA.

VBI Dominus Gerasenorum (qui illum non cupiebant) terram reliquisset, conscensa nauicula, transfretauit, & venit in ciuitatem suam. Constat autem hanc paralytici curationem in insigni illa ciuitate Capharnaum (quæ in prouincia Galilææ maximè celebris erat) editam fuisse. Dicitur ciuitas Domini, (Nazareth fuit educatus) quòd hãc Dominus ciuitatem elegerit, in qua diutiùs habitaret. Dominus nihil habuit proprium: Dominus omnium rerum ne tantillum, vbi caput suum reclinaret, habuit. Venit in hanc vrbem, & diuulgatũ eò venisse. Vt autem Sol latere non potest, ita nec Dominus Iesus. Impletur domus, imò ea quoque loca, quę erant finitima ianuæ. Hic Dominus propter improbitatem irruentiũ nihil offensus, doctrinam & curationem exercuit, quorum alterum ad spiritualia, alterum ad corporea misericordiæ opera pertinet. Hoc enim

Capharnaum ciuitas Christi.

Lucæ 9.

Lucas

Lucæ 5. Lucas designauit, cùm dixit: *Et virtus Domini erat ad sanãdum eos*, hoc est, virtutem suam exerebat ad salutem ægris cõferendam. *Et ecce*, inquit Euangelista, *offerebant ei paralyticũ iacentem in lecto. Videns*, &c. Liquet quanta sit vis huius morbi, qui hominem membrorũ omnium motu priuat; omnem salutis spem ægroto adimit, cùm morbus sit humanæ naturæ immedicabilis: corpus nostrũ infirmũ est, ac multis morbis obnoxium. Vbi sunt illi, qui tam fragilis vitæ fundaměto nixi, tot extruũt turres, tam longã sibi pollicentur ætatẽ, tam multa in tam breuis & momentaneæ vitæ vsuram conferunt, & in tam larga spatia spes suas proferunt, quas vel exiguus aër deludere, atque *Lucæ 12.* profundere potest? Hoc enim contigit insano illi diuiti, qui de suis magnis opibus gloriabatur. Sed ad historiã redeamus. Vide quid portitores fecerint, vt paralyticum ante Iesum inferre possent. Omnia impediměta amor superauit. O si tanto studio animæ suæ salutem homines, quanto corporis quærerent! Quid enim non faciunt, vt corporis saluti prospiciant? Quæ igitur insania est cùm morituri corporis gratia tam multa fa- *Animæ curam qui derelinquunt.* cias, nihil propter immortalem animam pati? Quanta verò inter vtramque partem nobilitatis distantia est? Altera quidem cæli, altera terræ portio est: altera mortalis, altera immortalis: altera nobis cum brutis, altera cum Angelis communis est. Cur igitur nobilissima nostri parte neglecta, tãto studio vilissimam *Simile.* curamus? Si domus tua, & stabulũ ex æquo simul periclitarentur, vtri potiùs succurrendum putares, domui, an stabulo? Annon extremæ dementiæ esset, rebus pretiosis relictis, vilissimis subuenire? Cùm ergo tam multis partibus anima corpori præ- *Animæ nobilitas.* stet; quæ insania est, omnem curam & studium in tuenda corporis salute ponere, nullamque omninò diuinæ huius partis rationem habere: omnes opes in illius salutẽ & indulgentiam effundere, & vix obolum in animæ salutem expendere? *Videns*, inquit Euangelista, *Iesus fidem illorum*. Fides his locis nõ debet accipi simpliciter pro credulitate, ac firmo assensu eorũ quæ de *Matth. 8.* Deo & Christo credenda sunt, qualem fidẽ & dæmones habent, qualem & Centurio; neque qualẽ illi cæci, de quibus Christus: *Secundùm fidem vestram fiet vobis*, &c. Dominus vidit fidem illorum: magnam enim de Christi potentia simul & bonitate conceperant opinionem: atque ex hac opinione, firmaque credulitate, magnam etiam fiduciã atque spem cõsequendæ salutis quam desiderabant. Quam de Christo opinionẽ & fiduciam declarabant, dum tantũ laboris & molestiæ nõ dubitarent subire omni posito pudore, vt ægrum Christo Domino præsentem

tem exhiberent. Sed, vt ad historiæ seriem redeamus, *Videns Dominus fidem illorum*, ait paralytico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Quo in loco immensa Dei bonitas satis apparet, qui frequēter propter aliena merita miseris opitulatur. *Magnus Dominus*, inquit Ambrosius, *qui aliorum merito aliis ignoscit; & dum alios probat, aliis relaxat peccata.* Liberalis etiam dandi causas excogitat, inquit quidā. Quo nomine multa posteris Abrahæ propter eius pietatem & iustitiam donauit, sicut ipse ait: *Vt adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus est ad eum.* Qua etiam benignitate erga Dauidis posteros vsus est: vnde ad Ezechiā eius filium, ab Assyriorum Rege obsessum, ait: *Protegam ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid seruum meum.* Quoties verò sancti Regis huius filiis, in fide & officio delinquentibus, propter patris merita pepercit? Iam verò Pauli conuersionem D. Augustinus Stephani martyris orationi non dubitauit adscribere. Quid verò in Euangelio? ánnon fides & oratio Cananææ à dæmone obsessam filiam liberauit? Annon quotidie Ecclesiæ fides in sacramēto Baptismi regeneratis infantibus sufficit ad salutem? Si enim tāta Dei iustitia est, vt aliena labes nascentē puerum inficiat: cur non tanta sit eius misericordia, vt aliena quoque fides & voluntas ei ad salutem conferat? Vnde facilè colligimus, Ecclesiæ vota & preces hominibus, siue viuētibus, siue vita functis, plurimùm prodesse. Apostolus orationes à fidelibus exigit. Sic tamen his precibus & suffragiis niti debemus, ne nos somno, inertia, atque desidia conficiamus, sed in hoc incumbamus, vt aliorum precibus preces nostras, aliorū studiis studia quoque nostra iungamus. Mementote pro Cananæa discipulos Dominū obsecrasse: sed eius tamen oratio plus apud Deū, quàm discipulorū valuit. Aliter enim verendum est, ne si otio torpeamus, nobis contingat, quod fatuis virginibus euenit, quæ in perpetuo otio vitam agentes, imminente mortis hora, ad prudentum virginū opem confugêre, sed falsæ sunt. Quarum multi exēplum secuti sunt, per omnem vitam otium agentes, spem omnē in Ecclesiæ sacramenta in testamenti exsecutionem ponentes. O quàm multos hæc fefellit persuasio! In tota vita vixerunt impiè, an illi in extremo breui pœnitudine saluabūtur? Sic iam tempus & locus pœnitentiæ. Pius Dominus aliorū meritis aliis benignè facit: nos tamen aliorum meritis nostra quoque merita iungere debemus: quod ex sacra etiam huius diei lectione colligimus, in qua Dominus non modò portantium, sed paralytici etiam fidem spectauit, quam confirmare voluit, cùm dixit: *Confide fili,* remit-

Merita aliena nobis prosunt.
Ambrosius.
Mimus.
Genes. 18.
4. Reg. 16
Augustinus.
Pauli conuersio Stephano debetur.
2. Thess. 3.
Matt. 25.
Amor multorum.

remittũtur tibi peccata tua. Nec enim peccata, aliorũ vel precibus, vel meritis, sine eius fide, cui remittuntur, condonari possunt. Possunt quidem alia beneficia, aliorũ meritis, improbis etiam hominibus concedi: peccatorum autẽ remissio, sine eius fide, cui peccata remittũtur, constare nõ potest. *Confide*, inquit, *fili, remittuntur tibi peccata tua.* Nominat filiũ, patrem in curatione hac illi se exhibet. Patris autẽ est, non quid æger filius cupiat, sed quid ei expediat, prouidere; & id quidẽ priùs atque diligentiùs, quod maius est. Sic igitur cælestis Pater occultũ languentis animæ morbũ (quem paralyticus forsitan non viderat, qui tantò erat perniciosior, quantò nobiliorem hominis partem inficiebat) primùm curare aggressus est, dicẽs: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Nos quidẽ miseri atque amentes, vel animæ nostræ salutem negligimus, vel corporis salutem ei anteferimus; externa, quę videmus, curãtes; & interna, quæ non videmus, quamuis sint longè præstantiora, negligentes. Verùm Dominus, qui primùm regnum Dei, deinde cætera quærere admonuerat, doctrinæ suæ memor, curat primùm quod ad hoc regnum pertinet: deinde corporis necessitati prospicit. In quo quidem ordine seruando, salus & iustitia nostra sita est: quem qui peruertunt, in manifestum se præcipitium coniiciunt. Quo etiam in loco, quãta sit Seruatoris nostri benignitas, manifestè apparet. Verè enim abundantiâ pietatis suæ, & merita supplicum excedit, & vota. Paralyticus quærebat corporis sanitatem: Dominus autem pro sua benignitate, immortalis animæ salutem donauit, quam is non petebat. Qua in re, magna orationis virtus elucet, quæ à misericordiarum parente non solùm impetrat quod postulat, sed plus interdũ quàm postulat. Postulauit Salomon sapientiam: Dominus autem & sapientiã, quam petebat, & diuitias, & gloriã, quam non petebat, cumulatissimè præstitit. Postulauit Abraham, vt saltem Ismael filius viueret coram ipso: at is, & Isaac filium (vnde tam numerosa soboles propaganda erat) illi simul promisit. Manasses peccatorum veniam obtinuit, & post tot crimina ad regni sedem promotus est. Qua etiam liberalitate erga hunc paralyticum vsum fuisse videmus. Non solùm benignitas, sed prudentia quoque cælestis Medici spectanda est. Ad medicum enim pertinet, non morbum tantùm, sed morbi etiam causas intelligere. Causæ autem morborum corporis, nõ rarò peccata sunt animarum. Vnde est illud: *Propter iniquitatem corripuisti hominem, & tabescere fecisti sicut araneam animam eius.* Alteri paralytico dixit: *Ecce sanus factus es, iam ampliùs noli peccare, ne deterius tibi aliquid*

Animæ morbus occultus.

Matth. 6.

Seruatoris nostri pietas.

Salomoni quid datũ.

Genes. 17.

Manasses quid consecutus sit.

Peccata causæ morborum.

Psal. 38.

Ioan. 5.

aliquid contingat. Quibus verbis morbum illum ob admissa peccata illi contigisse designauit. Apostolus quoque Corinthios variis morbis, ob neglectam erga sacram Eucharistiam religionem, conflictatos esse memorat. Quamuis enim non rarò Dominus morbos immittat, non tam ad purgãdos, quàm ad probandos & perficiendos electos suos (quos in calamitate tanquam aurum in fornace probat) frequenter tamen morbos immittit: vt vel à peccatis purget, vel dormientes homines à lethifero somno excitet. Hoc enim increpationis verbum designare videtur. Cùm ergo Dominus peccatorũ remissionem paralytico donasset, Scribæ & Pharisæi, qui tum aderant, dixerunt intra se: *Hic blasphemat.* Quo verbo significare voluerunt, Christum Dominum, quod Dei proprium erat, sibi arrogare voluisse, cùm solius Dei sit, peccata remittere. Legerant enim illud Esaiæ: *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Moyses quoque, *Miserator,* inquit, *& misericors; patiens, & multa misericordia: qui aufers iniquitatem, & scelera, atque peccata, nullusq; apud te per se innocens est.* At Dominus Iesus occultas cordium eorum cogitationes diuina virtute inspiciens, *Vt quid,* inquit, *cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua,* &c. Quod perinde est ac si diceret: Vos me blasphemum iudicatis, quòd hac peccatorum remissionẽ, Dei mihi potestatem vindicem: sed vestrum hîc requiro iudicium, vtrùm horum minoris sit potestatis, verè ac seriò dicere, *Remittuntur tibi peccata tua:* an dicere: *Surge, & ambula.* Non dubium quin vtrũque sit æqualis potestatis, imò eiusdẽ, vtpote diuinæ; cùm solius Dei sit, quidquid voluerit, solo verbo efficere. Cùm ergo videatis, me modò hac tanta potestate vti, vt solo verbi imperio paralyticum hunc subitæ sanitati restituam: consequens est, vt qui hoc præstare potest, possit & peccata cõdonare, cùm vtrumq; eiusdem sit potestatis. Hoc igitur firmissimo argumẽto se Dominus remittẽdi peccata potestatem habere, facilè comprobauit. Quæ quidem potestas illi nõ modò, quatenus Deus, sed etiam quatenus homo, conuenit. Et quidem aliter Christus Dominus, aliter eius Sacerdotes peccata remittunt. Sacerdotes enim tanquam Christi ministri hoc faciunt: Christus autem Dominus auctoritate propria, & passionis suæ merito, per quam generis humani peccata expiauit. Vt igitur hanc Dominus potestatem se habere comprobaret, ait paralytico: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Vix hæc verba finierat, & mox editũ sermonem manifesta præsentaneaque vis consequuta est. Non enim

1. Cor. 11. Eucharistiam indignè sumentes.

Esa. 43. Exod. 34.

Sacerdotes peccata remittunt.

enim paraclyticus paulatim ægreque cœpit se mouere, sed ad Iesu vocem statim erexit sese, quasi nullam vnquam sensisset paralysin; ac sublato in humeros lecto, per confertam hominum multitudinem egressus est, nouum omnibus spectaculum exhibens. Cúmque negatus fuisset locus aduenienti, datus est exeunti. Sic enim diuina dispensatione vtrumque expediebat, vt venienti obsistens turba, fidei magnitudinem omnibus faceret manifestam, & datus per mediam multitudinem exeunti locus, miraculi spectaculum omnium oculis subiiceret.

TRACTATIO THEMATIS.

VIDENS *Iesus fidem illorum, dixit paralytico*, &c. Quamuis de eo fidei genere, cui Dominus, quæ edebat miracula, tribuebat, paulò antè dictum sit, nunc de fide, quæ totius Christianæ vitæ fundamentum est, generatim dicamus. Cernere enim licet, fidelium multos tantam sibi securitatem de sola fide, déque diuinis beneficiis, quæ nobis eadem fides proponit, polliceri, vt hac occasione multi in sceleribus suis persistentes, salutē suam in tuto positam esse arbitrentur. Ad hanc enim veluti sacram anchoram confugiūt, quoties illos periculi sui admonemus. Et quidem negari non potest, inter clarissima diuinæ benignitatis munera fidem numerari, Apostolo testante, qui ait: *Vobis pro Christo donatum est, non solùm vt in illum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini.* Quæ sit autem fidei vis, quæ eiusdem clarissima opera, idē Apostolus in epistola ad Hebræos lōga oratione cōmemorat: cuius certè laudibus vix vlla oratio par esse queat. Fides enim (vt cæteras eius laudes prætereamus) humanæ mentis oculus est, quæ pedes nostros in viam pacis, & sempiternæ felicitatis dirigit. Fides velut salutaris quidā medicus est, sanandis animæ nostræ vulneribus medicamenta præscribens. Fides dux noster est, quæ iter nobis in cælum ostendit. Fides hominem intra Ecclesiæ sinum, & Euangelij sagenam continet, Christoque capiti, quamuis imperfectè, iungit, & diuinum semen tenet. Quod quidē quamdiu in homine manet, adhuc ei via patet, qua saluti suæ prospicere valeat. Magnum sanè Dei donum est, quòd nos, pusillum gregem, inter tot hæreseon, ac infidelium monstra cōseruauerit in fide: cuius si ductum sequi voluerimus, sine vllo errore ad sempiternę felicitatis portum appellere valebimus. Si felices octo illæ animę fuerunt, quæ in Arca Noe, mundo pereunte, seruatæ sunt: quanta nostra felicitas est, qui toto penè terrarū orbe infidelitatis alluuione

Philip. 1.

Fidei vis. Hebr. 11.

Catholicā fidē nos tenere, magnum Dei donum est.

Genes 7. 2. Petr. 3.

luuione submerso, in Arca veri Noe, hoc est, in Ecclesia Christi manentes, ab hoc tanto fidei naufragio incolumes conseruamur? Quas illi dignas gratias agemus, qui nos hoc tanto munere donauit: quíque vt fidem nobis contulit, ita hactenus integram, incorruptámque inter tot fidei procellas atque naufragia conseruauit? Sed cùm fides tam magnum Dei donum sit, tantúmque homines ad pietatem & iustitiam iuuare luminis sui ductu queat: quid, quæso, in causa est, cur tam multi sint, qui cùm veram fidem retineant, adeò perditè viuant, vt fidem profitentes Christianorum, mores habeāt Ethnicorum? Huius rei cùm multæ sint causæ, non postrema illa est, quòd neque fidei dogmata, quæ profitemur, ad mentem reuocamus, neque quid in eis contineatur attendimus. Quis enim Deum incarnatum & passum, quis eius aduentum in iudicium, quis horrenda gehennæ supplicia, quæ improbis constituta sunt, solicitè ac diligenter consideraret, & diutiùs in peccato maneret? Fidei igitur dogmata hoc modo discussa, acerrimos ad virtutem & pietatem stimulos addunt. Vt enim aromata pretiosa, tum maximè odoris sui vim ostendunt, cùm in mortariolo conteruntur, & in minutissimas partes rediguntur: ita fides tum maximè iuuat, cùm eius dogmata, velut in quodam mentis nostræ mortariolo, solicita indagatione minutatim conterimus & expendimus. Adde etiam, quòd sicut cæteræ virtutes sine charitate mortuæ sunt (ab ea enim & vitam & merendi vim accipiunt) ita etiam fides ipsa sine charitate, neque spiritualem vitam, neque salutarem acrimoniam, & meriti dignitatem habet. Hinc D. Augustinus: *Fides*, inquit, *sine charitate potest esse, sed non prodesse. Credenti*, inquit Cyprianus, *præmium datur, si quod creditur, & geratur.* Omnes quippe cælestes virtutum habitus, qui à Spiritu sancto in viri iusti anima infunduntur, etiam ij, qui sedem sibi in intellectu fixerunt, ad rectè operandum dati sunt. Quocirca fides in hoc fidelibus concessa est, vt iuxta diuinæ legis præscriptionem, hominum vitam instituere doceat. Ideóque fidei obediētia copulanda est, vt quæ fideliter audimus & credimus, studiosè & diligenter exsequamur, quo beatitudinis eorum participes efficiamur qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Quam rem nobis illa Pharaonis responsio innuit, qui populum ab ipso alimenta petentem, ad Ioseph (quem rei frumentariæ præfecerat) his verbis remisit: *Ite ad Ioseph; & quodcumque dixerit vobis, facite.* Ad hunc ergo modum cælestis Rex nos ad verum Ioseph, mundi Saluatorem, mittit: quem omnium cęlestium gratiarum, atque

Ethnicorũ mores qui sectentur.

Simile.

Augustinus.

Fides quatenus prosit.

Fidei obedientia copulanda.

Genes. 41.

Christus verus Ioseph.

donorum diſpenſatorem conſtituit: ſed ea tamen lege, vt non modò illum per fidem adeamus, ſed etiam, vt quæ ipſe nobis præceperit, exſequamur. *Ipſe*, námque, *factus eſt omnibus obedientibus ſibi cauſa ſalutis æternæ:* hoc eſt, iis illum audiunt, vt ſalutaribus eius præceptis obediant. Quanto autem maiora nobis ad bene viuendum adiumenta ſuppeditat, tanto deteriorem eius cauſam facit, qui tot beneficiis adiutus, nihil in pietatis & iuſtitiæ curriculo proficit. Quam rem apertè Saluator docuit, cùm exprobrans ciuitatibus, in quibus diutiùs verſatus fuerat, ait: *Væ tibi Corozaim: Væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent.* Quid deinde? Subdit deinde rem timoris pleniſſimam: *Verumtamen Tyro & Sidoni remiſſiùs erit in die iudicij, quàm tibi.* Et quidem Tyrij & Sidonij colebant idola: quorum cultum vitiorum omnium cauſam, initium, & finem eſſe Sapiens ait. Quos tamen Dominus in formidando illo iudicij die leuiùs quàm fideles Capharnaitas (inter quos ipſe verſatus fuerat) plectendos eſſe aperta oratione teſtatur. Cur ita? Quia cùm tot iſti ad pietatem & iuſtitiam adiumenta ex Saluatoris doctrina & miraculis percepiſſent, nihil tamen in fide & iuſtitia profecerant. Quid nos ad hæc dicemus? Si enim qui tot fidei argumenta videntes, increduli permãſerunt, tam graues perfidiæ ſuæ pœnas daturi erant: quid nos timere par eſt, qui fidei lumine inſtructi, & hæc ipſa credimus, & multò adhuc maiora confitemur? Ante oculos quotidie pro nobis Dominus in altari immolatur, nobíſque non ſolùm adorandus, ſed etiam ſumendus proponitur. Quotidie nobis tot myſteria, tot exempla, tot Sacramenta, tot beneficia, tot aculei, nos ad amorem & ſpem in Deum excitantes, proponuntur. *Oportet*, inquit Apoſtolus, *obſeruare nos ea quæ audimus, ne fortè pereffluamus. Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo*, &c. Videtis quantam timoris cauſam nobis præbeat tantorum myſteriorum fides, ſi fruſtra ea nobis omnia proponuntur? Quam excuſationis cauſam in extremo illo examine habere poterimus de impietate noſtra? Dæmon ſemper inſtigat ad peccandum, vt fidem, ſi potuerit, euertat; vt poſſit inducere naufragium. Sublata fide nihil in homine cæleſtis ſeminis manet, quod illum à ſempiterna morte vindicare, & ad pietatis & iuſtitiæ cultum excitare poſſit. Qui ſolam iactant fidem, vt hæretici, in periculoſo ſunt ſtatu. Adſit nobis Chriſtus, & nos conſeruet. Amen.

Hebr. 5. | *Matth. 11.* | *Lucæ 10.* | *Sap. 14.* | *Hebr. 2.* | *1. Tim. 4.* | *Fide ſublata, quid in homine.*

DOMI

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN, CONCIO: IN QVA lectio Euangelica explanatur.

THEMA. *Simile est regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo, & misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias.* Matth. 22.

PRAECEPERAT olim Dominus filiis Israël, vt si ad expugnandam aliquam ciuitatem accessissent, primùm ei pacem offerrent: quam si ciues recepissent, cunctus populus, qui in ea esset, saluus & incolumis relinqueretur. Si verò eam accipere renuissent, oppugnari iubebat, & interfici omne masculinum in ore gladij. Hanc legem, quam Dominus hominibus erga homines tulit, ipse etiam cum hominibus simili tenore custodiuit. Priùs enim pacem & misericordiam suam hominibus offert: nolentes verò eius misericordiam recipere, aut ea in suam libidinem abutentes, debitis suppliciis, pro eo atque eorum improbitas meretur, plectit. Misericordiam ergo suam priùs offert: in eos verò qui misericordiam reiiciunt, exercet iustitiam. Inter has autem duas Domini virtutes, hoc vel maximum discrimen est, quòd misericordia gratis impenditur, iustitia verò meritis irrogatur. Vnde ad misericordiam impartiendam non semper requiruntur merita recipientium: ad iustitiam verò exercendam subesse priùs debent culpæ reorum. Vnde misericordia ex Deo est, iustitia verò partim ex Deo quidē, partim ex nobis; dum peccator priùs admittit culpam, & diuina postmodùm censura exercet vindictam. Habet Pater cælestis virgam, id est, paternam disciplinam, qua is flagellat omnem filium quem recipit, non vt euertat, sed vt corrigat. Hoc est enim præcipuum huius paternæ virgæ officium. *Virga*, inquit, *directionis, virga regni tui.* Vt enim pastor virga vtitur, non qua oues lędat, sed qua eas à deuiis itineribus, ad recta deducat: ita Rex iste, idemque rationaliū ouium pastor virga directionis vtitur, non vt oues suas feriat, sed vt eas per salutis iter in vitam dirigat. Sic enim hæc virga direxit illum, qui ait: *Castigasti me Domine, & eruditus sum, quasi iuuenculus indomitus.* Rectè ergo Seneca de huiusmodi castigatione, *Nemo*, inquit, *prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur.* Ad hunc ergo modum Dominus, etsi aliquādo iustè punit quia peccatum est,

Deut. 20. Belli tempore quid agendum sit.

Misericordia ex Deo.

Hierem. 1. Virga quid innuat.

Hiere. 31.

Seneca.

frequētissimè tamen punit ne peccetur. Spectant hæc ad eum finem, quia Euangelica parabola ex altera parte largissimam Dei nostri erga nos gratiam & misericordiam proponit: ex altera verò, iustissimam & seuerissimam aduersus huius gratiæ & misericordiæ contemptores sententiam veluti spectandam proponit.

AVE MARIA.

Regnum cælorum quid.

SIMILE *est regnum cælorum homini Regi*, &c. Regni cælorum nomine, quo frequenter Saluator in Euangelica doctrina vtitur, non modò ipsum regnum (quò omnia fidelium vota adspirant) sed omnia etiam, quæ ad hoc regnum consequendum pertinent, intelligimus. Regnum verò cælorum, de quo in præsenti agitur Euangelio, Ecclesia est: Rex verò, Deus Pater: Sponsus, eius Filius: Sponsa autem, quæ illi quæritur, sacra eius humanitas est. Huius verò matrimonij pronubus, Spiritus sanctus exstitit, qui æternum Dei Verbum inexplicabili ratione humanæ naturæ in vnitate personæ ita coniunxit, vt in duplici natura, vna tantùm persona consisteret. Nuncij verò, qui ad eas nuptias homines inuitant, Prophetæ, Apostoli, atque omnes diuini verbi Doctores fuerūt. Prophetæ enim Iudæos, Apostoli verò atque Apostolici viri non modò Iudæos, sed etiam Gentes, ad has Filij Dei nuptias vocauerunt. Ad has autem nuptias vocari, nihil est aliud, quàm ad bonorū omnium communionem, quæ Filij Dei incarnatio attulit in mundum, inuitari. Quidquid enim gratiarum sacra illa hūmanitas recepit, in salutem hominum redundauit. Christo enim Seruatori illa vox maximè conuenit: *Si comedi buccellam meam solus, & alienus non comedit ex ea?* Quid hoc est? Nimirum quod Apostolus breui oratione explicauit, cùm nos & Christi participes effectos, & Christum induisse ait. Hic igitur, Auditores (vt vno dicam verbo) harum cælestium nuptiarum & apparatus, & fructus est. Hanc autem historiam, nuptiarum Christi cum Ecclesia imaginem exstitisse Apostolus testatur, cùm ait: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Liceat tamen à te Domine Iesu quęrere, quę te vis impulit, quæ necessitas adegit, vt hanc tam infimæ conditionis sponsam tibi volueris copulare? In matrimoniis námque homines generis nobilitatem, in coniuge opes primùm spectare solent. Humanitas verò hæc, quam in sponsam cupis assumere, ignobilissimi generis est: vtpote quæ à primo generis humani parente, atque adeò proditore, originē ducit. Si alios verò parentes requiras, qui

Iob 31.

Ephes. 5.

qui post primum illum sequuntur, inuenies quidem alios homicidas, alios adulteros, alios idolorũ cultores, alios verò multis variísque criminibus contaminatos. Quomodo ergo tam ignobili genere spõsam eligere cupis? Verùm vehementissimus hic generis nostri amator omnia incommoda sponsæ, quæ possunt ei obiici, in se recepit, & superauit. Samson alienigenã duxit vxorem, & coniugij huius amorem esse causam dixit. Idem ergo Christus Dominus huic interrogationi nostræ respondere posset, se generis nostri amore deuictum, humanam sibi naturam desponsasse, quo in ea generis humani (quod primi parentis vitio perierat) salutẽ operaretur. Hic igitur summus erga nos Dei nostri amor huius tanti beneficij præcipua exstitit causa. *Amor inquam* (vt D. Bernardus ait) *dignitatis nescius, dignatione diues, affectu potens, suasu efficax, & laborũ omnium, periculorúmque contemptor.* Hic ergo amor tantum apud rerum omnium conditorem potuit, *vt*, sicut ait Apostolus, *exinaniret semetipsum, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, obediens fieret vsque ad mortem.* In vulgaribus hominum coniugiis, sponsæ bonorum omnium sponsi participes efficiuntur: verùm sponsa anima non modò ad bonorum omnium sponsi societatem, sed etiam ad altissimam illam & ineffabilem in eadem persona Filij Dei communionem, sic eleuata fuit, vt illo eodem esse, quo Dei Verbũ subsistit, humanitas quoque subsisteret. hinc factum est, vt quæ sunt Dei singularia, homini tribuantur. Quo quid esse mirabilius atque sublimius potest? Hanc autem summam infinitámque dignitatem, cætera deinde dona consecuta sunt. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiã pro gratia:* hoc est, pro gratia quæ ei data est capitis gratiam iustificationis. Hoc est igitur nuptiale conuiuium, ad quod in præsenti Euangelio homines inuitantur, vt videlicet gratiarum omnium participes fiant, quas Dei Filius per incarnationis suæ sacramẽtum attulit in mundum. Expendamus an vulgarium nuptiarũ leges in his Christi & Ecclesiæ nuptiis inueniantur. Prima nuptiarum lex animorum vnio est: quæ mutua vtriusque coniugis dilectione conflatur. Qua quidem cælestis hic Sponsus Ecclesiam suam ita prosecutus est, vt Apostolus dicat: *Viri, diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam.* Altera verò coniugum lex est, rerum omnium communio: nihil enim in matrimonio proprium, sed omnia vtrique parti sunt communia. Hæc autem lex longè perfectiùs

Sponsi nostri bonitas.
Iudic. 14.
Bernardus
Philip. 2.
Sponsarũ priuilegium
Ioan. 1.
Nuptiarum leges.
Ephes. 5.

Ephes. 5. in his nuptiis, quàm in corporeis reperitur. Quo nomine rectissimè Paulus sacramentũ hoc magnum esse prædicat. Quid enim maius, quàm hominem ad diuinitatis cõsortium attolli, Deum verò ad humanæ infirmitatis humilitatẽ demitti? Omnium quippe gratiarum, diuitiarum, donorum, atque laborum
Ephes. 2. Christi Ecclesiam esse participem, declarat idem Apostolus, cùm Deum Patrem ait conuiuificasse nos in Christo, & conresuscitasse, & cõsedere in cælestibus fecisse. Quid hoc igitur est, nisi nos omnium bonorũ societate cum Christo copulare? Qua felicitate quid maius homini cõtingere poterat? Cælestis spõsus omnem laborum suorum fructũ in Ecclesiam confert, nihil sibi, quod ad gratiæ & gloriæ præmiũ attinet, reseruans: vtpote qui his meritis ad hoc non egebat, qui nulla mensura Spiritum acceperat. Videtis ergo, Auditores, quàm variæ atque in-
Connubiũ cæleste. gentes opes Ecclesiæ ex hoc felici cõiugio accreuerint. Quanta in his nuptiis diuinæ bonitatis fuit dignatio, quãdo Dei Filius opes omnes, & gloriã, atq; imperuestigabiles diuitias gratiæ suæ, sponsæ communicauerit: ab ea autem omnia mundi scelera sanguine suo delenda atque expianda susceperit? Vnde autẽ talis rerũ commutatio, nisi ab inexhausta illa diuinæ bonitatis abysso, potuit dimanare? Rectè ergo diuinus Apostolus sacramẽtum hoc magnum vocauit, quo summus Christi amor
Simile. erga Ecclesiam demonstratur. Parentes filios suos flagrantissimo amore diligũt, quòd eos ex corporis sui substãtia in similitudine naturæ formatos agnoscũt, ideóq; illos tanquã seipsos, siue aliquid sui, diligũt. Ita primus ille generis humani parens coniugẽ dilexit, nõ modò vt cõiugẽ, sed vt corporis & substan-
Genes. 2. tiæ suæ (nam ex ipsa sui corporis substantia eam desumptam intellexit, non ex aliena materia) partem. Hãc autem similitudinem ad Christum transferamus, vt sacramenti huius magnitudinem clariùs perspiciamus. Hoc ergo modo, & hac eadem de causa Christus Dominus diligit Ecclesiam. Ita fit, vt Christus sic affectam & informatam Ecclesiam, id est, Spiritu suo
Genes. 2. informatam, tanto amore diligat, vt illa eadem primi hominis
Ecclesiæ felicitas. verè dicere possit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* O magna felicitas fideliũ, quòd se intelligant à summo illo rerũ omniũ parente tanto amore diligi! Sicut enim fieri nõ potest vt Christus Dominus non amet se: ita neque fieri potest vt non illũ amet, in quo videt se, id est, imaginem suam. Ecce, quid non sperare ab opulentissimo rerum omnium Domino potest, qui sic ab eo diligitur? Hæ igitur, Auditores, nuptię, hęc huius conuiuij fercula, hæc magnificentissima dona, ad quæ fideles

deles omnes (qui Ecclesiæ membra sumus) inuitamur. Quid autem inuitati faciunt? qua celeritate ad has nuptias properãt? *Noluerunt*, inquit, *venire*. O stupẽdam hominum dementiam! En, Auditores, summa Dei nostri bonitas, summáque hominũ peruersitas. Videte summũ Dei nostri desideriũ, summúmque hominis fastidium. Ille esurit salutem nostram, quæ nihil ad se pertinet: nos verò, quorum tota salus est, eam negligimus: & fastidimus. Certè si Deus ipse nostro esset iudicio æstimandus, vlteriùs progredi minimè debuisset. Immensa tamen eius bonitas & charitas, qua salutem nostram desiderat, in eadem vocatione ipsum persistere facit. Itaque ne hac quidem adeò illiberali hominum repulsa deterritus, velut pius pater, qui ægrotanti filio, salutaria pharmaca repudianti, iterum atque iterum eadem ingerere non cessat, ita alios rursum seruos destinauit, qui propositis magnifici huius conuiuij dapibus, eos ad illud inuitarent. *Dicite*, inquit, *inuitatis*: *Ecce prãdiũ meũ paraui*. Hac oratione Dominus omnia, quæ ad humani generis salutẽ pertinent vnico verbo complexus est; quãdo omnia parata esse dixit. In hoc Dei Filius venit in mũdum, vt homines deos faceret, factus homo. Venit ad hoc, vt eos diuinæ felicitatis & gloriæ participes efficeret: quæ quidẽ felicitas soli Deo, diuinitatis iure, non vlli rei creatæ, conuenire potest. Quia verò huius finis adeptio, omnem creatæ naturæ facultatem superat, ideò supernaturalibus donis & auxiliis egebat homo, quo illum assequeretur. Hæc enim omnia copiosissimè nobis contulit Christus Dominus. Quia verò non est mollis ad astra è terris via, ipse hãc viam, quæ multis modis antea impedita erat, cælestis gratiæ subsidiis planissimam fecit. Si tanta cura Dominus ea, quæ ad naturæ conseruationem pertinent, curat (vide quæ quadrupedum, volucrum, cæterarúmque rerum species spectantur, quàm multi pisces ex vno pisce generantur in mari) ne videlicet naturalium rerum species intereant: qua cura, quæ ad gratiæ suæ opera spectant, curabit, ne homines intereant, quos ad imaginem suam condidit, quorúmque obsequio non modò terrestria, sed etiam cælestia corpora destinauit! Hoc igitur argumento intelligere licebit, quid Dominus significare voluerit, quando omnia ad nuptias parata esse dixit. Infinitam enim gratiarum abundantiam, immẽsam donorum vbertatem, opes ingẽtes, copiosissimam redemptionem, quæ nobis incarnationis & passionis suæ beneficio contigerunt, voluit designare. Quarum rerum vbertatem & copiam ingens illa reg. 1 Salomonis opulentia adumbrauit: cuius tempore tanta argẽti co-

Simile.

S. Thom.

Via salutis plana.

Simile.

Homo Dei cura.

3. Reg. 7.

pia, quanta & lapidum, exstitisse dicitur in Hierusalem. Quòd autem tam rari sint qui per viam salutis incedant, cùm tam multa nobis salutis adiumẽta oblata sint, in causa est, quia hisce spiritualibus medicamentis multi vti nolunt. Quid enim mihi pretiosissima, maximéque salutaria medicamenta conferre poterunt, si ego ilis vti nolo? Hoc autem genus hominum inuitati isti repræsentant, qui terrenis negotiis & curis implicati, ad nuptias venire noluerunt: qui videlicet ita sese secularibus curis addixerunt, vt omnem hanc spiritualium rerum commentationem & studium prorsus negligant. Christus nos Patri reconciliauit. Deinde iter ad cælum, non figuris, sed aperta luce Euangelij patefecit. Suis exemplis incorruptis doctrinæ efficaciam addidit. Ipse nouæ legis Sacramenta instituit, quæ gratiam conferunt, & vulnera sanant. Charitas est salutis fundamentum, ipse maxima nobis beneficia dedit. Ipse nos nudos suis donis vestiuit, sua inopia nos diuites fecit. Ipse apud Patrem se pro nobis tanquam interpellator & aduocatus interponit. Quæ autẽ oratio consequi possit, quæ diuinus hic Spiritus, in piorum mentes illapsus, operatur? qua illos luce perfundit? qua charitate incendit? quibus deliciis oblectat? quam illis pacem, quam cordis puritatem tribuit? Quid illi ad salutem & vitam deesse poterit, qui intra se salutis & vitæ auctorẽ habet, qui à cunctis hostibus & periculis tueatur? Quæ cùm ita sint, non immeritò Saluator omnia parata esse dicit, quæ ad salutẽ nostrã necessaria erant. Omnia sanè relinquere, & immortales Domino gratias agere deberent: quòd nulla sua necessitate, sed sola bonitate, indignos ad tãtorum bonorũ communionẽ vocare dignatus sit. Hoc ratio, hoc æquitas, hoc grati animi officium, hoc ipsa demùm vtilitas nostra exigebat. Sed quid tandem inuitati fecerunt? ô deploranda hominum cæcitas atque dementia! *Neglexerunt*, inquit, *& abierũt, alius in villã suã*, &c. Quis hunc tantum perditorum hominum furorem non miretur, non detestetur, non exhorrescat? Ea tamen hostis antiqui potentia, ea mundi nequitia, ea carnis nostræ malitia, ea multorum cæcitas est, vt ad has epulas inuitati venire recusent. Quid eos detinet? quid remoratur? Hoc planè rebellionis indignitatem auget. Non enim ingens aliqua dignitatis spes, aut insignis commoditas, sed vile lucrum, & carnis voluptas, & labentis seculi amor ab hoc conuiuio reuocarunt. Itaque vt olim filij Israël ad eum cibum, quẽ illis Dominus pluerat (in quo saporum omnium suauitas inerat) nauseabant, & cæpe atque allia, & cucumeres, atque pepones Ægypti auidissimè cupiebant: sic

Marginalia: I. II. III. IIII. V. VI. VII. — *Spiritus sanctus q̃d operetur.* — *Malitia hominum magna.* — *Simile.* — *Nume. 21.*

sic isti cælestes dapes fastidiunt,& fœdas carnis voluptates,atque terrena lucra illis anteferunt. Quid agis miser? O quàm verè sub nomine Canaan,de improborum hominum peruersitate Propheta dicit: *Canaan in manu eius statera dolosa*: in qua videlicet non æquis pōderibus spiritualia & tēporaria bona librantur. Hîc enim,velut in altera stateræ parte,Deus,& hæreditás æterna;in altera verò,terrenum lucrum,aut popularis aura,vel voluptas carnis proponitur:& in tam dispari rerum conditione homo adeò desipit atque insanit, vt in statera cordis eius fœdissimam brutorum voluptatem Deo anteferat,plúsque apud illum vile lucrum cum ipsa vita periturū, quàm hæreditas æterna,nūquam interitura,valeat. Quis igitur hoc nō miretur? Quia verò homines hac tanta rei indignitate non commouentur,cælos idem Dominus aduocat: *Obstupescite cæli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer.* Cur ita Domine? quæ tanta stuporis causa? *Quia duo*, inquit, *mala fecit populus meus, me dereliquerunt, fontem aquæ viuæ: & fecerunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Hac felicitatis siti laborantes,fontem aquæ viuę,qua plenissimè satiari poterant,deseruerunt;& ad ea bona confugerunt,quæ nōn sitim exstinguere,sed magis acuere & excitare solent: hoc est, ad fugitiuos honores,& perituras diuitias,& pecorum voluptates,quibus fœda carnis prurigo nōn exstinguitur,sed irritatur. Quid igitur supernus ille Rex faciet? Nimirū propter neglectam misericordiam,exercet vindictā; & neglectoribus pacis, bellum dirum & exitiale infert. Vnde sequitur: *Rex autem cùm audisset,iratus est, & missis exercitibus suis,perdidit homicidas illos.* Hîc audenter Dominus Iudæorū populū notat, qui Messiam suū,& Euangelicā gratiam recipere noluerunt: aduersus quos diuina desæuit iustitia, dum eorū ciuitatem atque Rempubl.deleuit. *Tūc ait Rex seruis suis: Nuptiæ quidē*,&c. Quid hoc est? Nempe id quod Apostolus apertè significauit, cùm ad Iudæos dixit: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad Gentes*, sic enim præcepit nobis Iesus, cùm aliàs,tum maximè cùm in hac parabola dixit: *Ite ergo ad exitus viarū; & quoscunque inueneritis,vocate ad*,&c. *Intrauit autē Rex,vt videret discūbentes*,&c. Hanc nuptialem vestē omnes charitatē esse interpretātur. Dicitur autē vestis multis quidem de causis. Vestis regit animæ nuditatem, operit mentem, tuetur à frigore: nuptialis est,quoniam ea potissimùm indutus Dei Filius venit,cùm ad nuptias cum humanitate nostra cele-

Osee 12.

Hierem. 2.

Sitis quæ exstinguēda sit.

Actor. 13.

Vestis nuptialis.

brandas processit. Duo hominum genera designãtur hac parabola, in quos diuina cẽsura desæuit: alterum eorum qui ad nuptias venire renuerũt: alterum eorum qui inuitati quidem venerũt, veste tamen nuptiali caruerũt. Priorum nomine infideles accipimus, qui ad fidei conuiuium inuitati, noluerũt venire. Posteriorum verò nomine eos qui fidem quidem susceperũt, charitate tamẽ, fidei socia atque germana, destituti erant. Vtrique tamen à Domino damnantur: illi, quia sine fide; isti, quia sine charitate ex hac vita discesserũt. Quod si ita est, quid illi dicent, qui de sola sibi fide sine charitate blandiuntur? Vbi sunt qui has vanæ fiduciæ voces iactare solẽt? Ego fidelis sum, Christũ colo & adoro: ipse pro me mortuus est, morte sua mihi vitam peperit, sanguine suo peccatorum meorum sordes lauit, vulneribúsque suis vulnera mea sanauit. Si quid admisi, ipse pro me luit, plenissiméque Patri æterno satisfecit. Si hęc igitur informis & nuda fides ad salutem sine charitate sufficit; quid sibi vult quod Dominus ad hunc hominem ait: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestẽ nuptialẽ? &c.* Quisquis enim intrauit in domum conuiuij, vtique per fidei ostium intrauit: Christus enim ostium est, per cuius fidem in Ecclesiã ingredimur. Et tamen qui huiusmodi fidem charitate nudatã habuit, ligatis manibus & pedibus in tenebras interiores mittitur. Quocirca nemo sibi, Auditores, quidquam de sola nuda & informi fide, sine operum attestatione polliceatur. Hæc enim mortua fides, vitam, qua caret, præstare homini nõ potest. Grauiùs tamen ille seruus puniendus, qui fidei lumine instructus, Domini sui voluntatẽ agnouit, nec impleuit, quàm is, qui neque nouit, neque impleuit. Qui veste carent nuptiali, neque fides, neque etiam percepta Sacramẽta (quorum virtute multi salutem sibi pollicentur) à tàm acri Domini obiurgatione & sententia eripuerunt. Hic conuiuia fidem habebat, charitatem autem nõ habebat, quæ ad huius conuiuij solennitatem celebrãdam necessaria erat: quare non immeritò à Rege increpatur. Hæc eadem increpatio laceræ vestis ad eos quoque maximè pertinet, qui indignè ad panem Angelorum sumendum accedunt. Sunt enim nonnulli, qui magis frigida quadam consuetudine ducti, aut superbiæ spiritu impulsi (ne videlicet parum pij atque deuoti videantur) ad hoc diuinum Sacramentum accedunt. Sed quid expostulanti Regi conuiuia hic responderit, videamus. Nihil omninò respondit, sed obmutuisse memoratur. Innuit, quàm sit iusta improborum damnatio. Quod iudex ipse testatur, cùm ait: *Hoc est autem iudicium: quia lux venit*

Fides an sola saluet.

Lucæ 12.

Fides quæ damnet.

Ioan. 3.

venit in mundum, & dilexerunt homines, &c. Cùm ergo reus nihil haberet quod pro se diceret, sentẽtia iudicis aduersus eum pronunciata est: *Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores.* Hîc auarus pater filiũ videbit, quẽ vt alienis opibus ditaret, & se & illum in gehennã præcipitauit. Hîc pater filio, & filius patri ob iniustas opes malè precabitur. Hîc improbi corpore & anima scelerũ suorũ pœnas pendent. Hîc omnis aditus ad salutem miseris in eo loco interclusus est. Hoc est enim quod in præsenti lectione significatur, cùm reus homo ligatis manibus & pedibus in tenebras mitti pręcipitur. Itaque impendentem vnicuique mortem, & districtum diuini iudicij examen, quod statim à morte sequitur; & æternũ siue præmiũ, siue supplicium, quod post hoc iudicium omnibus in commune propositum est, quotidie animo versemus. Hæc enim maxima aduersus peccatum remedia Ecclesiasticus docet, cùm ait: *Memorare nouißima tua, & in æternum non peccabis.* Peccati autem obice sublato, nihil erit quod ad cælestes illas Agni nuptias, quæ in superna Hierosolyma celebrantur, nobis aditum præcludere queat. Illam ergo vestem quæramus, quæ multitudinem operit peccatorum: vt ea induti, cum cælestibus conuiuis admitti mereamur. Amen.

Extrema meditanda.

Ecclesi. 7.

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN, CONCIO; IN QVA LEctio Euangelica explanatur: assignantur & calamitates, quas in hoc mundo perpeti cogimur.

THEMA. *Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur*, &c. Ioan. 4.

PRAESENS sancti Euangelij lectio mirabilem Domini Saluatoris virtutem atque potẽtiam non solùm ad corporum, sed etiam ad animorũ morbos propulandos, facilè declarat: vtrumque enim Saluator vnico miraculo effecit, quo & morienti Reguli filio salutem, & patri, totíque eius familiæ, fidem donauit. Historia verò sic habet: *Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum*, &c.

AVE

AVE MARIA.

NON ignoro, Auditores, quanta sit pat[erni] amoris erga liberos charitas & indulgentia. Hoc autem i[ta] esse, vnius Dauidis exemplo discimus: qui parricidam fili[um] ita deperibat, vt eiusdem mortem acerbissimò luctu prosequeretur, dicens: *Absalon fili mi.* Denique talis parentum erga liberos amor est, vt vulgò dici videamus, centum filiis alendis vnum parentem satis esse: centum verò filios vix vni patri alendo atque curando sufficere. Humor à radicibus profluit in ramos, nō contrà à ramis in radicē. Sic autē naturâ cōparatum est, vt quò effluit virtus atque substantia, eòdē etiam vis amoris tendat & profluat. Deinde parentum est, beneficia in filios conferre: cùm Apostolus ait, non debere parētibus thesaurizare filios, sed contrà parentes filiis. At verò, vt Aristoteles ait, *benefactores magis beneficiarios diligunt, quàm ipsi à beneficiariis diligantur.* Illi enim amant cùm benefaciunt: isti verò amare tenentur, quia beneficiū acceperunt: non tamen protinus qui amare tenētur, amant; alioqui non esset in mundo ingratis locus, quorum non exigua turba est. Naturæ auctor tam arctū parentum amorem in liberos esse voluit, vt filios suos diligenter educarēt, eosque ab iniuriis teneræ ætatis vindicarēt. Nihil amore fortius, nihil ad labores perferēdos potentius. Videmus in gallina, quæ cùm maximè timeat atque fugiat homines, ob pullorum tamen defensionem armatum etiam hominem aggredi non veretur: amore videlicet filiorum, natiuū eius timorem superante. Sic auiculæ cibum in viscera conditum, sibi ipsis eripiunt, quo filios alant: quod sine magna in prolē charitate fieri non potest.

Erat, inquit Euāgelista, *quidā Regulus*, &c. Non otiosè sanctus Euangelista locum, in quo adolescens hic ægrotabat, descripsisse videtur. Capharnaum ager pinguedinis, siue villa consolationis interpretatur. In hoc autē loco facilè animū ægrotare declarat Propheta, cùm ait: *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit*, &c. Hoc autē declarant Dauidis, Salomonis, & Ezechiæ Regum exempla: qui vbi ampla, & pingui fortuna vsi sunt, in superbiam elati fuerunt. Iam verò sapientia non inuenitur in terra suauiter viuētium. Hinc illa à Philosophis meritò laudata sententia, *In regno voluptatis virtuti non esse locum.* Humanus animus deliciis & vitæ blandimentis dissoluitur, laboribus autem probatur. Quid quòd non animi solùm, sed integræ etiā vrbes atque Respub. deliciis & voluptatibus primùm quidem debilitatæ, ac deinde penitus excisæ atque deletæ fuêre?

Quid

2. Reg 18. *Paternus amor in liberos.* *Simile.* *2. Cor 12.* *Amoris violentia.* *Capharnaum quid significet.* *Deut. 32.* *Insolescere quid faciat hominem.*

Quid enim antiquissimũ & latissimũ Assyriorum Imperium, nisi Sardanapali Regis libidines & voluptates in seruitutẽ redegerũt? Quid Lacedęmonios, quid Persas, quid postremò Romanos rerũ dominos, ex tanto Imperij culmine, nisi immensæ deliciæ atque voluptates deiecerunt? Sed iam ad Regulum de filij salute, propter hunc amorem solicitum, veniamus.

Regnorum interitus.

Hic vbi ægrotante filio omnia alia salutis remedia frustra tentasset, ad Saluatoris opem tandem confugit: qui nisi ita premeretur, nunquam fortasse Dominum adiisset, neque tanti miraculi spectator esset: quo non modò salutẽ filio, sed sibi etiam, totique domui suæ clarissimum fidei donum, Domini beneficio, impetrauit. Hac autem de causa frequẽter Dominus varias hominibus calamitates immittit, vt eos ad se clementer & benignè trahat. Sic Pharao, sic Valẽs Arrianus Imperator, Dominum in flagello cognouerunt; licèt hic Arrianus, ille Paganus fuerit. Corporis afflictio, ad animæ salutem multum confert. Hoc in illo impio Antiocho videre est. Quid ergo mirum si Regulus hic, filium in agone mortis constitutum cernens, vbi humana remedia defecerũt, ad opem Domini Saluatoris confugerit? Quocirca nemo calamitates & morbos corporis accuset, qui languentis animi remedia sunt: quæ torpentes animos excitant, & ad Deum ire compellunt. Quid autem nobis hoc tempore facto opus sit, Salomon nos admonet his verbis: *Disciplinam Domini, fili mi, ne abiicias, nec deficias cùm ab eo corriperis. quem enim diligit Deus,* &c. Itaque tantum abest vt huiusmodi castigatione homo infensum sibi Deum esse suspicetur, vt hinc magis paternæ dilectionis & prouidentiæ argumentum colligere debeat. *Quis enim filius*, inquit Apostolus, *quem pater non corripit?* &c. Quòd si extra disciplinã estis, cuius participes facti sunt omnes (videlicet legitimi filij) ergo adulteri, & non filij estis. Vnde colligimus, eum, qui sit expers flagellorum, esse etiam extra numerum filiorum. Quæ quidem res iis, qui variis calamitatibus conflictãtur, maximo planè solatio esse debet. Hoc ipsum autẽ Regulus noster exemplo suo confirmat, qui nactus occasionem quòd is à Iudæa adscẽderat in Galilæam; propiorque ciuitati suæ factus, facilè ab eo adiri potuit, & rogari. Habeamus & nos opportunitatis rationẽ. Iudæa significat locum confessionis & laudis: Galilęa verò transmigrationis & mutationis. Vbi ergo Dominus ex loco laudis & confessionis in hunc mutationis locum descendit, viciniorque nobis beneficio incarnationis factus est, tunc à publicanis & peccatoribus, à Chananęis & adulteris mulieribus adiri patitur,

Calamitates prosunt multum.

2. Mach. 6

Prouer. 3.

Hebr. 12.

&

& rogari. Hæc occasio incarnationis, non solùm petendi, sed etiam sperandi atque impetrandi ratio est. Ait enim Apostolus: *Debuit per omnia fratribus aßimilari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex.* In eo enim, in quo passus & tentatus est, potens est & iis qui tentantur, auxiliari. Quando ergo in hanc Dominus Galilæam actus nostri amore descendit, atque, vt malis nostris mederetur, mala nostra suscepit; tūc opportunè admodum ad illū accedere possumus. Quis enim homo Deum hominem, hoc est, naturæ nostræ consortem adire recuset? Quid piè petentibus negabit, qui seipsum cōtulit? Quomodo fugiet quærentes, qui fugiētes ipse quæsiuit? Videtis ergo, Auditores, quanta hîc opportunitas sit, non modò ad rogandū, sed etiam ad sperandum, cùm Dominus à Iudæa descendit in Galilæam. Hanc opportunitatē Apostolus noluit nos prætermittere, cùm ait: *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, &c. Nemo hanc opportunitatē anni Iubilęi abire patiatur vacuam. Imitemur nautarum morem, qui, vbi secunda spirare aura cœperit, protinus à littore soluunt, & vela ventis permittūt, & vectores vel paululum morantes deserunt, ne opportunitatem illam prætermittant serò redituram. Quid multis? Ipse idem qui opem laturus est, nos ad hoc inuitat, cùm petere, quærere, & pulsare iubet. Medicus est qui vocat, & veritas quæ salutē pollicetur. Si ergo vocatus adiis, & obtemperes, nunquid Deus deseret te, & subtrahet se? *Non est Deus illusor*, inquit D. Augustinus; *excipiet te, & curabit te.* Ex Domini verbis liquet apertè, Regulum in fide vacillasse; nec enim cordium inspector Dominus, tam acri illum obiurgatione corripuisset, nisi latentem in eius pectore infirmitatem fidei vidisset. Cur ergo salutem à Domino petiit, quem non credebat Saluatorem? Verùm nos magis corporum salutem curamus, quàm animarū: ad animæ ægrotantis salutem certa quoque & in prōptu posita remedia, & sponte etiam oblata repudiamus. Quam rem ab insigni cordis cæcitate, diabolique fraude proficisci, certissimum est. Sic enim decipitur ille, qui vt pecuniā lucretur, lethale committit peccatum, quo & animā suam perdit, & Deum à se abalienat, quamuis certa cognitione Deum esse rebus omnibus præferendum iudicet. Vbi Regulo salutem petenti Dominus respondisset, *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis*: quibus verbis salutarem de sinceritate fidei doctrinā ei tradere voluisset, ille ad hanc doctrinā surdus, magisque de filij, quàm de infidelitatis morbo solicitus, accelerare Dominum rogat, dicens: *Domine, descende, priusquā moriatur filius meus.* Verba Domini asperitatem

Marginalia: Hebr. 11. — 2. Cor. 6. — Simile. — Opportunitas obseruanda. — Augustinus. — Cæcitas nostra.

tem quandam præ se ferre videtur, quæ Reguli incredulitatem arguunt. Quæ quidem incredulitas Saluatori adeò erat molesta vt aduersus alium parentem, simili incredulitate laborantem, exclamando dixerit: *O generatio incredula & peruersa, quousque apud vos ero? quamdiu vos patiar?* Vtraque autem obiurgatio declarat, quanto maior Seruatori nostro animarum quàm corporum cura sit, qui non corpora (quæ nolimus, velimus, paulò post interitura sunt) sed immortales animas curaturus aduenerat. Itaque Regulus quidem de filij morbo, Dominus autem de patris infidelitate solicitus erat: vtpote qui probè nosset, quanto morbus hic grauior esset & perniciosior. Sic in paralytico prudētissimus medicus indignū putabat, grauiori morbo prætermisso, qui animam lethaliter sauciat, corporis morbo medicinā facere. Priùs igitur curare statuit, vel nō rogatus, quod maius ægroto nocumentum afferebat. Is enim est, qui abundantia pietatis suæ & merita supplicū excedit & vota. Hoc ipsum etiam cum Regulo facit, quem priùs ab infidelitatis morbo, quàm filiū à febri curare cœpit, cùm ait: *Nisi signa & prodigia videritis, &c.* Partim credidit, quando salutem filio poposcit: partim verò non credidit, quoniam hanc sine corporali Saluatoris præsentia præstari posse non credidit, vnde rogabat vt sanaret filiū eius. Sic & olim Naaman ille Syrus credidit, qui Propheticæ manus contactum, & orationem ad curationem morbi sui credidit necessariam. Hac igitur de causa iure est à Domino reprehensus: non quia non credidit, sed quia imperfectè credidit. Huic admodū est durus; alteri, nēpe Archisynagogo, qui filiæ salutem petebat, lenis. Hinc discāt quicunque bonis operibus vacāt, animum demittere: quandoquidem quod in ipsis animi penetralibus lateat, non omnes agnoscunt. Alioqui non dixisset Salomon: *Est via quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem.* Cuius rei gratia, in timore conuersandū nobis esse incolatus nostri tempore, ab Apostolo Petro monemur. Dominus liberalissimi Principis morē imitatur: qui non solùm bene meritis, sed etiā nihil meritis, ex sola liberalitate ampla dona largitur. Duo in cruce pariter cum Domino latrones pendebant, & vtriusque similis esse videbatur pœna pariter & culpa: & tamen adeò dissimiliter cum vtroque actum est, vt alter ex patibulo vocaretur ad regnum, alter raperetur ad supplicium. Hanc autem summam & excellentissimam libertatem diuinitatis iure sibi debitam profitetur ipse, cùm ait: *Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit.* Hoc enim proprium & singulare eius est, qui

Incredulitas Deo ingrata.

Marc. 9.

4. Reg. 5.

Matth. 9.

Prou. 16.

1. Petr. 1.

Exod. 35.

qui nihil cuiquam debet, nullumque superiorem agnoſcit. Poſt hanc autem increpationem ſubdit Regulus: *Domine, deſcende, priuſquam moriatur filius meus.* Quod perinde eſt ac ſi diceret: Ne queſo, Domine loquendo & increpando moram trahas: ne, dum in hoc tẽpus inſumimus, filius moriatur, nulluſque relinquatur remedio loc⁹. Ecce altera infidelitatis labes, quòd ęgrotũ à Domino credebat ſanari, nõ tamen mortuũ ſuſcitari: ideóque vrget. In his verbis mores, ſtudia, curæque piorũ & improborum non incõmodè deſcripta eſſe vidẽtur. Piorum eſt, priora & maiora magis, poſteriora verò & minora minùs diligere; tantúmque vnicuique rei dilectionis impẽdere, quantum eſt in ea dignitatis. Rationalis enim creaturæ ſumma virtus atque ſapientia eſt, vnamquamque rem tanti facere, quanti faciẽda eſt. In hoc ordine primo loco Deus Optimus Maximus collocatur, qui amore ſummo, & propter ſe, & propter innumera in nos collata beneficia diligẽdus eſt. Secũdo verò loco ſalus animæ propriæ, cui poſt Deũ nihil eſt anteferendũ. Tertio autem ſalus animę alienæ, quæ cęteris omnibus præponi debet. Quarto tandem corpus proprium, deinde alienũ. Poſtremo verò ea quæ ad vſum corporis pertinent: qualia ſunt externa bona, quæ tamen in numero bonorũ non ſunt cenſenda. In huius autem ordinis conſeruatione omnis pietas & religio, omniſque iuſtitia poſita eſt. Hunc autẽ ordinẽ pij omnes ita tenuerũt, vt priùs vitã amittere, quàm illum immutari paterentur. Hac enim de cauſa ſancti Martyres libenter vitam corporis impenderunt, ne aut contra Dei gloriam, aut animæ ſuæ ſalutem quidquam agerent. Qua in re, dum id quod minus erat, maiori cedere cogebant, ſerpentum prudentiam imitabantur: qui dum feriuntur, tecto capite, corpus ictibus ferientis obiiciunt, vt caput (vnde vita manat) illæſum ſeruent. Sic igitur pij omnes. At verò improbi, tanquam prophani Eſau filij (qui vile ferculum paternæ hæreditati & benedictioni prætulit) ita hũc ipſum ordinem inuertũt, vt viliſſima quæque, & ea, quæ poſtremo loco habenda ſunt, in ſupremo ordine collocẽt: quæ verò ſuprema, in infimo reponant. Hac enim mente & affectu pecuniam & corporis commoda, Deo, atque ſaluti animæ ſuæ anteferunt; dũ propter viliſſima lucra non verentur & Dei maieſtatem violare, & animæ ſuæ ſalutem perdere. Cùm detrimẽtum aliquod patiuntur in bonis, vehementer conturbantur, ac nonnulli ſibi manus adferunt: qui tamen cùm Deum & animã ſuam perdiderint, non modò non diſcruciantur, ſed ſæpe etiam lætantur: quaſi nihil ad eos Dei amicitia, & animę ſuæ ſalus pertineret. Si hęc, & his

Piorum & improborũ mores.

Serpentis calliditas.

& his similia multa, his hominibus inculces, surdo planè canis fabulam: quoniam & auri fulgor, & corporis salus, eius oculos fascinauit. Quid enim seculi homines non faciunt, cùm vita corporis periclitatur? Nónne ergo par est, vt quanto anima corpori, & diuina humanis antecellunt, tanto maiori cura superiora hæc bona, quàm inferiora amplecterentur? Ait quidam pius vir: *Rogo vos, Auditores, quid tam malè de nobis meruit anima nostra, ad imaginem Dei facta, quòd vel tantam custodiam ei nolumus impendere, quantam vestibus nostris adhibemus? Quo enim studio, cùm nouam vestem induimus, eam à cunctis sordibus & maculis conseruare puram studemus? quòd verò anima nostra tot sceleribus deformetur & inquinetur, nihil nostra interesse putamus. Appendite, quæso, in altera libræ lance, animæ vestræ dignitatem: in altera verò libræ lance, siue corporis vestem, siue quidquid ad corporis cultum pertinet, appendite. Quam ergo commutationem,* vt Saluator ait, *dabit homo pro anima sua? Quid enim prodest homini, si totius mundi imperium teneat, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Non sapiunt quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* At Dominus infirmitatis humanæ conscius, hoc saltem à nobis exigit, vt quo studio atque ardore terrena bona quęrebamus, eodem cælestia atque diuina amplectamur. Immodicus terrenarum rerum & nostri amor, sicut malis omnibus aditum patefacit, ita diuinæ gratiæ aditum obstruit. A quo malo nos Apostolus reuocare contendit, cùm ait: *Videte ne quis desit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat diuinam gratiam.* Quid autẽ magis impedit diuinam gratiam, quàm peccatum, & peccati radix cupiditas, & immoderatus amor sui? Hæc eñim est amaritudinis radix, peccata omnia germinans, quibus nihil amarius, nihil acerbius fingi animo & cogitatione potest. Ad reliqua properemus. Vbi igitur Regulus Domini aduentum in domum suam accelerari postulasset, ipse contrà respondit: *Vade, filius tuus viuit.* Dominus aduentũ suum denegat hîc, alibi pollicetur. Hanc rem si humano more expendere velimus, plus aliquid Regulus quàm Centurio; plus Reguli filius, quàm Centurionis seru⁹ merebatur. Cur igitur hic rogatus venire in domum recusat, cùm illic nõ rogatus se venturum promittat? Hoc igitur in loco quid aliud quàm peruersitatem nostram castigare Dominus suo exemplo voluit, qui vsque adeò ad huius seculi diuites ac potentes honorãdos, & pauperes contemnendos propensi sumus? qui in hominibus non imaginem Dei, non naturam, non virtutes, sed solas opes atque potentiã suspicimus

Felicianus Episcopus Arelatẽsis.

Simile.

Matt. 16.

Hebr. 12.

Matth. 8.

Diuites suspicimus

ac miramur? Hoc est enim malum illud, à quo nos Iacobus reuocat: *Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem,&c.* Quid in moribus nostris hoc abusu frequentius? Audi quid Ecclesiasticus monet: *Congregationi pauperum amabilem te facito, & presbytero*, hoc est, seniori, *humilia animam tuam, & magnati humilia caput tuum. Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum, & responde illi pacificè in mansuetudine.* Hæc est igitur Christiana Philosophia, hæc ratio, qua cum pauperibus agendum esse cælestis Magister docet. Itaque, Auditores, si de Christi nomine ac doctrina gloriamur, non mundi legibus & institutis, sed Christi spiritu atque ductu vitam & linguam nostram instituamus. Rectè ait Regius Vates: *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, timentes autem Dominum glorificat.* hoc est, vir iustus improbos, quamuis genere, opibus, & gratia florentes, pro nihilo ducit; colentes autem Deum, veretur & obseruat, licèt humiles & obscuri sint, & apud homines abiecti cõtemptique. Hoc fecit Abdias, regiæ domus præpositus, qui Eliam Prophetam summo affecit honore. *Descende*, inquit, *priusquam moriatur filius meus.* O si nũc eam nobis Dominus mentem immitteret, vt quoties anima nostra simili periculo laborat, quoties videlicet praua aliqua suggestione aut delectatione infestatur, simili festinatione atque oratione ad opem Domini confugeremus, dicentes: Domine, descende, fer opem, antequam per peccati consensum moriatur anima mea. Sunt enim varij gradus, quibus ad spiritualem animæ mortem peruenitur: inter quos primus est praua cogitatio; proximus verò, cogitationis delectatio: quam si sequatur consensus, siue in opus, siue in ipsam delectationem, ibi protinus mors animæ intercedit. Audi ergo, charissime, quoties negligẽtiâ tuâ, peccati cogitatio ad delectationem peruenit, & voluptatis glutino ita cordi tuo adhæsit, vt vix eam à te possis excutere, tunc nulla mora trahenda est, tunc more huius Reguli vrgendum, clamandum: *Domine descende, priusquam moriatur filius meus*, priusquam delectatio, quæ concepit dolorem, pariat iniquitatem. Clama cum Propheta: *Deus in adiutorium meum intende.* Sed iam quid Dominus petenti Regulo responderit, videamus. *Vade*, ait, *filius tuus viuit. Credidit homo sermoni quem dixit,&c.* Mirum fidei incrementum, quod ab illa Domini increpatione manasse credendum est. Quid enim ampliùs Centurio credidit, cuius fidem Dominus tantopere commendauit, nisi quòd verbo absens reddere salutem posset? Idem nunc Regulus

Iacob. 2. — *Eccles. 4.* — *Pauper nõ cõtemnendus.* — *Psal. 14.* — *Viri iusti officium.* — *3. Reg. 18.* — *Gradus animæ.* — *Psal. 69.* — *Matth. 8.*

Regulus credidit; atque ita credidit, vt hac fiducia fretus, iter arripuerit, non ampliùs Domini præsentiam exigens: vt apertè liqueat, vno eodémque tempore Dominum & filio salutem, & patri fidem contulisse. Quo beneficio admonemur, ne, cùm à Domino corripimur, aut acerbiùs tractamur, animo concidamus, imò verò hoc ipso tempore in maximam salutis spem erigamur. Dauid piorum gerens exemplum, frequenter se à Deo derelictum conqueritur. *Exsurge, quare obdormis Domine? exsurge, & ne repellas in finem. Quare faciem tuam auertis? obliuisceris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ?* Intelligebat vir sanctus, hunc esse morem Domini, vt priùs quidem suos perterrefaciat, deinde mulceat & consoletur. Sic Dominus se in Euangelio cum muliere Cananæa gessit, quam à se repellere videbatur. Sic cum eo qui lunaticum filium ei obtulit curandum, quem acerrimè priùs increpauit, quàm filium sanaret. Sic denique cum hoc Regulo, quem initio duriùs obiurgauit, cum quo tamen tanta benignitate vsus est, vt filio salutem, patri fidem, ac toti eius familiæ contulerit. Fides Dei donum est, & maximum quidem donum est: quo excellenti dono Regulus hic cum tota familia donatur. Verbis illum exteriùs castigabat, quem tamen intus cælesti lumine complebat. Credidit itaque in Christum, ipsum esse verũ Messiam, ac mundi Saluatorem professus. Scitis aliud esse credere Deo, aliud in Deum credere. Credunt Deo & dæmones. Credere in Deũ est, amando in illum tendere. Nec modò ipse credidit, sed & eius tota domus, domini sui fidem imitata, eodémque miraculo conuicta. In quo videre est, quantum ad eruditionem seruorum, exempla cõferant dominorum. Diues ille epulo, inhumanus & misericors erga mendicum Lazarum erat: cuius inhumanitatem tota eius familia sectabatur. Immitis Dominus immites quoque famulos fecerat. *Qualis rector ciuitatis, tales & inhabitantes eam.* Quicumque ergo Domini estis, videte, quæso, quæ viuendi exempla præbeatis. Hæc familia miraculo Christi, ad eum conuersa est. Non desunt in Ecclesia similes curationes animarum, quæ instar miraculi, piorum fidem illustrare & augere debent. Deponamus nos errores, renunciemus vitiis, veram pœnitentiam agamus, & opem Domini imploremus, vt cordis pacem hìc & in futuro inuenire mereamur. Amen.

Fortes in tentatione esse debemus.

Psal. 43.

Matt. 15.

Matt. 17.

Fides Dei donum est.

Lucæ 16.

Ecclef. 10.

DOMINICA XXI. POST PENTE-COSTEN, CONCIO: IN QVA LECTIO Euangelica explanatur; deinde contra odia, vindictæ cupiditatem, & implacabilitatem differitur.

THEMA. *Oportuit te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum.* Matth. 18.

INTER ea crimina, quæ accidere in vita hominibus frequenter solent, odium, ira, & vindictæ cupiditas præcipuè numerantur. Cùm enim odium & ira tunc vel maximè concitentur, cùm ea, quæ vehementer cupimus, aliorum vel studio, vel malitia impediuntur; cùm sint tam multæ variæque hominum cupiditates, & tam multa rursus impedimenta quæ ab aliis nobis obiiciuntur: efficitur planè, vt animi hominum perturbentur, & ira atque odio inflammentur. Crimen hoc est frequens: naturale, & leue videri possit: sed non ita est: quoniam ira, vbi creuit, odium, trabem facit de festuca, & animam facit homicidam. Sic enim apud Ioannem legimus: *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Æquat autem Ioannes odium homicidio: quoniam is qui furore atque odio incensus, fratris mortem desiderat, iam illum coram Deo (qui cordium inspector est) interemit. Multorum odia, quæ sunt inueterata, ne morte quidem ipsa finiuntur, sed ad posteros etiam simul cum hæreditate ipsa transmittuntur. Hoc verò tempore quàm multa lethalia crimina committi putatis? Quoties enim inimicus in mentem venit (venit autem frequentissimè, cùm ipse odij aculeus dormientem hominis memoriam pungat) si odium, quod aduersus illum animo concepit, renouat atque confirmat, toties se nouo capitalis odij crimine reum facit, totiésque apud Deum homicida est. Cùm igitur cælestis ille Medicus grauissimi huius morbi vim, per totum genus hominum latissimè grassantem vidisset, præsens aduersus eum remedium in hodierna sancti Euangelij lectione prouidit. Aduersus enim hominum odium, Dei odium; aduersus eorum iras, diuinam iram; & aduersus vltionis & vindictæ appetitum, vltionis & vindictæ diuinæ seueritatem opponit. Itaque si odium contra fratrem retines, odium contra te diuinum concitas. Si iram contra illum seruas, iram contra te diuinam prouocas. Si vltionem de illo sumere paras, vltio diuina persequetur. *Qui*, inquit Ecclesiasticus, *vindicari vult, à Domino*

Odiũ unde causetur.
Augustinus.

1. Ioan. 3.
Homicida quis apud Deum.

Domino inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit: Hæc sententia in ista parabola à Domino confirmatur & illustratur.

AVE MARIA.

SIMILE *est regnum cælorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis*, &c. vsque in finem. Hæc igitur est parabola: nunc singulas eius partes excutere incipiamus. *Simile est*, inquit, *regnum cælorum homini Regi*, &c. Regni cælorum nomine, quidquid ad regnum cæleste consequendum pertinet, intelligi frequẽter audistis. Nihil autem magis nos ad hoc regnum perducit, quàm charitas: nihil ab eo excludit, nisi quod charitati aduersatur, in quo genere sunt odia, dissidia, & implacabilitas in eos qui nos aliqua in re læserunt. Huius autem criminis periculum, hac Regis à seruis suis rationem exigentis parabola declaratur. Hic autem Rex, Deus est, ante cuius tribunal omnes homines sistendi sunt, vt de perceptis à Deo beneficiis, & delictis aduersus eum commissis, ad verbũ vsque otiosum rationẽ reddant. Inter hos autem eius conseruos, oblatus est ei vnus ingenti debito, decem milliũ videlicet talentorum, obstrictus. Quis est autem tam magno debito obnoxius? Multi sunt certè, qui cum Rege illo pœnitente dicere verè possunt: *Peccaui super numerum arenæ maris*. Quis enim perditorũ hominum mẽdacia, periuria, blasphemias, conuicia, rapinas, fraudes, furta, detractiones, iniurias, auaritiam, inuidiam, impudicitiam, & ingluuiem, quis oculorũ licentiam, quis linguæ petulantiam, quis tam multiplices cordis cõcupiscentias, quis corporis lasciuiam, quis diuinorũ beneficiorum abusum, & mandatorum contemptũ enumerare valeat? Eò enim, diabolo adnitente, & animos hominũ veluti philtris quibusdam & veneficiis demẽtante, deuenerunt, vt nihil minùs delinquant fidem habẽtes, quàm si athei, exleges, & infideles essẽt. *Qui colũt idola, Gentes, ad omnia ruũt scelera:* illud verè mirabile est, eos qui Deũ viuum, omnia videntem, prouidentem, atque iudicantem confitentur, nihil minùs delinquere, quàm eos qui lapides & ligna colebãt. Verè de huiusmodi dici potest: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*. Quomodo autem dixerit, exponit protinus, cùm subdit: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis* &c. Hac ratione improbi dicunt non esse Deũ. Faciunt Deum aut truncũ, aut lapidem. Isti igitur sunt decem millium talentorũ, hoc est, infinitæ sũmæ, debitores. Auget peccati grauitatẽ, & personæ offensæ dignitas, & offendẽtis vilitas, & ipsius

Regnum cælorum quid.

2. Reg. 12.

Sap. 14. Idolũ quibus Deus est.

Psal. 13.

offensionis causa. Nihil Deo potétius, nihil melius. Itaque cùm peccas, offendis illum qui habet flatum tuum in manu sua: offendis illum qui infinita potestate complectitur: qui potestatem habet occidendi corpus, & animam mittere in gehennam. Sic peccauit grauiter clarissimus Angelus, insano diuinitatis amore incensus, dum eleuabatur aduersus auctorem suum. Parens verò omnium Eua, simili penè cupiditate inducta, diuinitatis scientiam affectauit. At quibus de causis homines diuinas leges & præcepta violant? Pudet sanè dicere. Alius ob leuissimum lucrum, alius ob sordidam voluptatem, alius inanissimi honoris & auræ popularis gratia. Sunt & alij, qui sine vlla causa Deum passim peierantes, & aliorum vitam & famam lacerantes, gratis, hoc est, nullo proposito emolumento, peccant. Quæ res summum diuinæ maiestatis cõtemptum præ se fert. Adde his etiam singularem impudentiam, quòd cùm ante vilissimum homuncionem delinquere nõ audeamus, diuinæ maiestatis oculos non veremur, dum in eius conspectu tam multa committimus. Hoc est enim quod Dominus indignè se ferre ostendit, cùm ait: *Et faciebatis malum in oculis meis.* Et, *Ego sum, ego vidi, ait Dominus.* Si quis igitur has omnes circunstantias, ac præcipuè infinitã diuinæ maiestatis amplitudinem expenderit, inueniet planè, vel vnum lethale crimen decem milium talentorum, hoc est, infinitum debitum continere. Tanta autem est peccati lethalis immensitas, vt omnium mortalium merita, nisi vnigeniti Filij Dei merita accederent, vnius mortalis maculam eluere nõ possent. Hoc est autem quod sanctus Euangelista designauit, cùm de hoc seruo loquens, subdit: *Cùm autẽ nõ haberet vnde redderet, iussit eũ dominus eius venũdari,* &c. Non enim habet hominis dignitas (nisi adsint Christi merita) vnde vel vnius tantùm sceleris condignam Deo satisfactionem offerre valeat. Quis cupiditates omnes, & illicita desideria cordis humani, præsertim qui sine timore viuit, numerare posset? Annon, qui sic vitam traduxit, decem millium talentorum, hoc est, innumerabilium peccatorum debitorem sese constituit? Instat rationis exigendæ tempus, quam mortis horam scimus, ad quam tandem omnes, velimus, nolimus, peruenturi sumus. *Quis est homo, qui viuat, & non videat mortem?* Instat hæc formidabilis hora, in qua intelliget homo, sibi ab hoc seculo, in nouum aliud, & incognitum animarum seculum demigrãdum, ibique anteactæ vitæ rationem esse reddendam. At seruus, audita Domini sentẽtia, *Procidẽs ad pedes eius, rogabat eũ, dicẽs: Patiẽtiã habe in me,* &c. Hac in re immẽsa Dei bonitas

Daniel. 5. *Lucæ 12.* *Esa. 14.*

Peccans quem vereri debeat.

Hiere. 7.

Peccati grauitas est immẽsa.

Psal. 88.

nitas & misericordia declaratur. Rex enim sola serui supplici deprecatione plus cōtulit, quàm ille rogauit. Ille námque spatium temporis petebat, Rex autem misericordia motus, vniuersum ei debitum dimisit. Hoc ipsum quotidie Rex cælestis facit, cùm peccatoribus ad ipsum per veram humilémque pœnitentiam confugiētibus, non modò vitam & spatium ad pœnitentiam præbet, sed vniuersa etiam debita condonat. Quæ tamen veniæ facilitas, Christi Domini vulneribus ac meritis donatur. Hoc tamen scire oportet, hominem, quamdiu in peccato manet, nullum opus agere posse, quo Dei gratiā & amicitiam promereatur. Scriptum est enim: *Victimæ impiorum abominabiles Domino.* Et: *Qui obturat aures suas ne audiat Legem, oratio eius erit exsecrabilis.* Non enim Deo gratum esse potest, quod homo ingratus & inimicus Dei facit. Pius autē Dominus facilitatis & miserationis suæ exemplo, nos ad misericordiam erga conseruos vehementer inducit. Sed Regis nostri bonitatem & clementiam vidimus: serui nunc inhumanitatem & crudelitatē expendamus. Vbi homo imminens illud mortis periculum, Domini beneficio euasit; sic, diabolo adnitente, omnium, quæ perpessus est, obliuiscitur, ac si illa omnia nocturnæ visionis somnia exstitissent. Passim enim videre est homines, qui, instante mortis hora, admiranda quædā proponunt, & si quid etiam debent, exsoluere incipiunt: qui tamen vbi à morbo conualuerint, infecta omnia, quæ facere cœperant, relinquunt, & omnium, quæ proposuerant, obliuiscuntur. Vide quæ inueteratæ consuetudinis vis & tyrannis. Hi Pharaoni simillimi sunt, qui semper ad ingenium rediit. Quocirca, Auditores, extremam illam pœnitentiam eorum qui semper scelerate vixerunt (in qua multi spem salutis suæ repositā habent) valde suspectam, maximéque periculosam existimare debetis: quod quotidiana hæc exempla facilè declarant. Quam rem Dominus, proposito huius serui ingrati exemplo, voluit demonstrare. Hic enim seruus, cui multorum talētorum Dominus debitum relaxauit, fortè in conseruum incidit, qui ei centum denariorum debitor erat. Quem manu comprehensum suffocabat, dicens: *Redde quod debes.* At cōseruus eadē illa verba, quibus tantā is esset misericordiam consecutus, repetebat: *Patientiā habe in me, & omnia reddā tibi.* Sed frustra tamē hoc agebat, quòd ille iā perceptæ remissionis oblitus, aures ad omnem misericordiæ vocē occluserat. Quid agis homo? Tam citóne tibi excidit tam ingens misericordia Domini tui? Cur non valeat apud te oratio conserui, quando tantū apud Regem

Prouer. 15.
Prouer. 28.
Deo ingratum quid sit.
Ingratitudini exemplum.

& Dominum oratio tua valuit? Exponam hoc apertiùs, Auditores. Decem milliũ talentorum, hoc est, innumerabiliũ peccatorum, tibi Deus veniam supplici precationis voce concessit, pro quibus æterna supplicia merebaris. Post hanc verò tantam gratiam, aliquis te aut cõuicio affecit, aut iniuria læsit, aut litẽ falsam intẽdit, aut maledicentia sua famam tuam obscurauit, aut alia quauis ratione nocuit: sed tandem pœnitentia ductus, aut veniam petit, aut de pace componenda intercessores ad te mittit.

Durities humana.

Hìc nullo modo potes induci, vt pacẽ ineas. Hunccine, inquis, ego in gratiam recipiam, qui me tot probris & ignominiosis nominibus affecit? Non faciam, non feram. Dic, quæso homo, vtrùm grauius esse putas, quòd te conseruus tuus cõtumelioso verbo pulsauit, an quòd tu infinitis sceleribus, cælorũ & Angelorum Dominum per singula penè vitæ momenta offenderis? Tãtum certè inter vtramque iniuriam interest, quantum inter decem millia talenta, centúmque denarios. Si ergo tot iniurias toties tibi in vita Dominus tam facilè condonauit, cur vnam tu in illius gratiam, qui tam multa relaxauit, non remittes? Cur, qui tam clementem in te Dominum expertus es, tam immitem, & inhumanum aduersus conseruum tuum animum gestas? Hæc certè crudelitas ipsas etiam beatas mẽtes in admirationem commouet. Quo autem Dominus ad misericordiam & lenitatem propensior, hoc magis crudelitati & inhumanitati infestior est. Ex eodem enim fonte & misericordiæ amor & crudelitatis odiũ manat. *Videntes autem conserui eius quæ fiebant, cõtristati sunt valde, & venerũt & narrauerũt, &c.* Qua verò pœna hæc tanta immanitas plectẽda sit, ex ipsa Domini lenitate colligi facilè potest: plus cõtulit, quàm fuerat rogatus. Qui tantopere diligit misericordiam, quo odio crudelitatem & inhumanitatem detestabitur, quæ tantum ab eius ingenio abhorret. Sic igitur cum immiti seruo Dominus agere cœpit; *Serue nequã, omne debitum dimisi tibi, quoniã rogasti me, &c.* Si ego tã magnam debiti summam tibi remisi, cur tu tam

Crudelitatis exemplum insigne.

paruam non remisisti? Si ego tanta tecum lenitate egi, cur tu conseruum suffocas, premis, & in carcerem coniicis? Quomodo tam citò beneficentiæ erga te meæ obliuisci potuisti? Quid ergo superest, nisi vt ego te mensura tua metiar; talémque me erga te iustitia mea reddat, qualem te crudelitas tua erga conseruũ fecit? *Iratus ergo Rex, iussit eũ tradi tortoribus, &c.* Chrysostomus dicit, Deum præcipuè inhumanitatis & crudelitatis crimen vindicare. Hoc in loco quæri meritò potest, cùm Apostolus dicat, sine pœnitentia esse dona Dei (quia non repetit,

Rom. 11.

quod

quod donauit] quomodo nunc vniuersum debitum, quod iam donauerat, repetit, quando seruum nequam torqueri præcipit, quoadusque vniuersum debitum redderet? Ad hoc igitur D. Thomas, cæterique Doctores respondẽt: Peccata dimissa propter nouum ingrati animi crimen quodammodo redire: quia magna illa ingratitudo, qua post perceptum ingẽs beneficium homo aduersus benefactorem delinquit, tantum ferè ponderis & grauitatis, quantum præterita peccata, habet. Si enim nullum anteà homo beneficium, aut si exiguum recepisset, leue quidẽ esset ingrati animi vitium. At post maximum beneficiũ exhibitum, tanto crimen maius est, quanto maius illud exstitit beneficium. Hac ergo ratione, Auditores, peccata iam dimissa redire dicuntur. Vide iam absolutus, & liber à tanto ære alieno, ne iterum in pristina labaris vitia, ne nouis criminibus iterum Deum ad iracũdiam prouoces. Vide item, ne tu leuissimas fratrũ offensas retineas, qui à Domino absolutus es. Vtere tu eadem misericordia erga fratrem, qua & Deus in te vsus est. Frustra implores Dei gratiam, si tu immisericors fueris. Tortores, quibus tradendus dicitur hic durus nequã, sunt ipsi dæmones: qui velut carnifices sunt, & ministri diuinæ iustitiæ. Grauissimè damnatorum miseras animas cruciant. Habent enim ingenitam inuidiam aduersus genus hominum: quos in hoc conditos esse sciunt, vt sedes ipsis antè in cælo paratas possideant. Illam quoque naturam acerrimo odio prosequuntur, quæ illis exitiũ & perniciẽ attulit. Humana natura in Christo vniuersum imperium illis abstulit. Quo factum est, vt humanam naturam, vbicumque illam viderint, tanquam Goliath gladium, quo ipsi conciderunt, immani odio persequantur, & furoris sui rabiem, quam in Christi humanitatem explere nõ possunt, in eiusdem naturæ consortes expleant. Diabolus dicitur & est mille artifex, qui cũ nos seduxerit, tum agit triumphum. Huic resistendum monent sancti Apostoli. Isti itaque sunt tortores, quibus ex imperio Domini traduntur, qui implacabiles inimicitias tuentur. Quousque tandem torqueri præcipiũtur? Quousque, ait, reddant vniuersum debitum. Hoc autem debitum in gehenna, nulla vnquam temporis diuturnitate dissoluetur: quoniam hîc non merendi, aut demetendi, vel satisfaciendi locus est. Ita fit, vt quod in hoc seculo breui poterat labore resarciri, in illo acerbissimis & perpetuis cruciatibus nunquam dissoluatur. *Cuius*, inquit D. Gregorius, *vita mortua fuit in culpa, illic mors viuit in pœna. Desiderabunt improbi mortem, sed mors fugiet ab eis.* Quid igitur acerbius, quàm mortẽ semper desiderare, nec

Peccata quæ redeant.

Peccata an redeat.

Tortores dæmones sunt.

2. Petr. 5.

obtinere? Qui igitur hoc firma fide tenent, quomodo aut ridere, aut ludere, & in otio vitam agere poterunt, qui se præsertim lethali aliquo crimine constrictos, æternæque mortis reos esse sciunt? O quoties fatuæ illæ virgines prætermissam hanc salutis opportunitatem lugent! O verè deploranda cæcitas nostra, quæ ludicris rebus intenta, hanc tantam rem, quæ sola animos nostros solicitare semper debuisset, aduertere noluit! O transacta pœnitentiæ opportunitas, nullo vnquam tempore reditura, quas nobis sempiterni doloris faces subiicis! *Oportuit te misereri cōserui tui.* &c, *Sic Pater meus cælestis faciet vobis, si nō remiseritis*, &c. In tota hac Euangelica lectione aduersus fraterna odia, & vindictæ cupiditatē, & implacabilitatē cælestis Magister tonat ac fulminat, dū grauissimum huius criminis suppliciū nobis ob oculos ponit. In tua quodāmodo posuit potestate, vtrùm saluari, an damnari velis. *Homo*, inquit Ecclesiasticus, *homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam?* In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecabitur? Quis exorabit pro peccatis eius? Quis enim à misericordiarum parente petere audeat, vt erga immisericordem misericors esse velit, & veniam neganti veniam tribuat? Nemo hoc sanè facere audeat. Contrà verò, si quis placabilis & facilis fratri ad exorandum fuerit, facilem quoque & placabilem Dominum experietur. *Relinque*, rursum ait Ecclesiasticus, *proximo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur.* Quam sententiam idem Dominus confirmat: *Cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, vt & Pater vester, qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra.* Si clementem & propitium Deum inuenire cupitis, habetis in Euāgelio præsenti in promptu positam placandi numinis rationem. *Estote beneuoli in fratres, si Deum cupitis beneuolum inuenire. Inueniat gratiam* (quod Patriarcha Iacob de suo fratre Esau summopere cupiebat) *qui vos semel læsit in oculis vestris, si vos, qui infinitis penè sceleribus infensum vobis Dominum reddidistis, in eius oculis gratiam inuenire desideratis. Memento*, inquit Ecclesiasticus, *nouissimorum, & desine inimicari.* In eo pectore, in quo odiū & vindictæ cupiditas dominatur, ibi detractio, ibi sinistræ suspiciones, ibi falsa testimonia, ibi contentiones, ibi amarulentia. Hinc in epistola Ioannis, *Qui*, inquit, *odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat.* Sicut qui oculis captus est, vbique offendit, & in varia præcipitia labitur: ita consequens, vt is in huiusmodi peccatorum, quæ diximus, præcipitia ruat, qui mentis oculos habet odij atque

Marginal notes: *Eccles.* 28. — *Ibidem.* — *Marc.* 11. — *Genes.* 32. — *Eccles.* 28. — 1. *Ioan.* 3. — *Simile.*

que iracundiæ fumo & tenebris obcæcatos. Hæc pertinent ad animam. Quid verò corporis cruciatus & amarulẽtiam, quam cor veneno infectum patitur, referam? Tranquillo corde nihil est iucundius, ita nihil odij rabie atque furore infecto amarulentius. Itaque hoc vitium non modò animæ pestem, sed crudelissimum humanæ vitę carnificem appellare licet. Quid iam facies de illo desuper inspectore, quẽ latere nihil potest? Quomodo autem pungentis conscientiæ perpetuũ carnificẽ, quòd alienum sanguinem profudisti, vitare poteris? cùm præsertim tanto Deus odio sanguinarios homines prosequatur, vt in huius rei signum, animalium quoque sanguinem post diluuium manducari prohibuerit, *Sanguinem*, inquiens, *animarũ vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarũ, & de manu hominis.* Quis igitur hunc lacerantis conscientiæ tortorem euadere poterit, etiamsi iuris, iudicumque pœnas euadat? Cogitas te inimicum tuum æquis oculis ferre non posse. Iam vide vtrùm te, an seipsum maiori afficit damno. Ille quidem Dei gratiã amisit, cùm te iniuria affecit. Obscurauit tuam famam, at animam suam perdidit. At de te vix capillum abstulit, sibi verò oculum effodit. Ecce, frater, miserearis illius potiùs, qui tantis se affecit iniuriis, quàm tui, qui tam leue damnum passus sis. *Circumdederunt me sicut apes*, ait Dauid. Apes leue vulnus aculeo suo infigunt, quæ tamen vitam simul cum aculeo amittunt. Qua similitudine intelligimus, quanto grauiùs sibi noceat quisquis alteri nocet. Sic viri sancti magis condolent iis, qui peccatum commiserunt, quàm sibi, qui peccati illius damna tolerabant. Dæmon est huius iniuriæ auctor: miser autẽ homo velut animarum instrumentum atque mancipiũ, quo te ille ferit. Quid aliud erit aduersus hominem relicto dæmone commoueri, quàm canes imitari, qui vel lapidem, vel hastam, qua feriuntur, morsibus petunt, iaculatore prętermisso? Vides equum: non lædit ille te, sed sessor: iam cur magis incandescis in equum, quàm in sessorem? Sic Dauid omnes suas contumelias non tam hostibus suis, quàm ipsi Domino hoc permittenti adscripsit. *Dominus*, inquiens, *Semei præcepit, vt malediceret mihi.* Sic ille Iob calamitates suas non dæmoni, cuius opera omnes eius opes fuerant euersæ, sed ipsi Deo auctori adscripsit. Quisquis alium iniuria afficit, non illi, sed sibi honorem adimit: ideoq; inciuilis, linguosus, & maledicus appellatur. Qui alium afficit honore, non tam illũ, quàm seipsum honorat. *Non enim*, inquit D. Cyprianus, *qui audit, sed qui facit iniuriam, miser est.* Vide quantum sancti huius viri sentẽtia ab opinione tua distat, dum

Genes. 9.

Inimicus tuus seipsum perdit.

Psal. 117.

Apes se interimunt.

Simile.

2. Reg. 19.

Miser quis dicendus.

Exemplo Christi q̃d faciendũ.

dum te Christo Dei Filio, conuiciatorem verò tuum proditori Iudæ similem facit, qui pro plagis Patri se precatorẽ exhibuit. Pagani & Iudæi multis modis idolis suis, summo etiam tum corporum, tum animarũ discrimine placere, & litare volebant: at nos leui obsequio, nostro Saluatori, id est, fidelitate & ignoscentia, litare possumus. Hoc igitur seruitutis genus summo animi affectu amplectamur, vt salui esse possimus. Amen.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN, CONCIO: IN QVA POST Euangelicæ lectionis enarrationem, quid nobis, quid aliis hominibus, quid Deo debeamus, explicatur.

THEMA. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei Deo.* Matth. 22.

Hebr. 4.

MAGNVM spei nostræ solatium Apostoli illa verba præbent: *Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* Quid autem ex hoc sequatur, exponit protinus, cùm subdit: *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus cum auxilo opportuno:* hoc est, vt opportuno tẽpore, cùm casus ita tulerit, nobis Dominus gratiæ suæ opem ferat. Hac igitur ratione infirmam hominum spem confirmare atque erigere Apostolus voluit: qua intelligeremus, nunquam defuturam misericordiam in eo, qui miserias nostras experimento didicisset. Ait quædam:

Non ignara mali, miseris succurrere disco.

Pontifex fidelis Christus.

Esa. 53.

Saluator noster licèt omnia nouisset, experimento tamen suo & periculo nostra mala, hoc est, incommoda vitæ nostræ scire voluit, vt ita misericors fieret & fidelis Pontifex. Quod autem Apostolus ait, *Dominum fuisse per omnia tentatum,* Esaias confirmat, cùm eundem appellat *virum dolorum, & scientem infirmitatem.* Quis autem omnes dolorum eius atque laborũ molestias verbis consequi possit? Mitto infantiæ atque virilis ætatis labores, mitto vigiles in oratione noctes, mitto piissimas eius lacrymas, famem, sitim, paupertatem, & itinera pedibus

confecta, propter quæ fatigatus ex itinere sedebat supra Samariæ fontem, mitto etiam quidquid iniuriarum atque acerbissimorum dolorũ in morte tulit: in vita etiam varios labores pertulit, variísque modis ab hostibus veritatis lacessitus fuit atque tentatus. Modò enim calumniis, modò conuiciis illũ insectantes, modò falsa crimina illi impingẽtes, quòd videlicet in Beelzebub principe dæmoniorum eiiceret dæmonia, sæpe etiã verba eius, sæpe opera obseruantes, an videlicet sabbatho curaret, quod videlicet apud illos ingens crimen erat, & quidem nunc aperto marte, nunc occultis insidiis atque blanditiis ipsum illaqueare nitebãtur. Itaque in hodierna sancti Euangelij lectione digna malitiæ suæ calumnia Dominum capere studuerunt, vt illum vel apud populum traducerent, vel apud Herodianos læsæ Maiestatis reum agerent. Hanc calumniam sanctus Matthæus his verbis describit.

Ioann. 4.

AVE MARIA.

PHARISAEI *audientes quòd Iesus silentium imposuisset*, &c. Sancti Patres concilia cogere solent, quibus malis in Ecclesia grassantibus remedia adhibeant: ita contrà filij diaboli cogere etiam conciliabula solent, in quibus, communicato cum satellitibus suis consilio, flagitia sua perficere valeant. Sic parricida Absalon, paternum regnum inuadens, vbi Hierosolymam venisset, Principibus exercitus ait: *Inite consilium, quid facere debeamus.* In eo autem consilio tractandum erat, qua ratione sapientissimo Dauidi vitam simul & regnum eriperent. Simili ergo modo *Pharisæi ad Herodianos abeuntes, consiliũ inierunt, vt Iesum caperent in sermone*, &c. Consultabant Christi nomen, quod indies crescebat, supprimere: & suum, quod hypocrisim, ambitionem, auaritiã, quod Christus minimè tacuit, conseruare licèt salutis dispendio. *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Non poterant eum ex vita & moribus accusare: iam vt in sermone possent accusare, ansam arripiunt. Hoc exemplo, quanta sit ambitionis & inuidiæ pestis, facilè coniicere poterimus; quæ ad tã immane nefas homines adigere potuit. Nullam ob causam Pharisæi Dominum insectabantur, nisi quòd eius nominis claritate ipsorũ gloriam obscurari viderent. His etiam adde, quòd quamuis virtus & iustitia ex natura sua vt pulcherrima, ita etiã amabilis & iucunda sit; improbis tamen hominibus inuisa esse solet. Solet enim virtus & iustitia improbis hominibus odio esse. Cùm enim ipsi à maleficiis nõ abhorreant, bono

Concilia cur cogantur.

2. Reg. 16.

Prouer. 1.

bonorum virorum censuram & castigationem verentur; ideóque neminem iustũ esse vellent, qui debitas de sceleribus ipsorum pœnas repeteret. Hæc igitur præcipua erat odij Pharisæorum in Dominũ causa. Erãt in malo obstinati, de quibus scriptũ est: *Cor eius indurabitur tãquam lapis, & quasi malleatoris incus:* quæ videlicet frequentibus ictibus contusa, adeò nõ emollitur, vt magis etiam obduretur. In quo autẽ isti periculo versentur, Salomon exprimit, cùm ait: *Viro, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus superueniet interitus.* Isti diaboli referunt ingenium: qui ne multoties quidem victus & superatus defatigatur, nec lacessendi atque tentandi officium intermittit. Monemur ne arma deponamus, sed semper, velut in acie stantes, ad noua prælia expediti atque parati simus. Sic S. Antonius contra dæmones agebat. Ineunt consilium cum Herodianis. Constat ex Gentilium historiis, Iudæam à Pompeio illo Magno fuisse Romanorũ Imperio additam. Ex eo igitur tempore Romanis tributa pendere Iudæi soliti erant. Quam rem tamen multi indignè ferebant, quòd populus Dei, qui Deo decimas offerebat, Ethnicis Principibus tributa soluere cogerẽtur. Hinc in Actis Apostolorum legimus, quendam Iudam Galilæum, & alium nomine Theudam, popularis seditionis auctores fuisse, quòd censum Cæsari dandum esse negarent: qui tamen capitali supplicio audaciæ suæ pœnas dederunt. In hoc igitur tantum vitæ discrimen Dominum Pharisæi conijcere nitebantur. Ad hoc igitur Herodianos, hoc est, Herodis milites, in huius criminis societatem adsciuerũt, partim vt Dominum continuò ad vincula raperent, si tributa Cæsari pendenda esse negaret: partim vt illi huius criminis testes essent, cũ Pharisæorũ testimoniũ propter susceptas publicè cũ Domino inimicitias suspectum haberetur. His igitur insidiis callidissimi excogitatis, egregiam se victoriam de Domino adepturos sperabant. Sed tamen non est sciẽtia, non est sapiẽtia, non est consilium contra Dominum: neque fieri poterat, vt incomprehensibile Dei Verbum in verbo caperetur. Adeũtes ergo Pharisæi Dominum, blandissimis illum verbis compellare cœperunt: *Magister*, inquiunt, *scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam,* &c. Hæc cõmendatio verissima erat: quæ tamen, quoniã à fraudulento pectore manabat, erat perniciosissima. Venena enim mellita Domino propinare volebant. *Molliti sunt sermones eius super iacula.* Idẽ alibi de impio homine loquẽs, *Tota*, inquit, *die iniustitiã cogitauit lingua tua: sicut nouacula acuta fecisti dolũ.*

Iob 41.
Prou. 29.
Iudæa Romanis subiecta.
Actor. 5.
Prouer. 21.
Deus non decipitur.
Psal. 54.

Acu

Acuta quippe nouacula absque vllo doloris sensu leniter pilos capitis abscindit, atque in hunc modum prauorum hominum lingua suaui quadam blandiloquentia gladiũ in præcordia defigit. Sed nos, apum more, quæ ex venenatis herbis, veneno relicto, mella carpunt, ex his Pharisæorum verbis fraudẽ in eorum pectore latentem relinquamus, & verborũ veritatem, quæ ipsi protulerunt, ad vitæ nostræ institutionem excutiamus. *Magister,* aiunt, *scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Rectè magistrum appellãt, quia verè magister noster vnus est Christus. Et verax item, imò ipsa veritas est, qui ait: *Ego sum via, veritas, & vita. Et viam Dei in veritate doces.* Via Dei, diuinorum mandatorũ obedientia, & iustitia est. Dicitur autem via Dei, tum quia à Deo mõstrata est, tum quia nos ad Dei felicitatem & gloriam ducit. Huius autem viæ doctor Christus est. *Hæc est,* inquit Propheta, *via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram. Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.* Sed quoniam hæ viæ nos ad sempiternam felicitatem ducũt; quæ sint ad hanc viam necessaria, expendamus. Viatores tribus indigent, viatico, baculo & pera. Viaticum nostrũ est Eucharistia. Baculus est, memoria dominicæ crucis. Baculo nos sustentamus, & canes abigimus. Vtrumque autẽ nobis Dominicæ crucis memoria præstat: qua & fidei nostræ infirmitatem eius meritis roboramus, & prauas dæmonis suggestiones crucifixi Domini & vulnerum eius contemplatione profligamus. Pera, quæ in hoc itinere necessaria est, est eleemosyna, & misericordia. Sic enim ait Ecclesiasticus: *Misericordia viri quasi sacculus cum ipso; gratiam hominis quasi pupillam conseruabit.* Ioannes Baptista vbi populo innotuisset, nihil aliud magis commendauit, quàm misericordiæ opera. *Qui,* inquit, *habet duas tunicas, det non habenti.* Verissimè à Domino dictũ est: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Hæc est igitur illa pera, ille sacculus ad hoc iter necessarius, qui ne in ipsa quidem morte nos deseret. Rectè enim D. Ambrosius, *Non sunt,* inquit, *bona hominis, quæ secum auferre non potest: sola misericordia comes est defunctorum.* Cùm igitur fraudulentæ illæ vulpes quæstionem hanc Domino proposuissent: cognita eorũ nequitia, tanto is acriùs aduersus illorum fraudem excanduit, quanto ipsi blandiùs cum eo agere cœperunt. *Quid me,* ait, *tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census,* &c. Hac ergo prudentissima responsione Dominus & diuino numini gloriam suam tribuendam esse

Psal. 51.
Lingua acuta quæ.
Ioan. 14.
Esa. 30.
Psal. 24.
Eccles. 37.
Lucæ 3.
Matth. 5.
Lucæ 11.
Ambrosius.
Eleemosynæ laus.

esse docuit; & Reipub. principibus (qui eius in terra vices gerunt) quod illorum dignitas & officium postulat, dandum esse declarauit. Sic ergo sapientia vicit malitiam. Sic sacer Mosis serpens Magorum serpentes deglutiuit. Hanc responsionem demirati, & turpiter pudefacti, ad perfidiæ suæ magistros vnde cui redierunt. Cæterùm si ex Cæsaris imagine nummo impressa Saluator Cæsari tributum esse pendendum intulit, eodem certè iure nos ipsos reddendos Deo esse conuicit; in quibus imago Dei elucet, ad quam conditi sumus, etiamsi nos illam non rarò sceleribus nostris deformauerimus. *Signatum est*, inquit Propheta, *super nos lumen vultus tui Domine.* Quæ cùm ita sit, consequens profectò est, vt Deo, quod eius imagine insignitum est, reddere debeamus.

Psal. 4.

TRACTATIO THEMATIS.

REDDITE *quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, &c. His verbis Dominus vt Pharisæorum malitiam retudit, ita mentem nostram salutari maximéque necessaria doctrina breuiter instituit. Quicquid enim Christiana Philosophia docet, hac breui oratione complexus est. Quisquis enim Deo & Cæsari, hoc est, Deo & hominibus, quod suum est, fideliter reddiderit, is certè totum iustitiæ munus plenissimè absoluit. Cùm autem hominis vocabulo, & nos ipsos, & quoscunque alios, hominum appellatione intelligo. Ita fit, vt tripartita sit absolutæ iustitiæ ratio, quæ debitum & nobis ipsis, deinde cæteris hominibus, ac postremò auctori nostro Deo, quod ei meritissimo & summo iure debetur, tribuimus. Quas quidē iustitiæ partes breuiter Apostolus complexus est, cùm ait: *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui honorem, honorem: cui timorem, timorem.* Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Hoc enim singulare charitas habet, vt, cùm semper soluatur, semper tamē debeatur. Hoc sciendū, omniū Sanctorum summum fuisse desideriū, scire qua potissimùm ratione Deum sibi propitium redderent: & hanc gratiam rebus omnibus antetulerunt, & in ea felicitatem suam sitam esse arbitrati sunt. Propheta cùm nullum sacrificium satis Deo congruū inuenisset, quod ei possit offerri, subinfert: *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonū, & quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo.* Ex his tribus officiorum generibus primum quidem spectat ad nos, nempe facere iudicium; secundum ad alios, diligere mi-

Rom. 15.

ricordiam: tertium verò ad Deum, quod ipſa Prophetæ verba declarant, cùm ait: *Solicitum ambulare cum Deo tuo.* De his tribus officiis, quo ordine propoſita ſunt, dicere incipiamus.

Primum igitur, quod ad vnumquemque noſtrûm pertinet, eſſe ait, facere iudicium. Quid eſt facere iudicium? Cùm Dominus Prophetica voce hoc à nobis exigit, vt iudicium faciamus, hoc petit, vt iuxta rationis & legis diuinæ decreta (quæ rationem noſtram illuminant atque perficiunt) non iuxta appetitus noſtri deſideria, vitam inſtituamus. Ille igitur iudicium facit, qui, cupiditatum ſuarum libidine compreſſa, ſolo rationis & diuinæ legis iudicio vitam moderatur. Quod quidem Regius Vates ſe præſtitiſſe dicebat, cùm ait: *Nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt, & conſilium meum iuſtificationes tuæ, ſiue conſiliarij mei ſunt.* O miros vitæ noſtræ conſiliarios! Audiam verò quid in me loquatur Dominus, quid ab ipſo illuminata ratio, quid ius æquitáſque requirant. Hoc ergo facere iudicium: ad quod etiam iudicium ſpectat, vt non affectus modò animæ, ſed corporis etiam ſenſus, non pro libidine ſua, ſed pro rationis & legis diuinæ iudicio regamus atque cuſtodiamus. Claudendi oculi, ne videant vanitatem: aures, ne detractionibus, mendaciis, & ſcurrilitati pateant. Sed ante omnia lingua eſt frenanda. Cæteris enim ſenſibus ſingularia quædam peccata attributa ſunt, linguæ autem omnia. *Cuſtodite vos à murmuratione, & à detractione parcite linguæ.* Maior autem cordi adhibenda cuſtodia eſt: vnde affectus & cupiditates manant. Hanc præcipuè curam à nobis Dominus requirit, cùm per Salomonem ait: *Omni cuſtodia ſerua cor tuum; quoniam ex ipſo vita procedit.* Cogita qua pœna dignus eſt ille, qui locum Deo ſacrum, fœdis cogitationibus & cupiditatibus inquinat. Clamat enim Apoſtolus: *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Si quis autem templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus.* In hac igitur cordis puritate cõſeruanda iudicium noſtrum maximè deſideratur, ſi cupim⁹ nobis ipſis, quod nobis debemus, exſoluere.

Iudicium facere quid ſit.

Pſal. 118.

Linguæ præcipuè frenanda.

Sapient. 1.

Prouer. 4.

1. Corin. 6.

Cordis puritas ſeruanda.

Sequitur & aliud, quod hominibus cæteris præſtare debemus. Quamuis multa ſint quæ illis debeamus, miſericordia tamen (quæ à charitate procedit) principem inter ea locum obtinet. Hæc virtus eſt tum Chriſtiani, tum etiam ciuilis hominis propria. Excellentes viri dixerunt, nihil tam eſſe ſecundùm naturam, quàm iuuare conſortem naturæ. Hæc adiumenta in brutis à naturæ conditore illis attributa cernimus. Iam quid homines agere par eſt, qui rationis munere, qui humanitate præditi ſunt, qui à natura ipſa commiſerationis affectum

acceperunt, qui etiam, nisi alterius operum subsidiis, vitam tueri non possunt? Pudeat ergo homines, ad virtutem & misericordiam natos, non præstare aliis hominibus, quod sibi ipsi animantia mutuo, solo naturæ instinctu, præstant. Ipsi Gentiles solo humanitatis nomine ad officia pietatis parati erant.

Vespasianus.

Imperator Vespasianus iunior super cœnam aliquando recordatus quòd eo die nemini quidquam donasset, memorandam illam vocem edidit: *Amici diem perdidi.* Hæc planè vox multorum Christianorum auaritiam accusat; qui fidei lumine instructi, non præstant, quod tam larga manu infidelitas præstabat: nec nos ad benignitatis officia magnificentissima spes præmij inuitat, cùm Ethnicos sola honestatis species ad hoc ipsum impelleret. Hac ergo potissimùm ratione misericordiam proximis (quam à nobis Propheta requirit) exhibemus.

Superest tertium, quid communi omnium Domino debemus. Hoc sanè nemo, nec Angelus quidem, comprehēdere potest. Præstamus hominibus de nobis bene meritis honorem &

Deo quid debeatur.

amicitiam. Cæterùm cùm omnes diligēdi rationes in vno Deo cumulatissimè reperiantur: quis iam dubitare poterit, omnia hæc obsequia in vnum collecta, illi vni deberi, & ita deberi, vt quidquid illi obtuleris, infinitis partibus minus sit, quàm quod eius immensæ maiestati debetur? Illius in nos merita nulli conferri possunt. Quia igitur in vno illo omnia habemus; omnes vtique in vnū illum amores & honores, omnemque pietatem & religionem cōferre debemus. Ab hoc & beatè, & feliciter, & semper viuere (nisi per nos steterit) percepturi sumus. Adeò enim ex vno illo salus & vita nostra pendet, vt sine illo nec spiritum ducere, nec loco moueri, nec aliquid moliri, nec vel ad momentum subsistere valeamus. Quæ cùm ita sint; expēdite nunc quæso, Auditores, mecum, quale sit, quod passim fieri videmus, nempe hanc tantam maiestatem ab hominibus contemni, leges eius perfringi, iura conculcari, beneficiorum eius obliuisci, nullamque eius maiestatis rationem haberi.

Hominum nequitia.

Quid enim aliud tam multi mortales faciūt, quàm peccata peccatis, & scelera sceleribus addere? Quotus enim quisque conditorē suum atque parentem super omnia diligit? Quis peccatum lethale super omnia detestatur? Quis diuinæ seueritatis iudicium metuit? quis iustitiam vtilitati præfert? quis virtutē magis quàm pecuniam diligit? quis diuinas leges omnibus vitæ commodis anteponit? Quo fit, vt quem rebus omnibus anteferre deberēt, rebus omnibus posteriorem habeant. Quo quid indignius, quid iniustius, quid exsecrabilius esse potest? Denique eò stupo-

poris

poris multi homines venerunt, vt nihil sit quod minùs metuant, nihil cuius auctoritas minùs apud eos valeat, nihil cuius offensionem minùs pertimescant, nihil cuius gratiam & amicitiam minoris faciant, quando illam exigui lucelli, aut cuiuscumque voluptatis causa amittere non verentur. Quod hîc satis dignè deplorare non possumus, mentibus vestris ponderandum atque cogitandum relinquimus. Exigit Propheta, vt sollicitè cum Deo ambulemus: pręcipit, vt magna cura & sollicitudine, quidquid auctori nostro debetur, exsoluamus. Æquum sanè fuerit, vt eius hæreditatem vindicemus, cuius imaginem retinemus. Superest igitur, Auditores, vt quando hoc iudicio causa nostra in extremo illo examine (quod vnicuique statim à morte instat) excutienda est, toto studio in hãc vnam curam incumbamus, vt hac dæmonis imagine, quæ constat superbia, inuidia, fraude, odio, mendaciis, & similibus, obliterata, Seruatoris nostri imaginem mentibus nostris imprimendam curemus. Ad hunc enim finem homo conditus est, vt diuinæ beatitudinis & gloriæ particeps fieri possit. Qua de causa illũ Deus ad imaginem & similitudinem suam cõdidisse dicitur, vt similis esset in vita, cui similis futurus erat in gloria; & imitaretur eius bonitatem, cuius assecuturus erat felicitatem; viuerétque in hoc mundo tanquam filius Dei, qui futurus erat in altero seculo hæres Dei. Aliter enim præposterum foret, si viueret in hoc seculo tãquam pecus, qui in altero victurus esset vt Deus; vitámque imitaretur brutorum, qui honorem posteà percepturus esset Angelorum. At homo, qui conditus erat ad similitudinem Dei, purus, innocens, sanctus, amissa hac diuina similitudine, fallacis serpentis persuasione, per peccatum similis factus est belluis. Hinc Regius Propheta, *Homo*, inquit, *cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Hi iumentis, quæ quodam naturæ impetu atque appetitione ducuntur, similes esse dicũtur; quia non ratione & consilio, sed affectibus & impetu cæco reguntur. Hi solam terram diligunt, terrena meditantur, terrenas opes ambiunt, & in hoc vno curas suas omnes atque cogitationes insumunt. *Hi*, vt Propheta dicit, *oculos suos statuerunt declinare in terram.* Quibus extrema illa infelicitas contingit, de qua Hieremias ait: *Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur; recedentes à te, in terra scribentur: quia dereliquerunt venã aquarum viuentium Dominum.* Horũ typũ tenuisse Dathan & Abiron, quos terra deuorauit, Origenes declarat. Quia verò in terra thesaur⁹ eorũ est, ibi etiã omnia interiora & exteriora sunt,

Iudicij examen.

Homo in quem finẽ conditus.

Psal. 48.

Terram qui diligunt.

Psal. 15.

Hiere. 17.

Num. 16.

ibi affectus omnes atque vota collocata. Eorundem etiam typum gerit mulier illa quæ in Euangelio à dæmone oppressa, totos decem & octo annos curuato corpore incedebat, neque vnquam hoc tam longo spatio cælum aspexerat. Dæmonis est, mentes quas obsidet, è cœlo (vnde ipse decidit) deiicere, & in terram ita demergere & sepelire, vt nunquam oculos in cælum tollant, neque se ad cælestem hæreditatem natos esse meminerint, sed totos se terrenarum rerum studio atque amori addicant. Omissis istis, consulamus nobis ipsis, sequamúrque Apostolum admonentem: *Sicut portauimus imaginem terreni, ita nunc portemus imaginem cælestis.* Hæc autem imago, quam portare iubemur, nullibi magis quàm in ligno crucis apparet. Apostolus quosdam exsecratur, qui sunt crucis inimici, quos ventris sui cultores appellat, cuius se turpissimo famulatui tradiderunt. Christi crux nihil aliud requirit à nobis quàm peccatorum odium, & laborum amorem. Christus mori magis voluit, quàm Dei præcepta violare. Quòd si tantæ obedientiæ labor difficilis nobis apparet, cælestis præmij magnitudinem ante oculos ponamus. Hac igitur spe erecti, Auditores, ad brauium supernæ vocationis per laborum patientiam, & diuinorum mandatorum obedientiam, alacri & prompto animo curramus: vt illius tandem gloriæ, quæ strenuè certantibus promissa est, participes effici mereamur. Amen.

Lucæ 13. *1. Cor. 15.* *Philip. 3.* *Crucis inimici.*

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN, CONCIO: IN QUA Euangelica lectio explanatur; inde de virtute spei atque fiduciæ in Deum; deinde de his quæ nos ad huius fiduciæ firmitatem retinendam adiuuant, disseritur.

DVo in hodierna sancti Euangelij lectione insignia miracula S. Matthæus describit: alterum, quo Dominus mulierem duodecim annis sanguinis fluxum patientem sanauit: alterum, quo mortuam puellam, duodecim annos natam, ad vitam reuocauit. Quæ quidem miracula mysterio non vacant. Puella námque mortua Gentilem populum designat, qui (quod attinet ad diuini numinis cultum) mortuus erat, vtpote qui lapidum atque lignorũ superstitioni addictus, omni sensu & motu pietatis ac veræ religionis,

Gentilis populus mortuus.

religionis, vt mortuus, carebat. Mulier verò sanguinis fluxum patiens, Iudæorum populum adumbrat, qui veri Dei cognitionem habens, fluxum tamen sanguinis patiebatur: hoc est, cupiditatum atque desideriorum suorum turbidos motus cohibere nolebat. *Per Legem*, vt Apostolus ait, *cognitio peccati, non autem gratia ad cohibitionem peccati.* Ad vtriusque ergo gentis salutem Dei Filius in mundum venit, vt & Gentilem populum ad vitam reuocaret, & Iudaicum cupiditati seruientem gratiæ suæ beneficio sanaret. Quod enim Lex præstare non poterat, diuini Spiritus gratia præstitit. De vtroque ergo miraculo in præsenti concione dicturi, cælestem opem, sacratissimæ virginis interuentu, suppliciter imploremus.

Roman. 3.

Christus cur venerit in mundum.

AVE MARIA.

LOQVENTE *Iesu ad turbas, ecce Princeps vnus accessit & adorauit eum, dicens: Domine filia mea modò defuncta est,* &c. Marcus ait, hunc Principem non solùm adorasse Dominũ, sed etiam ad pedes eius prouolutũ fuisse. Summũ certè hoc reuerentiæ genus exstitit. Et quidem Dominus (si externã faciem spectes) humilis personæ speciem atque habitum referebat, & populi opinione fabri filius putabatur, atque eo tẽpore à Ioannis discipulis & Pharisæis accusabatur, quòd cum publicanis & peccatoribus ederet ac biberet: nihilominus tamen hic Synagogę Princeps non in domo, aut in angulis sedentẽ, sed præsente & spectante populo, se pedibus eius prosternit, illumque adorat: quod genus reuerẽtiæ ne ipsis quidem mundi Regibus atque Imperatoribus exhibetur. Quid igitur hunc Principem sic humiliauit, sic ad Christi pedes abiecit? Non dubium, quin externa illa calamitas qua premebatur: qua si caruisset, nunquam se ad Christi pedes prostrauisset. Hic est, Auditores, primus calamitatum fructus. Omnia corporis incommoda non minùs animæ saluti conferunt, quàm corporis morbis medicorum pharmaca, quamuis acerba sint & amara. Diuitibus huius seculi Apostolus prudẽter præcipit, non sublimè sapere: vtpote qui intelligeret, homines secundis rebus insolescere, afflictis humiliari, & cum Propheta dicere: *Bonum mihi quia humiliasti me.* Præstat etiam hoc calamitatis afflictio, quòd non solùm hominem humiliat, sed etiam mentem ad Deum eleuat, atque ad eius opem implorandã excitat. Vbi enim deest humanum præsidium, tum vel maximè homines ad diuina auxilia confugiunt. *In tribulatione*, inquit Propheta, *sua manè consurgent ad me: venite & reuertamur ad Dominum.* Hoc item

Christus humilis.

1. Tim. 6.

Psal. 118.

Osee 6.

Principis huius exemplo discimus, qui nunquam fortasse Do-
mini Saluatoris opem implorasset, nisi ad hoc illum filiæ
morbus impulisset. Est & alius calamitatũ fructus, nempe pec-
catorum remissio. Quod enim malum carnis indulgentia
Gregorius. perit, eiusdem carnis afflictio delet. *Caro*, inquit ille, *læta*
traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam. Idem etiam Sa
Tobiæ 3. Tobiæ iunioris vxor, in oratione sua his verbis testatur: *Be-*
dictum est nomen tuum Deus patrum nostrorum: qui cùm ira-
tus fueris, misericordiam facis, & in tribulatione peccata
1. Cor. 10. *mittis his qui inuocant te.* Rectè ait Apostolus: *Fidelis De*
qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed fa
cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere. Cùm, inq
1. Cor. 12. alibi, *infirmor, tunc fortior sum.* Est & signum probatæ vir-
tis, & diuinæ prædestinationis. Quo nomine idem Apost
Rom. 5. *primùm quidem in Deo, deinde in Christo, postremò in tri-*
lationibus se gloriari ait. Res sanè mira, in tribulatione,
Eccle. 2. Deum, quem fauentem habeas, gloriari. In igne probatur
rum & argentum, homines verò receptibiles fiunt in cami
humiliationis. Quæ cùm ita sint; quis non libenti animo ca
mitatum angustias perferat, quas tantorum bonorum ca
esse intelligit? Ob corporis valetudinem amara perferim
cur non potiùs ob animæ salutem incommoda patienter p
ferimus? Exoratus ergo Principis oratione Dominus, quam
absẽns salutem ægris, & vitam mortuis reddere potuisset, vt p
tenti tamen morem gereret, & infirmam eius fidẽ robora
cum eo proficiscitur, magna populi caterua, quæ ibi aderat,
lum comitante. Hîc meritò quæri potest, cur Dominus hu
Principi corpoream præsentiam ad salutem filiæ reddend
flagitanti concessit, & cum eo perrexit; quã tamen Regulo
mili ardore eandem petenti, non modò non exhibuit, sed illu
Ioan. 4. etiã grauiter obiurgauit. Hæc quæstio in eo Euangelio de R
gulo explicata est. Regulus simplicibus verbis Domini præse
tiam postulauit: at hic Princeps verbis etiam hanc tantam
cordis & corporis humilitatem adiecit, quam paulò antè vi
stis. De huiusmodi autẽ oratione, quæ humilitatis virtute co
Psal. 101. mendatur, Propheta ait. *Respexit in orationem humilium,*
non spreuit preces eorum. Hac ergo de causa nihil mirum
Dominus se totum Principis huius voluntati tradidit, & cum
eo perrexit, & in via etiam in fide vacillantem confirmauit, qui
tamen cum Regulo ire detrectauit, & acerba illũ oratione co
ripuit. Cæterùm dum pergit ad mortuam puellam suscitã
mulier annis duodecim fluxu sanguinis laborans, quæ omnem

substa

ſubſtantiam ſuam in medicos erogauerat, nec quidquam profecerat, ab eo mirabili ratione ſanata eſt. Hæc mulier partim celeberrima miraculorũ Domini fama permota, partim etiam diuini Spiritus beneficio illuminata, tantam de virtute & potentia Domini fidem conceperat, vt abſque vlla mentis hæſitatione intra ſe diceret: *Si tetigero tãtùm veſtimẽtũ eius ſalua ero.* Prudens mulier, vbi humanum ſibi defuiſſe videt auxilium, ad cœleſtem Medicum, fidei præſidio inſtructa & illuminata, confugit. Quo minùs mirandum eſt, Auditores, ſi, quos Dominus ad ſe trahere cupit, variis in ſeculo calamitatib⁹ exagitari permittit: vt ab ipſo ſeculo vexati atque repulſi ad auctorem ſalutis, & vnicum malorum omnium perfugium redeant. Sæpe enim accidere videmus, vt qui naufragium faciunt, fluctibus ipſis, quibus alij intereũt, ad tuta littora impellantur, eáque res illis saluti ſit, quæ aliis interitum adfert. Hæc igitur mulier hæmorrhoiſſa, à medicis deſperata, atque omni humana ope deſtituta, ad verę ſalutis auctorem, fidei lumine inſtructa, cõfugit. Hoc autem incurabili ſanguinis morbo eos intelligi arbitror, qui ſic peccatis aſſueti ſunt, vt diuturna conſuetudine in naturam quodammodo tranſeuntes, variorum deſideriorũ, & cupiditatum fluxum patiãtur, quas vix cohibere poſſunt. Imò ſunt quidam, qui eò improbitatis deuenerunt, vt dicant, ſe non poſſe cupiditatibus ſuis imperare, eáſque rationis imperio cohibere. *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.* Boni ſe moderantur, mali cupiditatibus ſuis indulgẽt. Hac ratione cernere licet vſque adeò impudico amore ſauciatos, vt apertè fateantur, ſe nullo modo hunc turpem animi motum à ſe excutere poſſe. Sũt rurſus alij, qui viduarum & pupillorum bona fraudibus diripiũt: qui propoſita æterni ignis pœna, nullo modo ſibi imperare poſſunt, atq; ita in certo damnationis ſtatu & viuunt, & vitam finiunt. Hi ſunt autem, quos Dominus ſub meretricis impudentiſſimæ nomine apud Prophetam caſtigat, his verbis: *Leua*, inquit, *oculos tuos in directum, & vide vbi nunc proſtrata ſis:* hoc eſt, quo te genere flagitiorum non contaminaueris.

Calamitates proſunt.

Simile.

Conſuetudo peccandi.

Eccle. 18.

Bonorum & malorũ diſcrimen.

Hierem. 3.

Expoſuimus morbi huius vim atque rationẽ, nunc medicinam quæramus; quam certè nulla humana vis, nulla ars præſtare poteſt: ſicut nec huius quidem feminæ morbum vlla potuit hominum medicina curare. Vera eſt enim, maximéque tremenda illa D. Bernardi ſententia: *Poſtquam aliquod vitium in conſuetudinem verſum eſt, niſi ineffabili diuina gratia miraculo, ei non reſiſtitur.* Cæterùm vt hæc mulier huius morbi pe-

Bernardus

riculum nobis indicauit: ita eadem remedium ostendit. Quódnam illud est? *Si tetigero*, inquit, *vestimentũ eius, salua ero*. Christi vestis deuotione, fiducia, religione, tangenda erit, si saluus esse velis. Quæ est vestis Christi? Ea nimirum, qua sacratissimum corpus Christi tegitur. In sacra enim hostia verũ corpus Christi latet, in quod panis substantia versa est: quod tamen candore illo, hoc est, panis imagine atque specie ita tegitur ac velatur, vt Propheticum illud dicere possimus: *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israël, Saluator*. Inter mirabiles Sacramenti huius virtutes & effectus præcipuè numeratur fomitis mitigatio, à quo fomite omnes praue cupiditates, tãquã fluxus sanguinis deriuantur, quæ tamen huius Sacramẽti virtute restringũtur. At Dominus, vt Marcus refert, *Quis*, inquit, *me tetigit*? Cui Petrus, *Præceptor, turbæ te comprimunt*, &c. Dominus apertè docuit, nequaquam se ab illis tangi, qui solo corpore ipsum tangunt (quales hæ turbæ erant, quæ Dominum sequebantur) ab illis autem verè & salutariter tangi, qui non solùm corpore sed spiritu atque pietate illum tangunt, etiamsi solã vestis eius fimbriã contingant. Multi premunt corpus Domini, non tangunt. Ille tangere dicitur, qui eius virtutem participat, quippe qui religiosè, qui fidenter cum hac femina Dominicũ corpus tangit. Multi multum orant labiis, non corde. De his ait Dominus: *Populus me labiis honorat, cor autem eorum longè est à me*. Tales ergo orationes Dominus non exaudit, qui tamen ad Mosen sine strepitu ore cordis precantem ait: *Quid clamas ad me?* Ideóque Saluator in Euãgelio orandi modum discipulis præscribit: *Orantes*, inquit, *nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt: putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur*. Nemo tamẽ existimet, his verbis longã orationem damnari, cùm & ipse pernoctaret in oratione Dei, & sancti quique viri tandiu frequenter orabant, vt idem crebrò cum nocte iungerent. Eos iure reprehendimus, qui solo strepitu labiorum contenti, sine vlla mente atque reuerentia sacra verba proferunt. Tales non tangunt, verùm magis offendunt diuinam Maiestatem. Quando oramus, loquimur cum Deo, quem attentè ac reuerẽter alloqui tenemur. Quid superest, Auditores? nempe illud Apostoli: *Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente*, hoc est, cùm Deo psallimus, non auium ritu, sed hominum more psallamus: id versamus in corde, quod ore proferimus: non vt ore versamus diuina, corde autem humana tractamus. Sic enim fiet, vt feminæ huius exemplo Dominum spiritu magis quàm corpore tangentes, virtutis eius participes effici mereamur.

Esa. 45.
Eucharistiæ virtus.
Christum qui tangunt.
Esa. 29.
Exod. 14.
Sic Anna orabat.
1. Reg. 1.
Matth. 6.
Lucæ 6.
1. Cor. 14.

teamur. Cùm ergo religiosa femina pium illud furtum nequaquam Dominum latere perspexisset: magno timore perculsa, quod factum fuerat, in omnium conspectu humiliter propalauit. Ad hoc Saluator noster è cælo venit in terrã, ad hoc humanitatis nostræ vestem induit, vt homines omnium bonorum atque diuitiarum suarum participes faceret. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Hic, ô mulier, qui sanitatem corpori tuo præstitit, menti tuæ fidei lumen infudit, téque non solũ à corporis, sed ab infidelitatis etiã morbo clementer eripuit. Verebatur hæc mulier piorum more. Itaque pius Dominus metum piæ mulieri adimit, blandissimo eam filiæ nomine cõpellans. *Confide filia, fides tua te saluã fecit.* Credidisti te solo vestis meæ contactu saluté esse consecuturam: tetigisti, & salutem assecuta es. Quo in loco animaduertere licet, Auditores, diuina munera atque dona pro fidei mensura hominibus impartiri. *Quantum*, inquit Cyprianus, *vas fidei capacius afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus.* Dei enim misericordia velut inexhaustus quidam bonorum omniũ fons est, à quo plus hauriet, qui capacius fidei vas ad illum adfert. Itaque illa Domini promissio, *Omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit:* de huiusmodi fide, quæ hanc adeò amplam de diuina misericordia fiduciam concipit, intelligenda est. Sed operæpretium erit, hoc ipsum exẽplis illustrare. Ad hoc autem triplicem vobis fidem ante oculos ponam: nempe huius Principis, cuius filiam Dominus ad vitam reuocauit; & huius item piæ mulieris atque Centurionis. Princeps credidit Dominum sacræ manus suæ contactu salutem ac vitam filiæ redditurum: at hæc pia mulier longiùs in fide progressa, solo Dominicæ vestis contactu salutem se esse adeptturam credidit. Altiùs tamen in hac ipsa fide Centurio, quamuis Gentilis, processerat, qui sine Dominicæ manus aut vestis contactu, solo iussu & imperio, salutem ægrotanti seruo credidit posse reddi. Cuius fidem Saluator demiratus, sequenti se turbæ dixit: *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël.* His tribus exemplis vim fidei admirabilem intelligere poteritis: quæ tantum à Deo impetrat, quantum fidit, quantúmque de immẽsa eius bonitate sibi pollicetur. His igitur exemplis, Auditores, admoniti, in quouis morbo, aut tentatione, aut calamitate, ad opem Domini confugiamus, amplissimum fidei sinum ante illũ expãdentes. Pro mensura fidei atque spei, munera sua fidelibus donat. Quod Propheta intelligens, Dominũ precatur his verbis: *Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodũ*

Esa. 53.

Pij timent.

Vide quid fecerit hæc mulier ob gratitudinem, apud Euseb. lib. 7. cap. 14.

Cyprian ad Don. in epist.

Deut. 11.

Matth. 8.

Psal 32.

speraumus in te. Huic tamen spei, Auditores, pietas & iustitia copulanda est, sicut idem Propheta monet, cùm ait: *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino. Respicite*, ait Ecclesiasticus, *filij nationes: quis sperauit in Domino, & confusus est? aut quis permansit in mãdatis eius, & derelictus ab eo est?* Idémque paulò antè: *Crede Deo, & recuperabit te; & dirige viam tuam, & spera in illum.* Viam igitur nostram ante omnia dirigere studeamus, & fidei atque spei sinum, quantum poterimus, expandamus, certi de immensa Domini benignitate, nunquam frustra nos in eo spem nostram collocaturos.

Psal. 4. *Eccles. 20.* *Via qualiter dirigenda.*

Cùm ergo Dominus in Principis domum deuenisset, & lamẽtantem ac tumultuãtem familiam compescuisset, non permisit quemquam secum intrare, nisi tres amantissimos discipulos, Petrum, Iacobum, & Ioannem, patrémque & matrem puellæ; apprehensáque defunctæ manu, *Puella*, inquit, *surge.* Quæ immensa huius diuini verbi virtute sic à morte ad vitã reuocata est, quasi à somno excitata fuisset. Parentibus verò hoc miraculo attonitis, huius operis silentium indixit, atque vt puellam allato cibo reficerent, præcepit. Crediderant puellam mortuam, & iam excitatam parentes, quod tamen discipuli in suo Magistro credere non poterant, difficulter resurrectionem credebãt. Aliud hîc quoque latet mysterium: vt, facta peccatorum confessione, statim ad Eucharistiæ sacramentum properemus. Hæc duo Sacramẽta (vt alia prætermittamus) Saluator instituit: quorum alterum mortuorum, alterum viuorum est. Confessionis enim sacramentum, quod verè mortifera peccata remittit (dicente Domino: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*) mortuas sæpe in peccato animas ad vitam reuocat, quam quidem vitam hic diuinus cibus nutrit, alit, atque præseruat. Hic panis cor hominis confirmat. Vnde tanta infirmitas nostra, nisi quòd tamdiu ab hoc cælesti pane abstinemus?

Apostoli difficulter credunt. *Ioan. 20.* *Infirmitas vnde veniat.*

TRACTATIO THEMATIS.

CONFIDE *filia, fides tua te saluam fecit.* In his verbis Domini, latet talis thesaurus, quo vita nostra, fide, spe, ac diuinæ miserationis fiducia munita, in hoc mortali corpore torpericulis & miseriis obnoxio, sub vmbra alarum Domini incolumis & tuta manet. Et quidem hoc in loco non de mortua agimus fide, sed de ea quæ per dilectionem operatur, quæque non solùm charitate informatur, sed etiam clarissimis Spiritus sancti donis, ac præcipuè intellectus & sapientiæ dono perficitur & illa

& illuminatur: quoniam altero fidei myſteria penetrat, altero mirabilem eorūdem ſuauitatem atque ſaporem deguſtat. Hæc igitur fides his donis inſtructa & illuminata, vt omniū aliarum virtutum radix & fundamentum eſt, ita fiduciæ virtutem, & natura & nomine ſibi coniunctam, præcipuè parit. Vt enim fidei atque fiduciæ nomen, ita vtriuſque vis atque natura coniuncta eſt. Eſt autem fiducia ſpes roborata, ex aliqua firma opinione procedens. Rectè ait D. Bernardus: *Germana fidei & ſpei cognatio eſt, vt quod illa futurum credit, hæc illa ſibi incipiat ſperare futurum.* Hanc autem vtriuſque virtutis huius cognationem non obſcurè exponit Apoſtolus, cùm ait: *Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis in ſpe, & virtute Spiritus ſancti.* Illa enim incenſa atque inflammata fides, fiduciam & ſpem viuam parit, & in ea nos abundare facit. Spes igitur huiuſmodi fiduciam confirmata, mirabiles in anima iuſti fructus parit, è quibus duos tantùm hoc loco referamus. Primùm enim ſpes hæc efficaciſſimum inſtrumentum eſt ad opem & miſericordiam Domini impetrandam. Ad cuius rei fidem, non vnum aut alterum locum, ſed omnes penè Dauidicos Pſalmos offerre poſſem. Vix enim vllus reperitur, qui non virtutis huius fructus, laudes, & exempla contineat. *In te*, inquit, *ſperauerunt Patres noſtri, ſperauerunt, liberaſti eos. Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt: in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi.* Quid verò Eſaias? quàm multis modis hanc virtutem commendauit? *Ecce*, ait, *Deus noſter iſte, exſpectauimus eum, & ſaluauit nos: iſte Dominus, ſuſtinuimus eum, exultabimus & lætabimur in ſalutari eius.* Hæc eſt illa ſpes, *quæ non confundit*, hoc eſt, quæ nunquam fruſtra & inaniter ſperat. Hæc illa ſpes, quæ nunquam à conſpectu Domini vacua recedit, eodem pollicente atque dicente: *Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis.* Charitas eſt principium merendi: ſic hæc ſpes radix & fundamentum eſt impetrandi. Nullum in charitate bonum opus edimus, in quo non mereamur: nihil rurſus nobis ſalutare, huiuſmodi ſpe fulti, à Deo petimus, quod non impetremus, etiamſi ab eo, vt montes transferat, poſtulemus. Colligimus, vt ad precādum acceſſuri, hac ſpe atque fiducia diuinæ miſerationis, preces noſtras muniendas curemus. Sic enim fiet, vt nunquam vacui ab oratione recedamus. Hic primus ſpei fructus. Eſt & alter, qui incredibilem pio homini tranquillitatē & pacem ab omni terrore immunem præſtat. Quia enim hæc ſpes Dominū ad ſe trahit, *qui* (vt ait Propheta) *protector eſt omnium ſperantium in ſe*: idcirco nihil habet

Fiducia quid.

Roma. 15.

Spei fructus duo.

Pſal. 21.

Eſa. 25.

Roman. 5.

Marc. 11.

Oratio quomodo ornāda ſit.

Pſal. 17

habet pius homo, cur trepidare debeat, si hanc spem in Deo fixam & constitutam habeat. Habet Deum patronũ ac curatorem. *Omnem*, inquit Petrus, *solicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis*. O aurea verba! ô magnifica promissa, cunctis mundi opibus anteferenda! Cur ille solicitus esse debeat, qui cum Propheta dicere potest: *Ego autem mendicus sum & pauper, Dominus solicitus est mei*, hoc est, pro me solicitam curam gerit? Hinc sequitur summa pax & tranquillitas. Si ergo ad hanc tranquillitatem omnium mortalium vota atque desideria adspirant, quantus spei huius thesaurus est, quæ nos ad hanc tantam felicitatem prouehit atque perducit? Moysi & Aaroni vitio versum est, quòd Dominum apud aquas contradictionis non sanctificauerint: quia videlicet non vsque adeò plenam & perfectam fiduciam de eius paterna cura & prouidentia eo tempore habuerunt. Si igitur qui Deo diffidit, Deum non sanctificat: ergo quisquis illi fidit, ipsum planè honorat atque sanctificat, ideoque multis ab eo donis cumulatur & honoratur. Grauiter autem Dominus & molestè fert, vel paululum de immensa bonitate & prouidentia sua hæsitari. Annon piissimum patrem filius offenderet, qui tristis semper & mœrens incederet, quòd dubitaret, an necessaria sibi ad vitæ vsum præbere vellet, cùm maximè posset? Talem igitur pater ipse pia increpatione castigat, his verbis: *Et nunc quare mœrore contraheris? Nunquid Rex non est tibi, aut consiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor vt parturientem?* Regis est, subditos fidei suæ commissos virtute tueri: consiliarij verò, ratione & consilio iuuare. Rectè ait Propheta: *Ecce Deus Saluator meus, fiducialiter agam, & non timebo.*

1. Petr. 5. — Psal. 39. — Num. 20. — Simile. — Mich. 4. — Esaia 12.

Quisquis immodico timore fluctuat & angitur, nondum fiducialiter agit. Est autem oratio præcipuum instrumentum quo hæc virtus acquiretur. Peccata autem detestanda atque fugienda sunt. Sic olim sancti Patres spem suam in Deum fulciebant: testis Machabæus suo præclaro facto.

1. Mach. 15.

***

DOMI-

DOMINICA XXIIII. POST PENTECOSTEN, CONCIO; IN QVA post Euangelicæ lectionis explanationem, de excidio Hierosolymitano, propter peccata populi immisso, & de magnitudine diuinæ iustitiæ, & peccati grauitate atque malitia agitur.

THEMA. *Cùm videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto: qui legit, intelligat.* Matth. 24.

MATERIA huius Euangelicæ lectionis, doloris ac timoris est plenissima. Agitur in ea de duobus maximis iudiciis, quæ in diuinis literis continentur: nempe de communi totius mundi, & de singulari Iudaici populi iudicio, quo videlicet Dominus dilectissimum populum, quem ab initio fouerat atque dilexerat, & miris beneficiis ornauerat, Romanorum armis vastandum ac demoliendum tradidit. Ostendit Dominus item, quantùm peccatum detestetur. Ob peccatum, factum est diluuium generale, quo Deus vniuersum mundum à se recèns conditum, aquarum inundatione deleuit. Ob peccatum, Iudææ & Hierosolymæ facta est vastatio. In extremo iudicio omnium seculorum causæ examinandæ, & vel sempiternæ felicitatis, vel sempiternæ vltionis in homines sententia ferenda est. Quia verò vastatio illa Hierosolymitana, velut vmbra quædam & imago futuri iudicij extitit, similiáque ferè signa vtriusque excidij referuntur, ideò de vtroque simul Dominus agit. Huius verò doctrinæ tradendæ hæc fuit occasio. Cùm Dominus è templo egrederetur, accesserunt discipuli eius, vt ostenderent ei ædificationes templi. Quibus Dominus, futurorũ præscius, ait: *Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.* Quia enim discipuli templum illud perpetuò duraturum arbitrabãtur, nec vnquam nisi cum ipso mundo ruiturum, ideò de vtraque re simul quærunt, simulque Dominus vtriusque ruinæ atque iudicij signa prodit. De futuri iudicij signis, quod omnes speramus, quódque maximè nostra scire refert, in Dominica prima Aduentus disseruimus: quia verò eius vtilitas, non eo tempore solùm, sed in omnibus penè concionibus tractari meritò debet, ideò & hîc de eo breuiter obitérque tractabitur. Vt autem hoc vtiliter & reli

Romani Iudæos expugnauerunt.

vtiliter & religiosè efficere possimus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Cùm videbitis abominationem desolationis, quæ dicta est, &c. Cùm hìc dicat Dominus, Qui legit, intelligat: attentos nos facit, magna in hac desolatione mysteria latere significans, quæ non est huius temporis atque instituti persequi. Solùm id assumo, quod non segniter Dominus animaduerti voluit, nĕpe vastationem ciuitatis & templi post mortem Christi, à Daniele Propheta prænunciatã, quæ est ineluctabile argumentũ aduétus Christi. Si enim post eius mortẽ ciuitas illa desolãda erat, & desolatio perpetuò duratura prædicatur; sequitur ergo, Messiam non modò venisse, sed etiam pro mundi salute immolatũ fuisse. Quia igitur salutis & vitæ nostræ fundamentum fides in Christum est, quæ hoc argumento satis probatur, ideò Dominus ait: *Cùm videritis abominationem*, &c. hoc est: Quisquis desolationem hanc viderit, manifestè colligat venisse ac passum esse iam Christum, post cuius aduentum & mortem abominatio desolationis consecutura erat. Vocat autem illam, *Abominationem:* quoniam ab idololatris & abominandis hominibus ciuitas vastata est, nempe ab exercitu Romanorũ. Neque enim ea Resp. delenda erat, donec ea mundo pareret Saluatorẽ. Ideò neque dux de femore Iuda defuturus erat, neque templum illud ruiturum: quæ duo perfectam Reip. formam constituunt. Deinde Dominus magnitudinem huius vastationis exponere incipit. *Tunc*, inquit, *qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.* Tanta enim erit vis atque potentia inimicorum, vt nulli, nisi per fugam, pateat aditus ad salutem. *Fugiant ad montes*, vt inter feras tuti lateãt; quibus inter homines nullus erit tutus latẽdi locus. Exaggerat deinde fugæ necessitatem, cùm ait: *Qui in tecto est, non descendat aliquid tollere de domo sua: & qui in agro*, &c. Tãta enim erit fugiendi velocitas atque necessitas, vt relictis omnibus, vitæ suæ quisque consulat. Quid igitur qui fugere non poterunt? Horum miserrimam conditionem protinus exponit, cùm ait: *Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus:* quæ videlicet dũ vel ventrẽ gestant, vel pueros lactant, ad fugiẽdum minùs expeditæ sunt. Atque ad hoc ipsum facit, quod deinde sequitur: *Orate ne fuga vestra fiat hyeme, vel in Sabbatho*, quando nõ licet longũ iter conficere. His omnibus modis vastationis huius magnitudinẽ & ineluctabile malũ Dominus signifi-

Daniel. 9.

Abominatio quæ.

Genes. 49.

significauit, sicut & alibi ait: *Sunt enim hi dies vltionis, vt impleãtur Scripturæ.* Rursúmque: *Erit enim ira magna populo huic, & captiui ducentur in omnes gentes, & Hierusalem calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora nationum.* Hæc de singulari iudicio populi sui Dominus dixit: quæ sequuntur, ad vniuersale iudicium pertinere videntur. Inter ea, quæ ad Christianam vitam requiruntur, timor Domini, & peccati odium præcipuè numerãtur. Odium enim peccati, reuocat à malo: timor verò Domini non solùm reuocat à malo, sed incitat etiam ad bonum, iuxta quod scriptum est: *Qui timet Deum, nihil negligit.* Ideóque danda opera nobis est, vt hos duos affectus altissimè animo nostro imprimamus. Vterque autem hic affectus ex eodem fonte manat: hoc est, ex consideratione diuinorum iudiciorum & suppliciorum, quibus Dominus sceleratos homines afficere solet. Hæc enim & quàm sit diuina iustitia formidabilis, & peccati malitia exsecrabilis, facilè declarant. Inter omnia autem supplicia, quæ post diluuium propter peccata immissa sunt, maximum huius Hierosolymitanæ desolationis supplicium exstitit.

Lucæ 21.
Ibidem.
Christiana vita quibus cõstet.
Eccles. 33.

Atque vt rem omnem altiùs à prima origine repetamus, tria dicẽda sunt. Primò quòd gratis Dominus populũ Hebræorum elegerit in hæreditatem. Deinde, quàm magnificè illum exaltauerit. Postremò (vbi peccatum intercessit) quàm grauiter & seuerè de illo supplicium sumpserit. Per quæ omnia facile erit, non solũ diuinæ iustitiæ, sed etiam diuinæ misericordiæ magnitudinem intueri. Est enim Deus diues in misericordia, diues item in iustitia, est magnus in miserendo, est magnus in vindicando: magnus in amore hominum, magnus in odio vitiorum. Hebręorum populum, quod primũ est, ex tot gẽtibus, tot nationibus, in populum ac peculium sibi Dominus elegit. *Pars autem Domini populus eius*, ait Moses, *Iacob funiculus hæreditatis eius.* Videmus tam electionem quàm vocationẽ Dei ex sola eius gratia & misericordia, non ex meritis hominum, proficisci. *Elegit nos Dominus*, inquit Apostolus, *ante mundi cõstitutionem in Christo, vt essemus sancti & immaculati coram ipso.* In quibus verbis apertè videmus ordinem & causam electionis diuinæ. Non enim quia præuidit homines sanctos futuros, ideò elegit eos: sed ipse potiùs elegit, quos sanctos faceret & immaculatos. In populo illo Israëlitico nihil erat gratiæ, siue naturæ, siue fortunæ, quod Dominũ ad huius tãtæ electionis gratiam excitare potuisset. Magna fuit ruditas & ignorantia in illo populo: quod videre est, quando vitulũ conflauerunt,

Deut. 2.
Ephes. 1.
Electio an ex gratia Dei.
Deut. 10.
Iudæorum populus rudis.

Exod. 32. & eum vt Deum adorauerunt. Iam videndum quàm potenter hunc populum Dominus amplificauit, quem tam gratiosè elegit. Eduxit de Ægyptiaca seruitute; occidit propter eum primogenita Ægyptiorum; aperuit mare, & perduxit eum; pluit manna illis de cælo. Vbi in terram promissionis ventum, perpetem Iordanis meatum in fontem retorsit, vt siccis vestigiis per arentem alueum populus transiret. Dedit eis legē & disciplinā, eamque digito suo scribere dignatus est: qua iter illis ad immortalitatem, & beatam vitam pateret. *Non*, inquit ille, *fecit taliter omni nationi*. Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expādit alas suas, & assumpsit eos, & portauit in humeris suis. Quibus igitur aliis verbis paternam erga hunc populum prouidentiam potuit Dominus significare, quàm his, quibus testatur se eos tanquam pupillam oculi custodisse! Quid enim diligentiùs, quàm pupillam oculi, custodimus? Quid illud etiam, quòd instar aquilæ alas suas expandit, & portauit in humeris suis? Iam verò quis delicias verborum, quibus eos Dominus compellat, explicare queat? Sed & templum suum, vbi adorabatur, apud eos esse voluit. Hic sedem suam, vbi illi sacrificia immolabātur, esse voluit. Liquet quàm magnificè populum hunc Dominus exaltauerit, & quàm magnificis muneribus & ciuitatem illam, & templum ornauerit. Nūc tertiò videamus, quò hæc tanta sublimitas (vbi peccatum intercessit) collapsa sit: vt hac ratione intelligamus, quò nos eleuet gratia, quò culpa deiiciat. Cùm in hāc igitur dignitatem populus euectus esset, & bonis omnibus circūflueret, in illud ingratitudinis & impietatis malum incidit, de quo Propheta dicit: *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus. Dereliquit Deum factorem suum*, &c. *Iuxta me* (improperat Dominus) *discooperuisti & suscepisti adulterum*. Quàm autem indignè hoc tulerit Dominus, videre est in Cantico Mosis: *Ignis accensus est in furore meo*. Quot verba, tot fulmina. In libro Regum legimus: *Quamobrem iratus vehementer Dominus Israëli, abstulit eos à conspectu suo*. Captiuitas postrema nūquā reuocata fuit. Hæc est virgo Israel, quæ cecidit, quæ sola ferè in mundo fidei veritatem aliquando seruauerat. *Remansit verò tribus Iuda sola. Et nec ipsa pacta Domini custodiuit, sed in via Israëlis ambulauit: dixitque Dominus: Etiam Iudam auferā à facie mea*. Vbi verò gens ipsa degenerauit, & à vera pietate defecit, illam à conspectu suo proiecit. En, Auditores, quantum sit peccati virus atque malitia, quod tantam amicitiam in tantam inimicitiam commutauit.

Exod. 12. & 16.

Iosu. 3. 6.

Deut. 4.

Deut. 32.

Felicitas quibus exitio fuit.

Deut. 32.

Esa. 57.

Deut. 32.

4. Reg. 17.

Hierem. 3.

Iudæi planè abiecti.

Quid enim hoc animo, & his verbis acerbius? *Venerunt ergo Chaldæi, & obsederunt ciuitatem, & diruta est ciuitas, & viri bellatores fugerunt, & comprehensus est Sedechias Rex, adductúsque ad Regem Babylonis*, &c. Animaduertite, quæso, hoc exemplo, quanta sit diuinæ iustitiæ magnitudo, & quanta item peccati grauitas. Ecce ex quàm faustis & felicibus initiis, quàm infelix exitus (vbi peccatum intercessit) consecutus est. Verùm hæc ipsa, quæ diximus, quamlibet maxima videantur, leuia tamen sunt præ iis quæ sequuntur. Hæc enim captiuitas Babylonica septuaginta annorum fuit. Ea verò quæ per Romanos facta est (de qua in præsenti Euangelio Dominus agit) per mille iam & quingentos annos, & eo plus durat, neque vnquam reuocata est. En quo odio Dominus prosequitur impios, dum, quos ipse plantauit, euellit; & quos vsque ad sidera eleuauerat, vsque ad inferos detraxit. Relictis incredulis, ad nos ipsos veniamus. Hæc enim Philosophia non ad eos modò, sed ad nos quoque multò magis pertinet: vtpote qui longè maiora beneficia, quàm illi, per Christum recipimus. Quantũ enim à Lege distat Euangelium, tantum beneficia nostra illorum beneficia superant. Illorum enim beneficia magna ex parte ad corporis vsum pertinebant: nostra verò ad mentis cultum & ornatum spectant. Illa ad vitam præsentem, quæ temporaria est: nostra ad illam vitam conferunt quæ sempiterna est. Quæ cùm ita sint, quid hîc aliud consequi necesse est, nisi quod Apostolus admonet, cùm ait: *Propterea abundantiùs oportet seruare nos ea quæ audiuimus, ne fortè pereffluamus?* Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia iustam accipit mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Si enim diuinorum beneficiorum abusus, & ingratitudo talem illi populo cladem peperit: quid nobis ab eodem iudice Deo timendum est, qui longè plura & maiora recepimus, nec illis tamen meliores redditi sumus? Vide & expende, tempora nostra confer cum prioribus. *Quid*, inquit D. Gregorius, *patientur quos reprobat, si aliter cruciat quos amat? Illi erant dilecti, nos contrà* (vt Apostolus ait) *naturâ filij iræ.* Si Christianorum huius ætatis mores & vitam diligenter consideres, eamque cum fide quam profitemur contuleris: non poteris, si vel micam cerebri habeas, non vehemẽter admirari, cùm tantum inter vitæ regulam & vitam ipsam interesse videas. Deus bonos summo amore prosequitur, at malos pari odio detestatur. Proprium boni viri est, vt quò maiori bonitate pollet, eò maiori dilectione & virtutem diligat, & ice

Hierem. Cap. 29.

Beneficia Dei in nos

Hebr. 2.

Ingratitudo quid mali pariat.

Gregorius.

Ephes. 2.

Boni viri officium.

lus odiat: ita consequens est, vt infinita illa & summa bonitas, summa quidem dilectione bonos, summo verò odio malos prosequatur. Si leones, si tigrides, si serpentes in benefactores suos & obsequentes grati sunt & beneuoli: quomodo hanc tantam virtutem Deo adimemus, qui virtutum omnium fons & origo est, & à quo omnis creaturarum perfectio manat? *Non est*, inquit ille Patriarcha Abraham, *tuum, qui iudicas omnem terram, vt iustum cum impio perdas.* Christus verus Angelus est, à Deo Patre in terram missus, vt hominibus nō solùm Euangelij gratiam (quæ diuinæ misericordiæ magnitudinem declarat) sed eius etiam erga rebelles iustitiam annunciaret, de qua Apostolus ait: *Reuelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem & iniustitiam hominum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent.* hoc est, qui veritatem, quæ illos dirigere in vita posset, vinctam atque captiuam tenent, nec iuxta illius præscriptionem vitam dirigunt. Dies autem extremi generalis iudicij, non solùm ad omnium bonorum gloriam, sed etiam ad improborum ignominiam destinata est. Quia enim boni viri gloriam hominum propter Dei gloriam contempserunt, & contemptibiles frequenter atque stulti propter Christum æstimari voluerunt, exigit planè diuinæ iustitiæ æquitas, vt qui terrenam gloriam propter illum contempserunt, vniuerso mortalium genere in illo velut totius mundi theatro præsente, pro vita bene acta, & pro bene gesta gloriam & honorem, & æternæ felicitatis præmium recipiant. *Quod videntes impij* (vt est in libro Sapientiæ) *turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subita illa & insperata salute, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes*, &c. Non modò ad gloriam bonorum, sed & malorum etiam ignominiam dies illa constituta est: qui cùm Pharisæorum more gloriam hominum dilexerint magis quàm Dei, & metu mundi, atque humano pudore ducti, pietatis & religionis opera neq; exerint; dignum est, vt hoc publicum dedecus illo die subeant, & eorum scelera & turpitudines in conspectu seculorum omnium euulgentur. Tum implebitur illud vaticinium Domini: *Qui me erubuerit & sermones meos, & Filius hominis erubescet eum, cùm venerit in maiestate sua.* Hunc ergo Christus erubescet, cùm venerit in maiestate sua, hoc est, Quia tu inglorium duxisti apparere seruum meum, ego inglorium esse ducam tam vilis serui Dominum appellari. Et quidem hoc publicum improborum dedecus & ignominia, proprium est hominis improbi supplicium. Liquet ex his, qua ratione post priuatum cuiusque iudicium, commune omnium exspectandum

Simile.

Genes. 19.

Roman. 1.

Sapient. 5.

Lucæ 12.

dum sit. Nunc de signis quæ iudicium hoc antecedent, pauca dicamus. Horum igitur signorum primum, & aliorum initium est, generalis corruptio vitæ, & veræ atque germanæ charitatis extinctio, sicut Saluator ait: *Quia abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Refrigescente autem charitate, amor sui pro charitate dominabitur. Cui consentit illud Apostoli: *In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa. Erunt enim homines amantes se, &c. Radix malorum omnium est cupiditas, & immodicus amor sui.* Crescente autem radice malorum, necesse est vt ipsa mala pariter succrescant, dum homines nihil aliud quàm seipsos quærunt, nulla pietatis & iustitiæ habita ratione: quod omnium planè malorum extremum est. Secundum signum quod iniquitatis abundantiam consequitur, est consimilis iniquitatis calamitas. Quia enim iustissima Dei lege pœna sequitur culpam, sicut vmbra corpus: necesse est, vt quomodo crescente corpore crescit vmbra, ita crescente culpa, crescat pariter & pœna. Et quia tunc hominum malitia ad cumulum peruentura est, consimilis eum vtique pœna consequetur. Quod apertè Dominus in præsenti lectione exprimit, cùm ait: *Erit enim tunc tribulatio, qualis nunquam fuit ab initio mundi vsque modò, neque fiet, &c.* Quid, quæso, his verbis formidabilius? quid terribilius? Quæ sint autem calamitates & plagæ quibus in his diebus mundus affligendus sit, videre est in Apocal. *Et vidi*, inquit Ioannes, *aliud signum in cælo magnum & mirabile: Angelos septem, habentes plagas nouissimas, quoniam in illis consummata est ira Dei.* Ex quibus planè verbis apparet, de plagis iudicium antecedentibus Euangelistam loqui, quæ omniũ nouissimæ erunt. Tunc temporis *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ de cælo cadent*, hoc est, cadere videbuntur: *& virtutes cælorum*, hoc est, facultates & influentiæ eorum, *commouebuntur.* Atque ita demum omnia inferiora corpora, quæ earum vi & potestate aguntur, variè afficientur, & insolitis motibus trepidas hominum mentes perterrefacient.

Matt. 14.

1. Tim. 6.

Amor sui perniciosus est.

Apoc. 15.

Post hæc verò priora signa tandem apparebit signum Filij hominis in cælo. Ante cælestis quippe Regis aduentum triumphale crucis vexillum, Sole ipso splendidius apparebit. *Et tunc*, inquit Dominus, *plangent omnes tribus terræ.* Quia videlicet in illo signo, impij damnationem suam apertè videbunt. Infideles quidem, quia crucem Domini blasphemauerunt: mali verò fideles, quia tãto hoc beneficio atque remedio vti noluerunt. Tanto enim erunt grauiora humana delicta, quanto magis se extenderunt diuina beneficia. Nec solùm ingratitudinem nostram, sed

Emissenus.

desidiam nostram & socordiam crux illa damnabit, & inexcusabilem reddet. Nemo in illo die se poterit excusare. Sunt in Ecclesia Sacramenta, est peccatorum Confessio, est Eucharistia, est Pœnitentia: hæc sunt peccatorum antidota. Qui cecidit, potuit per ista media resurgere ac reconciliari cum Deo: qui autem negligit, suo fit damno. *Tunc*, inquit Saluator, *plangent omnes tribus terræ*. Tunc plangent, at frustra, qui numquam in hac vita, in qua plangendi tempus erat, plangere voluerunt. Tunc peccati malitiam atque deformitatem agnoscent, quam, dum in hoc seculo agerent, agnoscere noluerunt. Tunc & serò intelligent amentiam & cæcitatem suam, & dolos quibus eos dæmon atque mundi fallacia dementauit; qua delusi, reliquerunt iter rectum, & ambulauerunt vias difficiles ac tenebrosas. Quid dementius, quàm propter momentaneam voluptatem æternum supplicium subire voluisse? Tunc plangent admonitiones, consilia, & Ecclesiæ voces, quas neglexerunt, atque ad eas obsurduerunt: quibus si paruissent, nunquam in eam infelicissimam sortem incidissent. Itaque idem illis eueniet, quod rebellibus filiis contingere solet: qui cùm à matribus admonentur vt à maleficiis abstineant, ne in capitis periculum incidant, consilia salubria contemnentes, à lictoribus tandem ob maleficia comprehensi, ad supplicia trahuntur. Tunc maternas admonitiones ad mentem frustra reuocant, cùm iam spes nulla salutis reliqua maneat. Quocirca si quis hunc tantum animi cruciatum vitare cupit, modò, dum pœnitentiæ tempus est, opportunè sibi consulat. Hæc sunt, Auditores, antecedentia diem iudicij signa: quorum si sola commemoratio tantopere animos nostros concutit; quid faciet iudicium ipsum, cuius hæc sunt signa? Si hæc dolorum initia, qualis finis & consummatio, nisi dolorum omnium summa? quale erit videre formidabilem illum iudicem, adstantibus Angelorum choris, & toto cælestis curiæ Senatu? quale erit videre horrendum illud supremi Iudicis fulmen, cùm ad impios conuersus, dicet: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius?* Nunc ad vos, Auditores. Si hæc ita esse adeò certum est; quomodo tam securè agimus, & in vtramque aurem dormimus? quomodo tantus hic malorum impendentium cumulus neque nos concutit, nec à malis reuocat, nec ad bonum prouocat, nec solicitos magis facit, quàm si hæc omnia vel meræ nugæ, vel puerorum terricula menta essent? Si domum hanc supra me ruituram opinor, vehementer timeo: si verò sola hoc imaginatione cogito, nihil timeo. Timeo sanè multos esse Pharaones in mundo, qui iusto Dei

Pœnitētia sera.

Matt. 25.

Pharaones multi.

Dei iudicio obdurati excæcatique sunt. Sed diceris forsitan: Quid igitur faciemus, vt hæc tanta mala effugere valeamus? Multa sunt quæ fieri necesse est: sed illud in primis, vt hæc ipsa quæ diximus, ad memoriam frequenter reuocetis, & futurum hoc iudicium, æternumque supplicium vobis ante oculos proponatis assiduè. Hoc faciebat ille, qui dicebat: *Meditatus sum nocte cum corde meo; & exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Qui seipsos iudicant, à Deo minimè iudicantur; vt iudicati appareant, non iudicandi. Huius Vatis exemplo, assidua æterni supplicij meditatione scrutetur vnusquisque conscientiæ suæ latebras, & scopere studeat spiritum suum. Terreat nos illa Domini vox: *Venit nox, in qua nemo potest operari.* Ergo quamdiu dies est, hoc est, quamdiu vita superest, curramus; ne in voraginem omnium malorum incidamus. Sic enim fiet, vt peccata nostra voluntaria magis quàm necessaria pœnitentia diluentes, ad sempiternam tandem felicitatem verè pœnitentibus promissam, Domino adspirante, peruenire mereamur. Amen.

Psal. 76.

Ioan. 9.

FINIS.

INDEX RERVM QVAE PRIMO TOMO EPITOMES CONCIONVM GRANATENsis explicantur: qui Euangelia totius anni de Tempore continet.

Ap.

B

pro

Corpo[...]

Hæreti-

Inertia

Monachi

FINIS.

LVGDVNI,
EX TYPOGRAPHIA
Hæredum Petri Roussin.

CIↃ. IↃ. XCV.

A B C D